5/-

PERKINS LIBRARY

Duke University

Rare Books

2/6

Doctrina Politica

IN GENUINAM METHODUM
QUÆ EST

ARISTOTELIS
REDUCTA, ET EX PRO-
BATISSIMIS QUIBUSQUE PHI-
loſophis, Oratoribus, Iuriſconſultis, Hi-
ſtoricis &c. breviter comportata, &
explicata

AB

HENNINGO ARNISÆO
Halberſtad.

CUM SUCCINCTO QUÆSTI-
ONUM ET MATERIERUM
INDICE.

146840

FRANCOFURTI,
Impenſis IOHANNIS THIEMEN,
Exſcripta à Iohanne Eichorn.

ANNO CHRISTI,
M. DC, VI.

TREASURE ROOM

E
RBR
A749D F
TREASURE ROOM

Illuſtriſsimo & Generoſiſſimo Principi ac Domino, D N.

FRIDERICO ULRICO,

REVERENDISSIMI AC Sereniſsimi Principis & Domini

DN. HENRICI IVLJ, EPISCOPI HALBERSTAD. Ducis Brunſvvicenſ. & Luneburgenſ. FILIO PRIMOGENITO, DOMINO MEO CLEMENTISS.

QVoties, Illuſtriſs. Princeps, quod apud non ignobilem quendam ſcriptorem dubitatum video: Utrum meliùs ſub indocto, quàm docto vivatur principe, quoties, inquam, id animo mecum revolvo, non poſſum autem non ſæpe revolvere, toties ſubit mihi

(b) 2 *illud*

146840

illud Ciceronis: Nihil tàm monſtroſè à quoquam fingi poſſe, quod non aliquis Philoſophorum aſſeruerit. Et tamen inventus ex regibus eſt, qui filium ſuum dedita opera literis prohibuerit, ne ſua confiſus prudentia, aliorum conſilia, aut inquirere negligeret, aut audita propriæ temeritati poſtponeret: Paul. AEmili. lib. 10. *quaſi ex vera diſciplina non hoc etiam diſcere debuiſſet: Eum, qui de ſua unius omnia agat ſententia, temerarium magis habendum, quàm ſapientem.* Liv. lib. 44. *Eſt etiam, quem Neronis detrimentoſa eruditio ſuſpenſum tenet, de qua Auſonius: Neronis indolem non erudijt Seneca, ſed armavit ſævitiam:* Auſon. in grat. act. ad Grat. pro conſul. *quaſi propterea Nero inter verè doctos reponendus ſit, quod verſus ſcripſerit, quod cauſas ipſe oràrit, auditoresq; tam faſtidiosè detinuerit, ut multi ſe ægros, nonnulli etiam mortuos fingerent, quò ſibi cum pace Imperatoris theatro abeſſe liceret: id quod majeſtati ſuæ potius indecori futurum, ſcire potuiſſet, ſi vera fuiſſet tinctus ſapientia. Nam* Sueton. in Nero.

Peri-

Periclem refert Plutarchus in infamiam ſeſe poſuiſſe, quod cum Sophiſtis domi, quaſi pro patria decertaret, idemq́ de Iphicrate rectè judicat, cum domi multis præſentibus declamitans riſui eſſet, quod, etſi fuiſſet, quod minimè erat, orator bellus, tamen contentus bellica gloria, decedere ſchola Sophiſtis debuiſſet: Cæſaremq́ ex contrario laudat, quod in urbana facundia ſecundas tantum acceperit, primas alijs reliquerit, ut potiùs in re bellica primus eſſet. Nec abludit Trebellius Pollio, qui, poſtquam eruditionem Gallieni in ſcribendis verſibus tam Græcis, quam Latinis, prædicârat: ſed, addit, aliud in Poëta, aliud in Imperatore quæritur. Aliud quippe eſt Imperatorem eſſe, aliud Grammaticum, aut artificem, quorum virtutes neſcio an ullus Philoſophorum rectius, quam Latinorum Poëtarum princeps diſtinxerit: Excudent, inquit, alii ſpirantia mollius æra, Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus: Orabunt cauſas melius, cœliq́ meatus

Plut. in vit. Pericl.

Plut. in li. de præc. reg. Reip.

Plut. in Cæſar.

Poll. in Gallie.

Virgil. 6. Aeneid.

Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent. Tu regere imperio populos, Romane, memẽto, (Hæ tibi erunt artes) paciq́ue imponere morem, Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos. Nam, quod Adrianus Imperator in Sophiſtica & oratoria lauream ſibi aucuparetur, quod Antimachum Homero, Catonẽ Ciceroni, Ennium Virgilio, Cæcilium Saluſtio præferendum diſputaret: quod Antoninus Geta ſollicitius in nomina rerum, quàm rationem imperandi inquireret: quod Michaël Imperator, & Iſaacius Angelus Magiſtri ferulas magis, quàm ſubditi eorũ ſceptra, timerent, &, ut dicebat Guilielmi Regis Siciliæ legatus, fumis lucubrationum ſorderent, id verò eorum eſt, quos de ſchola vocamus, & non Imperatorum, vel Principum, quibus curæ & ſtudiorum ſuorum unica meta eſſe debet, ſuprema illa Platonis lex, quæ ad ſalutem populi ducit, ſicut non obſcurè Pyrrhus innuit, cum in convivio rogatus: Utrum Antigenides, aut Satyrus melior

Dion & Spart. in Adrian.

Spartian. in Get.

Zonar. in Mich.

Nicet. 1. Annal. Iſaac.

Plat. 5. de legib.

lior

lior eſſe tibicen: Mihi ſanè, diceret, præſtare videtur Dux Polypſerchon, διδάσκων, *inquit ille, qui hæc narrat,* ὅτι ἀναγκαῖα δεῖ ζητεῖν, καὶ μὴ ἄχρηστα.

Ex hac porrò prudentia doctus dici debet, non qui intelligit tantùm, ſed qui facit,
prout Ariſtot. ex practicarum diſciplina- 1.& 10.Eth.
rum natura docuit. Improbus enim Ethi- 7. polit. in
cus mihi ſit, qui cum Medea dicat: Video pr.
meliora, proboq́; Deteriora ſequor: Malè Ovid.in Me-
item prudens ſit, qui meras virtutes quidem tam.
loquatur, ſed ad actiones earum emortuas
habeat manus. Iis enim Marius apud Salu- Saluſt. in In-
ſtium meritò inludit, & idem autor alibi, ut gurt.
commendet Romanos: Optimus, inquit, Saluſt.inCa-
quisq; Romanorum facere, quàm dicere ma- til.
lebat. Qui enim perfectè prudens dici meretur, eum inter facta dictaq́; diſsidium facere non oportet, ſed potiùs, quod ex prudentia didicit, reipſa exprimere, ſicut de M. Antoni-
no ſcribit Herodia: quod ſolus Imperatorum Herod,lib.6.
non verbis aut decretorum ſcientia, ſed gra-

vitate

vitate morum, vitæq́ continentia, ſtudium ſapientiæ uſurpârit: & de Theodoſio Iuniore Diaconus, quod Ariſtotelis Philoſophiam clementia & temperantia verè exercuerit. Quod quando ſit, ut omninò fieri debet, non tantum cum Antonino Philoſopho adagij loco uſurpare, ſed multò rectius, quam olim Alexander Severus illud ſuum: Alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri, Palatijs, omnibusq́ locis publicis inſcribere poſſumus auream Platonis ſententiam, quam Apulejus ita explicat. Rempub. inquit, negat Plato poſſe conſiſtere, niſi, qui imperitat, habeat ſapientiæ ſtudium. Blemidas Græcè reddidit: τότε τοὺς ὑπηκόους εὖ ἔχειν, ὅτε βασιλεὺς φιλόσοφος, ἢ φιλοσοφεῖ βασιλεύς. *Boëtius Latinè: Beatas fore Reſpub. ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regant, vel earum rectores ſtudere ſapientiæ contingat. Prudentius etiam verſibus expreßit. Nimirum pulcrè quidam doctißimus, eſſet Publica res, inquit, tunc fortunata ſatis, ſi vel reges ſaperent, vel regnarent ſapientes.*

Apul. in lib. de Philoſ.

Niceph. Blemid. in Logic. c. 1.

Boet. 1. de conſol. proſ. 4.

Et re-

Et revera ïta eſt, ut Græcus Poeta olim cecinit, panacæam ſtillare ex crinibus Apollinis: felicemq́; eſſe civitatem, in quam guttæ ejus decidant, quoniam ἡ φρόνησις ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη. *Solaq́;, quæ poſſit facere, & ſervare beatas Reſpub.*

Callimach. in Apoll.

Ariſt. 3. poli.

Proinde, Illuſtriſſime Princeps, dum maximorum quorumvis Principum exemplo, ad res aliquando gerendas, applicandum animum, omni priùs modo, in ſtudiis veræ ſapientiæ obfirmas, ut tantæ molis capax eſſe queat; annon, ſicut Tacito olim acclamatũ fuit in Senatu Romanor. Quis meliùs, quàm literatus, imperet? ita nobis quoq́; certis ominari ſignis liceat, tale futurum tuum imperium, quale à Principe prudente expectatur, id eſt, ut verbo dicam: quo obedientes gaudent. Et quì poſſis aliter, ſi regios tuos parentes, ſi teipſum, ortumq́; tuum, ſi ingenium indolemq́;, ſi ſtatum deniq; Reipub. reſpicias? quæ omnia fieri non poteſt, quin ad veram virtutem calcar quotidie addant,

Vopiſc. in Tac. 4.

ſed omnium maximè præcepta Magnifici et Generoſi tuæ aulæ Magiſtri, Dn. Adami Cruſij, quem neſcio an ducem magis habeas, quàm inſpectorem. Ita is ludicris temperat ſevera, allaborante clariſſimo tuo præceptore, Dn. Iohanne Peparino, ne unum prætereat articulum eorum, quibus adoleſcentiam tuam juvari arbitratur, quippe in publica peccatum commoda autumans, ſi quid vel minimum in te neglectum fuerit. Rectè enim Italorum quidam, Principum præceptores comparat ijs, qui æneas ſculpunt literas. Sicut enim una litera infinitas ſui imitationes in chartis exprimit: ita Princeps mores ſuos in univerſam regionem profundit. Quos enim, inquit Epictetus, vulgus imitari præter vos proceres poteſt? qui ingredimini quaſi regula & exemplum cæterorum, quo pacto vivere debeant. Cæterum his tu ipſe, Illuſtriſſime Princeps, gratias memineris, poſtquam, quantum ab ijs acceperis, præ ætate meliùs intelliges: ego, quid poſſim

Scip. Ammi. lib. 13. diſc. 2.

Arrian. Epic. lib. 3. c. 4.

poſſim facere, niſi, ut & pro te & pro illis vota ſuſcipiam, ut tibi mentem det Deus veræ ſapientiæ audientem, hos autem obfirmet, quò diutiùs tua tibi ſtudia præire, nec te, priuſquam ad portum proſpicias, ludibrium ventis relinquere velint. Interim, cum in manibus haberem eam Philoſophiæ partem, quam Architectonicam vocat Ariſtoteles, unde tota vis imperitandi dependet, ingratus eſſem, ſi ejus, quod in tua natum eſt terra, primitias ad alium, quàm ad teipſum deferrem. Nec prorſus ſum dubius, inventum in his qualibuscunq; commentariis iri aliquid, quod vel doceat, vel moneat, vel dehortetur, vel quacunq; alia via ſtudiis tuis facem præferat, quoniam literæ non erubeſcunt, nec adulantur, ſicut Demetrius Phaleræus Ptolomæum admonebat: compararet ſibi commentarios de regnis, ſiquidem, quæ dubitant ſubijcere amici regibus, hæc deſcripta eſſent in commentariis. Sed ea mihi cauſa ſufficiens nunquam fuit, ut tibi hos meos

Ariſt. 1. Eth. c. 1.

Plutarch. in Apopht.

conatus inſcriberem, cum te multò potioribus & ab Aulæ tuæ Magiſtro & à Præceptore, quotidiè innutriri ipſe viderim: Tantum memoriam mei volui tecum hinc abire, ſimulq́; humillima mea officia tibi offerre; ut intelligas, nihil mihi unquam fore penſius vel prius, quàm ſi tuæ Celſ. mihi ſervire liceat, nec ullam me ſubiturum moleſtiam promtiùs, quã quæ à tua Celſ. mihi injuncta fuerit. Vale, & me tuum tibi clientem clementer commendatum habe. Helmſtad. ex Acad. Iul. An. M.DC.VI.

T. Celſitud.

Humiliter Subjectus

Henningus Arniſæus.

AD LECTOREM,
An Juvenis poſsit eſſe Politicus?

SOcratem laudavit olim antiquitas, quod Philoſophiam ex aſtris in terram detraheret, cum à rerum nuda contemplatione paulùm ſevocatum animum ad Reipub. curam abduceret, ratus parùm ſatisfacere ſuo nomini Philoſophum, ſi ſpeculationibus ſolis ita immoriatur, ut nũquam, quid patriæ, quid amicis, quid propriæ denique beatitati debeat, recogitet, nec ijs tangatur rebus, quas inde dixêre publicas, quod earum cura ad omnes pertineat. Illud cum rectè cogitatum à Socrate de communi opinione mortalium ſcirem, non putavi Philoſophiam, quam θεωρικὴν vocant, tàm efflictim mihi depereundam, ut alteram ejus partem practicam interim oderim, ſed ita mea diviſi ſtudia, ut & illam excolerem, neq; hanc negligerem. Quod dum facio, & in his ipſis Politicis hæreo, videor mihi jam non neminem videre, qui vel Ariſtotelẽ mihi opponat, ex Ethicorum ἀκροατηρίῳ adoleſcentes abeſſe jubentem: vel Hannibalis ſibilo me excipiat, qui Phormionem ſenem delirum vocabat, quod de inſtruenda acie dicere auderet, cujus ne pictam quidem imaginem oculis uſurpaſſet, quaſi illud Pyrrhi ipſi inſuſurratum voluiſſet: Ne mihi de militia judicet, cujus aures turbarum clangor non circumſonuit. Atqui ſi vel Marius, qui ſibi parum curæ fuiſſe ait Græcas literas, ex quibus nihilo

Ariſt.1.Ethic. c.3.

Cic.lib.2. de Orator.

Saluſt.in Iug.

S. Aurel. Vict. in Conſt. M.

ad res gerendas fieri poſſit aptior, vel Licinius, qui induſtriam forenſem publicam peſtem, ac virus nominavit, vel alius quiſpiam ex indocta barbarie loqueretur, facilè eſſet, ejus judicium contemnere.

AEmil. Prob. in Hannib.

Hic verò is eſt, quem ſcribit Probus etiam inter arma literis operam dediſſe, quod unicum in Alexandro mirabatur

Strab. lib. 15.

Mandanis Indus: qui ipſe libros conſcripſit, qui Philænium & Soſilum Philoſophos ſuorum factorum perpetuos comites, an non etiam directores habuit? At quem ille ridet? hominem quippe matura ætate, &, ut ait A-

Apul. 5. de aſi. aur.

pulejus, ſenectutis prolixæ beneficio multis experimentis inſtructum.

Eurip. in Phæn.

Si jam Iocaſtes rectè admonet filium Eteoclem: τὸ γῆρας, ὦ παὶ, τῶν νεωτέρων φρενῶν σοφώτερον πέφυκε, κ' ἀσφαλέςερον, multò juſtius tanget hæc reprehenſio juvenes, quibus nec animus rebus gerendis, ut ait Cicero, concalluit, nec ætas uſum dedit benè ſuadendi.

Quint. lib. 2.

Et abſq; Hannibale eſſet, Ariſtotelis telum clypeo illo Quintiliani exciperemus: Non id eſſe æſtimandum, cujus quiſq; ſit ætatis, ſed quantum in ſtudiis jam effecerit. Nec enim ætate, ſed ingenio adipiſcitur ſapi-

Plaut. in Trin.
Cic. 5. Philipp.

entia, ut ait Plautus, quo argumento Cicero diſputabat contra patres, qui Auguſto ante annos, curules honores denegabant. C. inquit, Cæſar ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiaq; virtute progreſſum ætatis expectari non oportere. Difficilius autem eſt, quod in foro rerum emeriti Politici cum Hannibale objicere poſ-

Plut. de præc. ger. Reip.

ſent: Non eſſe ſutori ultra crus, aut fabro ultra malleum, homini de ſchola ultra ferulas judicandum. Nec ego nullus timeo, quin illud Euripidæum ſim auditurus: Tractaſti, cum faber eſſes, non fabrilia, aut Horatianum:

tianum: Quod medicorum eſt Promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Inficiari quippe non poſſum, verum eſſe, quod Plato, Iſocrates & Plutarchus non uno in loco docent: Aliam longè eſſe rationem altercationum in ſcholis, aliam rerum gerendarum, quam ob cauſam Marius id ſibi putat palmarium, non quod in ſcholis palluiſſet, & magiſtri ferulas timuiſſet, ſed, quod, quæ verbis ibi ornantur, ipſe reipſa doctus fuerit, hoſtem ferire, præſidia agitare, nihil metuere, niſi turpē famam, hyemem & æſtatem juxta pati, eodem tempore famem tolerare & laborem, &c. Atque hoc eſt, quod Guilielmi regis Siciliæ legatus Iſaacio Angelo exprobrabat: ipſum videlicet fumo lucubrationum ſordere, nec ſub clypeo unquam auſum dormire, & Mithridates uſu ſe acquiſiviſſe prudentiam ſignificabat, cum diceret: Mihi fortuna, multis rebus ereptis, uſum dedit benè ſuadendi.

Plat. 3. de ll. Iſocr in Archid. Plut. in Pericl. & An ſen. ger. Reſp.

Saluſt. in Iug.

Nicet. 1. Annal. Iſaac.

Saluſt. in frag.

Quid igitur tandem hinc conficietur? An nemini quicq[u]am conſulere licebit, cujus ipſe periculum in ſe non fecerit? An medicus parturienti mulieri conſilio adeſſe non poteſt, niſi ipſe pepererit? nec luem Veneream curare, niſi ejus mala ex ſe didicerit? An de Muſica, de carminum genijs judicare nemo poteſt, niſi ipſe fides tangere ſciat, aut multa priùs, ut ille ait, fregerit ſubſellia verſu? Fieri certè nunquam poteſt, ut tam benè ſubducta ad vitam ratione quiſquam ſciet, Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut, quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ putaris prima, in experiundo repudies. Vſque adeò præmeditata oportet eſſe futuro Politico, quibus, ſi uſus

Terent. in Adelph.

exc[…]

exegerit, licet antea à ſe non uſurpatis, cum commodo Reipub. uti poſſit. Hoc nimirum eſt, alieno periculo ſapere, quidque ab aliis vel benè vel malè geſtum ſit, vel imitari, vel fugere, quem fructum hiſtoriæ maximum vocabat Livius, quod ſcilicet in ea omnis exempli documenta in illuſtri poſita monumento intuearis, unde tibi tuæque Reipub. quod imitere, capias, unde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Quid enim intereſſe putes, in te experiaris, an in alio? Imo Polybius periculum ex alio factum propriæ præfert experientiæ, quod, ut Diodorus Siculus ait, διδασκαλίαν ἔχῃ ἄπειρον.

Livius lib. 1.

Polyb. lib. 1.

Diod. lib. 1.

Et hoc certè confert hiſtoria, cum ſit teſtis temporum, lux veritatis, vitæ memoria, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis, ut ſuum lectorem ſæpè expertiorem dimittat, quam quem aliquot luſtra in medio rerum agendarum defatigarunt. Hæc Alexandrum M. hæc Scipionem, hęc Selymum I. magnum bellatorem effecit, quorum primus Homerum ita non dimiſit è manibus, ut ipſi etiam indormiret: alter Xenophontem nocturna verſavit manu ſimul & diurna, quo Cyrum in rebus gerendis exprimeret: Hic verò Alexandri & Cæſaris vitas edidicit, quaſi quos ſibi duces ſequendos præſtinaſſet. Quid ni mihi quoque, aut cuivis hiſtoriis dedito, liceat in res ante ſecula geſtas retrogredi, προφάσεις eventuum, & maximè αἴτια ipſa annotare, exemplo Socratis, qui, licet ultra V. minas in re non haberet, Critobulum tamen artem diteſcendi docebat. Si, inquit, me poſceres aquam vel ignem, quem non haberem, non improbares, ſi ad alios, quibus iſtarum rerum copia fuerit, te deducerem.

Cice. de orat.

Curt. in Alex.

Polyb. in hiſt.

Vaſ. in Selym.

Xenoph. in Oecon.

Ita,

Ita, inquam, ego non ex meo Rempublicam fingam cerebro, quam nullibi exprimi res humanæ patiantur, in quo Platonem deridet Athenæus, ſed, qui ab omni ævo Rerumpublicarum hiſtorias continuata ſerie & intemerata fide ſcripſerunt: nec id tantum, ſed ſæpè in ipſa narratione, aut extra eam in concionibus dedita opera ſaluberrima monita & conſilia miſcuerunt ad omnem rem gerendam, hi mihi erunt amnes, quorum ductu ad mare deveniam, ab his petam, quod ad Ariſtotelis Methodum pertinere videbitur, & ita, quod Mercuriales ſtatuæ olim faciebant, alijs oſtendam iter, quod nunquam emenſus fui. Potuit & Antipater, licet vires haberet agreſtes atque horridas, ſine nitore ac palæſtra, tamen admonere reliquos, quò accuratiùs ſcriberent. Quis neget poſſe idem in politicis fieri, ubi laus eſt, ex ſententia ſapere illorum, qui non tantum rebus maximis interfuerunt, ſed & eas ſua vel prudentia vel ope, tàm in bello, quàm pace, probè expediverunt. Sed ne, dum nimis moroſè me excuſo, videar ſingulare quippiam in hac diſciplina mihi arrogare, lineam hîc figo, & te, Benevole Lector, quisquis es, rogo, æquum velis ad hos meos conatus judicium afferre.

Verba ſunt Lipſ. polit. c. 1.

Cic. 1. de Or.

Nam cum ante quatuor annos, quæ ad Methodum Ariſtotelis, ſuo quodque loco, ex autorum, qui tum mihi ad manus erant, lectione annotâram, in ordinem cogerem, feci hoc conſilio certè non alio, niſi ut, poſtquam in cæteris Philoſophiæ partibus me ſatis defatigâram, ſatisfacerem mihi quoque in illa, quam à plerisque, etiamſi nomen Philoſophorum gerere ve-

ſint, contim haberi cernerem: Tum verò morem etiam gerere volui ijs, qui privatim mea utebantur opera. Sed ubi ea non paucis placuiſſe video, & nunc à pluribus expetuntur, incudi, quæ jam ſepoſueram, reddidi, & publici juris fieri paſſus ſum. Planè autem alius hîc ſum, quàm in alijs opuſculis eſſe ſoleo, ubi meis utplurimum verbis loquor, hic verò alienis, quod ſciam mea hîc verba parùm habitura ponderis, niſi autoritate armentur eorum, qui ipſi in rebus gerendis conſenuerunt. Sed tu, Lector, vale, & ſi ſtudijs tuis quicquam profuero, gratias mihi habe, & meis officiis, quocunque loco & tempore, utere.

IN OPUS POLITICUM
Clariſsimi Philoſophi
HENNINGI ARNISÆI
Præceptoris mei honorandi.

NEmo Caballi quit ſatis arduas
Prenſare habenas; nì ſciat optimam
Frenandi amuſsim, quà decenter
Cornipedum ora coherceantur:
Nemo popellos inſipidos ſatis
Frenare novit; nì quoq; calleat
Normam gubernandi decentem
Ex adytis Sophiæ petendam:
Hanc Arniſæe, *vir Zephyro Sophûm,*
Fœcundiori Pallados ex ſinu
Afflate, & Entheate divis
Igniculis Charitum, notaſti;
Et jam-notatam publicitus typis
In orbis incrementum aperis, ſerens
Reìpublicæ uberem ſalutem
Atq; mihi atq; alijs petitam.
Salve invidendum Philoſophûm decus,
Halberſtadenſis urbis adorea,

Diadema

Diadema patriæ, tuorum
Sol radiantior : & ſimul vos
Salvete magnæ Numina Iuliæ,
Priſcûm Caſeli *Grajugenûm æmule*
Corneli *ad æthera elevate,*
Hanc ſobolem generoſiorem
Quod præparaſtis : det Deus ut ſuos
Hæc porrò fœtûs edat amabiles
Solo, Poloq́ profuturos
Atq́ mihi, atq́ aliis petitos.

Scbbm. Lub. Meritoq; debitæ
θεραπείας ergò αὐτοσχεδίως

M. Joannes Crugerius
Berlinenſis.

LIBER PRIMVS

DE REPVBLICA CONSTITUENDA.

CAPUT I.

De Conſtitutione Politices.

SVMMVS ARISTOTELIS interpres Averr. in præf. Anal. poſt. *duplicem facit Logicam, communem & contractam, non ad eum quidem ſenſum,* *quo* Thom. 4. Metaph. lc. 4. Tartaret. q. 1. proœm. Log. *Logicam dividunt in docentem & utentem: aut quo* Græci *in rebus abſtractam & immerſam, quam diſtinctionem tradit idem* Aver. 2. Metaph. com. 15. *Sed per communem intelligit actum ſignatum,* ut loquuntur ſcholaſtici, *ſeu ipſa precepta, Logica in generali ſua amplitudine: per contractum verò accommodata ad certam diſciplinam. Ac ſi Logicus doceat à principijs in ſcientijs initium eſſe ſumendum, phyſicus poſtea id ad ſuam trahat ſcientiam, & dicat, ſibi q. queq; à principijs ſumendum initium,* ſicut Ariſt. fecit 1. Phyſ. t. 1. *univerſalia Logici præcepta Phyſicus determi-* Logica particularis.

A

nat,

nat, & ad ſuum inſtitutum accommodat, quæ Logica contracta Averroi *meritò dicitur.*

Ita in veſtibulo Politices, proœmij loco, per contractam Logicam ordinandæ ſunt nobis partes univerſæ Politices, ne ſparſim mox hoc, mox illud, nihil ſuo loco tradamus, quod plerisq; qui poſt Ariſtot. *huic rei manus admoverunt, accidiſſe, facilè advertet, qui, qua Methodo* Ariſt. *ſuam tradiderit politicam, notare voluerit. Illud enim à quovis mediocriter in Philoſophia verſato obtinebimus, Politicam reponi in claſſe iſtarum diſciplinarum quas* Ariſt. 6. Polit. t. *1. Practicas vocat: Praxeos quidem multas ſignificationes recenſet* Scotus q. 4. prol. *& ipſe* Ariſt. 1. Eth. c. 1. *praxin tam latè interpretatur, ut quamvis operationem complectatur: Tum definitur in genere à* Franciſc. Maron. 1. ſent. diſt. 48. q. 2. *operatio regulata à ratione, id eſt, ſi latinius loqui velis: operatio, cui regulam & directionem, præſcribit intellectus. Ex uſu verò philoſophiæ Peripateticæ praxis propriè accipitur pro iſta operatione quæ ad honeſtatē deſtinatur* 6. Metaph. t. 1. *& 1.* Eth. *ita ut praxis & honeſtas æquè latè pateant: Tum definitur à* Scoto in pr. 4. q. prol. *operatio alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter poſterior intellectione nata conformiter elici rationi rectæ ad hoc, quod ſit recta. Multa diſputavimus alibi,* in Metaph. & Logicis, *pro dilucidatione huius definitionis, quam &* Zimara *probat,* in ſolut. contradict. *&* Soncin. 6. Metaph. q. 2. *qui eandem totidem verbis ex* Thoma *elicit. Solum illud, quod in principio dicitur, praxin eſſe operationē facultatis diſtinctæ ab intellectu in dubium jure revocari poſſe videtur impugnaturq; à* Gregor. Arim. q. 5. prol. a. 1. Ocham. q. 4. a. 1. Gabr. q. 10. Fonſec. 2. Met. c. 3. q. 2. Soar. diſp. 41. ſect. 13. *Nam ut omittam*

mittam argumenta illorum, ipſa intellectus ſpeculatio vocatur Ariſt. *praxis* 7. polit. c. 3. *ex fine, ad quem dirigitur, adeo, vt hic praxis ſit in ipſo intellectu, quando refertur ad objectum operabile, quatenus tale. Hoc n. eſt, quod* Scotus ex 3. de an. t. 50. elicit: *Intellectum extenſione fieri practicum. Illud n. intelligendum eſt, non quod extendatur ad facultatem inferiorem externã, ſed quod ad externum objectum. Hinc etiam non tantum phantaſia, ſed & ipſe intellectus vocatur Practicus,* 3 de an. & 6. Metaph. t. l.

Cum a. Politicæ operatio, à ratione, dirigatur ad honeſtatem, ſeu vt loquitur Scotus, *ad hoc, vt ſit recta, inficiari nemo poteſt, eam inter practicas diſciplinas reponi debere. Id quod in hunc oſtendo finem, vt ordinem inveniam, quo Politica doctrina tradi debet. Certum n. eſt in doctrina* Ariſt. *non poſſe diſciplinas Practicas aliter, quam ordine reſolutivo tradi, quippe cum in Ethicis, vt planum eſt, in Politicis, vt oſtendemus, adeoq́; in Logica, quæ licet ars non ſit; arti tamen affinis eſt, non alium obſervaverit, quod ita fieri debere procul dubio quoq; docuiſſet, ſi de Method. in Logicis tractaſſet. Extat tn.* 7. Met. t. 23. *apertus locus, ubi vult in artib. finem præcognoſcendũ eſſe, adeoq; reſolutivã Method. obſervandã, q̄ & ibi notav.* Aver. in com. *& in Medicina pertractanda, in actũ deduxit. Nam quò ad Methodũ, accuratius artem obſervavit* Aver. *quam quiſquam alius, excepto* Galen. *qui* in pr. Conſtit. art. Med. *artes ait omniũ conſenſu ordine reſolutivo tradendas, q̄ & in ſuis* de tuend. ſan. & de Meth. Med. *libris eleganter præſtitit. Nam* in lib. 1. de ſan. tuend. *ex præſuppoſita & explicata ſanitate tanquam fine, educit media omnia ad ſanitatẽ tuendam: In* lib. 1. Method. *generaliter oſtendit, quomodo à morbi depulſione prima indicatio deſumatur & quomodo cæteræ omnes, ad hunc colludant finem, vt morbus abigatur,*

& ſanitas reſtituatur, qui Medici finis eſt. Unde patet per univerſos libros Method. tantum reſolutivum ordinem obſervari, quem & in tota Medicina obſervari æquum eſt, cum unius morbi curatio proportionem habeat univerſæ Medicinæ, ut Galen. *demonſtravit* 1. Meth. *Quod verò* Galen. de art. Med. c. 1. *definitiva quoq; Methodo velit Medicinam tradere, in eo tertium ordinem non invenit, ſed accidentale tantum diſcrimen effingit, quippe, cum definitio talis, quæ partes omnes artis complectatur, præpoſita, naturam Methodi non immutet ut oſtendit* Zabarell. lib. de Method. *Putarunt* Capivac. in lib. de diſt. doct. Fernel. in præfat. Medic.. Piccol. in com. polit. part. ult. *& non pauci alij, artis Medicæ ſyſtema, quod à Phyſiologicis per Pathologica ad Therapeuticam progreditur, ordine compoſitivo traditum eſſe, eò quod primum de Elementis humoribus, ſpiritibus, functionibus &c. tractetur, deinde de morbis, morborum differentijs, cauſis, ſignis, & ſymptomatibus; deniq; de Methodo medendi, quam* Celſus lib. 1. c. *1. in tribus collocat, Diæta, Chirurgia, & Pharmaceutica. Verum his accidit, quod antiquis Philoſophis apud* Ariſt. 1. phyſ. cap. 4. *qui inviti etiam & neſcientes veritati teſtimonium perhibuerunt. Nam dum illi compoſitivo ordine progredi ſe putant, Analyticum præcisè obſervant, quod* Averr. 1. collig. c. 2. *iterum præmonuit, dum ait: Quia artes practicæ in quantum ſunt artes, continent tria: Primum eſt, ſcire loca ſuorum ſubjectorum: Alterum ſcire finem quæſitum ad inducendum ipſum in ſubjectum: Tertium ſcire inſtrumenta, cum quibus valeamus ducere finem in ſubiectum. Ideoq; ars Medicinæ primò diviſa eſt in tres partes, quarum prima explicat ſubjectum, id eſt, corpus humanum, per Anatomiam diſſectum*

in ſua

in ſua membra: altera de fine, qui duplex eſt, conſervatio ſanitatis & remotio morbi, unde Phyſiologia naſcitur & Pathologia, hæc de morbis, illa de ſanitate. Tandem tertia pars conquirit remedia ad finem obtinendum. Hunc ordinem reſolutivum eſſe nemo negare poteſt, cum à fine procedatur ad explicanda media, quæ ad finem ducunt. Sed eum ordinem obſervat Fernel. *præcisè, ad imitationem* Aver. *quanquam* Avicen. *& eum imitatus* Bertinus *paululum deflectunt, dum non ab Anatomia corporis, quod fieri debebat, ſed ab elementis & temperamentis incipiunt, & poſtea partium diſſectionem ſubjiciunt. Hunc autem ordinem compoſitivam non eſſe, quis tam hoſpes eſt in doctrina Methodi, qui non advertat? In artibus reſolutivus ordo eſt à fine ad media, id quod* Galen. *docuit 9.* Method. cap. 7. *dum ait: Eſt enim totius artis ſumma, invenire auxilia, quibus æger ſanatur. Iam ordo reſolutivus debet compoſitivo contrarius eſſe: Proinde à mediis procedet ad finem. Iam elementa, temperamenta, functiones, partes corporis, & cætera, quæ in Phyſiologicis traduntur, non ſunt media, quibus Medicus in ſanitate reſtauranda utitur, nec ſi ſint, in Phyſiologicis, ut media conſiderantur, ſed in ſua natura ſine reſpectu. Multò minus verò morbi & ſymptomata & cauſæ morborum, ſunt media curandi: Proinde dicere non poſſumus, per compoſitionem aſcendi hîc ad finem, in quo acquieſcimus, ſicut* Piccol. *qui voluit, nova Methodo Ethicam tradere, in ſummo bono tandem deſinit. Non ita, inquam, hi autores in fine acquieſcunt, ſed in medicamentis, quæ finis medici non ſunt, ſed ſanitas, cum nec ipſum operari Medici finis ſit, ut* Quintil. ſentit lib. 2. Inſtit. cap. 12. 14. Seidelius in lib. de morb. in curabil. Augen. li. 8. Epiſt. 1. & 3. *Verum ſanitas ipſa, quippe, cuius gratia*

aliquid ſit, illud eſt finis. Quod ſi dicere quisquam voluerit, ordinem compoſitivum eſſe, quia proceditur à principiis ad totum. Jam talis ordo artificialis non eſt, & proinde nec ordo, quia nec ſcientiam parit, nec artem. Ideoq; mirum eſt, cum Gilken. in com. de hac re, *oſtenderit, jurisprudentiam eſſe ſcientiã, etiam propriè dictã: (quod examinabimus in progreſſu) tamen eam ordine reſolutivo traditam contenderit. Scientia enim, præſuppoſito toto, ſeu ſubjecto, cujus principia quærit, non progreditur ad totum, ſed ad affectiones per principia demonſtrandas: ars à fine, tanquam principio incipit, & progreditur ad media. Sed eſto talis ordo concedatur: Elemẽta ſane ſunt principia corporis mixti. Mixtum igitur totum erit, quod hîc cognoſcitur, aut ſi mavis, ut remotè petita principia putemus, corpus animatum. Oſtendas mihi, quomodo temperamenta, functiones, morbi, morborũ cauſæ, ſigna ſymptomata, ipſa, deniq; medicamẽta, ſint principia totius animati. Vsq; adeo nulla eſt cohærentia in partib. Medicinæ, ſi quis eã compoſitivo ordine traditam aſſerere velit. Verum, in ordine reſolutivo,* ut Zab. oſtẽdit l. 2. Meth. *optimè omnia cohærent. In Anatomia enim explicatur ſubjectum Medicinæ, quod eſt corpus humanum. Rudis enim illa partium cognitio ſufficit, cum ſubjectum ſecundum omnes minutias diſſecari non debeat,* ſicut in prędicamentis Ariſt. & c. 13. 2. Eth. *patet. In Phyſiologia explicatur finis* τῆς ὑγιεινῆς, *qui eſt ſanitas, quippe, quæ ex iis conflatur, quæ in Phyſiologia traduntur: In Pathologia explicatur finis* τῆς θεραπευτικῆς, *q; eſt morbi abolitio. Morbus igitur cognoſcendus eſt, cum ab eo prima indicatio, in inveniẽdis remediis deſumatur. Cognoſcitur morbus ex ſymptomatis & ſignis, curari verò non poteſt, quam diu cauſa fovẽs manet: propterea ex his conflatur Pathologia. Supereſt igitur*

tur Methodus, quæ continet media, Chirurgica, Pharmaceutica & Diætetica, & ita apte cohærent omnia membra, à primo fine, ad ultima media.

Sed nos ad Politicam redimus, oſtenſuri, eam, quod ſit practica, non alio quam reſolutivo ordine tradi debere, cum omnis diſciplina practica eo tractari debeat. Præſuppenendum a. eſt, quod Zab. contra Picc. in Introd. in gr. Moral. *demonſtravit, ordinẽ à noſtra cognitione deſumendum eſſe, h.e. ita inſtituendum, prout nos facilius diſcimus. Nam ordo eſt inſtrumentũ diſcendi. Inſtrumenta v. diſcendi ad id excogitata ſunt, ut faciliorem reddant diſciplinam. Alioquin quovis modo ſine ordine diſcere poſſumꝰ, ſed difficilius, & majori cum tædio. Quod ſi jam ordo naturæ, repugnet cognitioni noſtræ, ita ut ejus ductu difficilius cognoſcamus, inſtrumentũ hoc inventũ eſt, quo obſcuritati lumen, difficultati facilitatẽ addat. Unde* Ariſt. 6. Pol. c. 1. 1. Phyſ. t. 1. *1.* de hiſtor. animal. c. 6. 2. part. an. c. 10. 5. Metaph. t. *1.* 7. Met. t. 10. *nõ à natura, ſed à noſtra cognitione Methodi regulam deſumit, quod &* Aver. *facit 7.* Met. com. *10.* & in Epit. Metaph. tr. 2. de definit. *ubi ait: Procedimꝰ ſemꝑ à notiori apud nos, ad notius apud naturã.* Gale. *9.* Met. in fi. *propterea prius de diarijs febribus ſibi agendum ſumit, ꝙ ſimplicem, & cognitu facilimam primam curandi indicationem habeant.* Thom. de Ente & Eſſ. c. *2. Quia, inquit, ſubſtantiarum ſimplicium eſſentiæ ſunt magis occultæ, ideo ab eſſentijs compoſitorum incipiendum eſt, ut à facilioribus convenientior fiat diſciplina. Et quid fortius* contra Piccolomineum *urgeret, quam quod Ariſtot. ſæpiſſimè ordinem naturæ deſeruit, ut ordinem cognitionis obſervaret, ex multis unum atq; alterum ſufficiat. Licet Ariſtot.* 2. de an. t. 27. *tactum dicat ſenſuũm communiſſimum,*

tamen

tamen à communi non incipit, ſed à viſu, in quo, quæ de ſenſibus ſibi demonſtranda propoſuerat, clarius perſpiciebantur. In libris de partibus hominis partes primo loco plerumq; proponit, quod, ut 2. de part. c. 10. dicebat, *nobis ſint notiores. In Topicis* 2. lib. Top. *quæſtionem accidentis præponit quæſtionibus definitionis & generis, non alia de cauſa niſi ꝙ notior. Libros de anima, quanquam libris de partib. univerſaliores, his tamen poſtpoſuit,* ut conſtat ex ult. cap. lib. de Inceſs. animal. *Idq; notavit* Alex. Aphrod. 1. de an. cap. 2. & Aver. in 1. Meteor. *quanquam* Avicen. in pr. tractat. de an. Thomas in procem. 1. de an. Flandr. in procem. explicat: Albert. M. in compend. Phyſic. part. 4. c. 1. *& alij diſſentiunt. Notavit* Faber. Stapul. *quoq; propterea* Porphyrium c. 2. Iſag. *primo loco explicaſſe genus, quod notius ſit, & reliquorum prædicabilium notitiam ad ſui cognitionem non requirat.*

Cum igitur ordo ita ſit inſtituendus, prout nos facilius diſcere poſſumus, manifeſtum fiet, non poſſe practicam diſciplinam, niſi reſolutivè tradi. Nam practicæ diſciplinæ intentio & ſcopus eſt, inſtrumenta ſeu media docere, quorum opera finem attingas, ſeu producas, quod Gal. 9 Meth. c. 7. *totidem ferè verbis docuit,* & 1. Meth. *exemplo oculi declaravit. Sutoriam conſidera: nihil docet diſcipulum ſutor, niſi qua arte quibus medijs conſuere poſſit calceum, quam commodiſſimè. Quid Ethicus? niſi, ut doceat quomodo per virtutes, & ijs annexa, ſummum bonum aſſequaris. Totius Philoſophiæ moralis* ait Apul. in pr. lib. de philoſ. *caput eſt, ut ſcias, quibus ad beatam vitam pervenias rationibus. Quid Logicus docet, præter inſtrumenta attingendi veritatem? Iam verò media ex-*

cogitare

cogitare nemo poteſt, niſi cui fini ea adhibere velit, prænoverit: Quia finis eſt quaſi meta & terminus, ad quem omnia media collineant, tum demum pro veris habenda, ſi ad finem obtinendum idonea fuerint. Diſputent exempli cauſa Chryſippus, Epicurus, & Ariſtoteles de aſſequendæ felicitatis medijs, Chryſippus perturbationum vacuitatem, Epicurus tranquillam & moderatam vitam, Ariſtoteles virtutum actiones pro medijs vendicet: Nunquam ijs conveniet, niſi prius in uno fine conſentiant, eò, quod media ex fine, tanquam ex principio deducantur. Epicurus enim talia media conquiret, quæ ad voluptatem ducunt, Ariſtoteles, quæ ad actionem ſecundum virtutem. Unde Ariſtot. 3. Eth. c. 3. rectè dixit: Conſultationem omnem fieri ob finem propoſitum, & 7. Eth. c. 8. finem in artibus eſſe principium. Docuit idem Seneca Stoicus Ep. 71. Nemo, inquit, quamvis paratos habeat colores, ſimilitudinem reddet, niſi jam conſtet, quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. Scire debet, quid petat ille, qui ſagittam vult mittere, & tunc dirigere & moderari manu telum. Errant conſilia noſtra, quia non habent, quò dirigantur. Ignoranti, quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt. Nimium perinde eſt de medijs diſputare ſine præſuppoſito fine, atq; ventis vel adare, ad nullum directa portum.

Proinde in Politicis quoq; initium faciendum eſt à fine, quod iterum oculatiſſimus Arabs tractat. 1 polit. licet Ariſtotelis doctrina Politica ut ipſe confitetur deſtitutus, animadvertit. Sicut ait, qui valetudinem curare intendit, eam prius cognoſcat, oportet: ita, qui vult Reſp. recte inſtituere, eum oportet primum id conſiderare,

in quo beatitas vera conſiſtat. Quam diu enim ignoratur finis vel terminus, tam diu nequit inquiri via, quæ ducat ad illum. Hoc idem, ſed generalius dixit Cicer: 1. de finib. *Conſtituto ſcilicet bonorum fine in Philoſophia, conſtituta eſſe omnia, & inventam jam eſſe viam ad reliquas omnes partes rectè conſtituendas. Non produco* Aegid. in com. libri Thom. de regim. princip. Iaſon. de Nor. in tract. de conſt. Polit. *& alios, cum res plana ſit.*

Duplex autem ut in Logica & plerisq; artibus, ita in Politicis quoque finis eſt: Externus & internus. Externum intelligit Ariſtot. 7. polit. cap. 1. 2 & 3. *ubi benè & beatè vivere Reip. ſummum bonum vocat, illiq; finem internum ſubjicit, quando Remp. & civitatem propter benè vivere inſtitutam docet.* 1. polit. c. 2. 3. polit. c. 6. 4. polit. c. 4. *Sicut autem veritatem præſupponit Logicus tacitè: ita Politicus hunc externum finem, quippe, qui jam in generali Ethica explicatus eſt.* libris Nicomach. & Magn. Moral. *Non enim, ut* Thom. *& pleriq; alij credunt, privatus ibi homo tantum inſtituitur, quia generalis finis, generalesq; virtutes proponuntur, quæ non tantum privato homini, ſed & in publica hominum corona victuro neceſſariæ ſunt: imò nonnullæ in privatam vitam proprias non cadunt. Ac tantum abeſt, ut* Ariſtot. *ad privatam vitam quenquam inſtituere velit, ut* 1. polit. c. 2. *prorſus privatum hominem, aut Deum eſſe velit, aut extremè peſſimum. Univerſalis igitur is finis eſt, qui omnem felicitatem complectitur, non ſolum Moralem, ut* ſentit Acciajol. 1. Eth. c. 6. & Philopon. 2. poſt. t. 202. *ſed & intellectualem. Nam niſi Ethicus doceat, quomodo habitus mentis beatam faciant*

ciant hominem, nulla diſciplina id docet. quod tamen ſcitu neceſſarium erat, cum Ariſt. 10. Eth. *bonum intellectuale præferat morali. Nec aliud quicquam ex ordine Ethicorum* Ariſtot. *colligere poſſumus. Nam poſt ſummum bonum, confuſius in* 1. Eth. *declaratum,* cap. ult. eiuſd. *progreſſurus ad virtutes, quarũ operationem dixerat eſſe ſummum bonum, ſtatim dividit eas, in Morales & Dianoëticas, non ut has amoveat, quod facere debuiſſet, ſi media ad ſummum bonum non fuiſſent, ſed ut* lib. 6. *perinde, ut* 4 & 5. Ethic. *morales explicarat, ita intellectuales pertractet. Unde in* 10. lib. *deniq. duplex colligit ſummum bonum, ex duplici ſeriè virtutum, adeò ut* Piccolom. in gr. Ethic. *rectè oſtenderit, habitus mentis non tractari in Ethicis tantum incidenter, ſed per ſe, quia ſunt virtutes. Niſi enim ad ſummum bonum per ſe conferrent, virtutes dici non deberent. Et quid opus eſt longiori probatione, cum* Ariſtot. 6. Eth. c. 12. *conceptis verbis doceat, ſe propterea de ſapientia egiſſe, quod ſummum bonum ſuo concurſu compleat. Quando verò ſummum finem Rerump. in benè vivendo conſiſtere dico, non tollo diſcrimen boni viri & boni civis, quod ponit* Ariſt. 5. Eth. c. 2.

Nec enim eò dementiæ cum Ramiſtis *deveniendũ eſt, ut velimus finem ſemper obtineri debere, ut ſit verus finis, qua opinione negaverint illi, verbum Dei prædicari propter ſalutem hominum: Sed hunc dico finem eſſe externũ, quem tamen omnes Reſpub. non aſſequuntur, ſi in ijs vel pravi mores dominentur, vel malæ leges, vel ſi omninò prolabantur. Qualis erat Sybaritarum Reſp. cum lex eorum eſſet: Nemo noſtrum frugi eſto, aut quam* πονερόπολιν *inde vocat* Suid. in voce πονερόπ. *quod*

Philippus illuc congregaret omnis generis maleficos, aut Epheſiorum deniq́, quorum legem refert Cicer. 5. Tuſc. *ut vir virtute excellens è Rep. eijceretur. Hic certè aliud eſt vir bonus, aliud civis bonus, quorum hic legum, ille virtutum juſſis obſequitur. In ſola enim benè conſtituta Rep. ubi leges ſunt virtutes armatæ, &,* ut Imper. ait de concept. & confirm. ff. *cum æquitate & juſtitia conſentiunt, verum eſt illud* Ariſtot. 7. Polit. c. 3. *Idem eſſe bonum privati hominis & civitatis.*

Cæterum finis ille externus, ad generalem Ethicam reijciendus eſt, ubi eum ex Ariſt. doctrina ſatis explicavimus. Hic internus primo loco explicandus venit, qui reſpondeat Syllogiſ. in Logicis, calceo in ſutoria, veſtimẽto in ſartoria. Is verò, ne longum faciamus, eſt ipſa Reſp. quippe per quam rectè inſtitutam multitudo beatè vivit. Unde Speuſippo in defin. Platon. *mens, &* Ariſtoteli 4. polit. c. 11. *vocatur vita civitatis, &* Iſocrati in Panath. & Areop. *ψυχὴ multitudinis. Nam in Rep. continentur omnia bona, quæ, qui in multitudine vivit, expectare queat, & ſine ea vivere nemo poteſt, niſi extremè malus, aut Deus, qui nulla re indigeat.* 1. polit. c. 2. *Cætera, quibus in communi vita indigemus, à Rep. ſuppeditantur.*

Ariſtoteles *igitur* 3. polit. c. 4. *initium fecit à Rep. ſicut* 1. prior. Analyt. c. 1. *à Syllogiſmo.* 1. poſt. c. 2. *de ſcientia & demonſtratione.* 1. Topic. c. 1. *de Syllogiſmo Topico,* & 1. Eth. *de ſummo bono. Hæc enim omnia primo loco traduntur, quia rationem finium, & in practicis diſciplinis locum principiorum obtinent. Reſpublica verò in genere primum conſideratur, quod facit* Ariſt. 3. polit. a c. 4. uſque ad 10. *mox dividitur in tres ſpecies, quia, ut* Tacit. *ſcribit* 4. Ann. *cunctas nationes & urbes populus,*

pulus, aut primores aut ſinguli regunt. Debemus enim virtutes & vitia Rerump. à ſpeciebus earundẽ diſtinguere, quod cum Plato 3. de ll. 8. de Rep. & in polit. Aver. tract. *3.* polit. polyb. lib. *6.* patrit. 1. de Rep. tit. 4. *non obſervarent, confuſiſſimas reip. diviſiones tradiderunt. Tyrannis enim vitium quidem regni eſt, ſed ſpeciem diverſam ab eo non conſtituit magis, quam homo improbus diverſus ſpecie eſt à probo. Simplices igitur primæ tres ſpecies ſunt, Monarchia cuius diverſitates exequitur* Ariſt. 3. polit. usque ad fin. *excepta Tyrannide, quam, utpote omnium peſſimam, quippe quæ optimam Remp.* ut ait Alcin. de doct. Plat. c. 33. & Ariſt. 4. pol. c. 2. *Vitiat, reſervat ad finem cæterarum Rerump.* 4. polit. c. *10. Deinde imperium paucorum & Democratia, quæ regno ſtatim* lib. 4. *ſubijciũtur, et 11. capitib. priorib. explicãtur. Ex harum Rerũp. mixtione, oritur quarta quædã compoſita, de qua controverſum eſt, an inveniri queat, cum non contẽnendi Polit. eam impoſſibilem, aut certè ſeditionum plenam futuram contendant, quam tamen, ſi benè temperetur,* Plato in 3. de ll. *ſtabiliſſimam futuram demonſtrat.* Ariſt. *examinat eam 4.* polit. c. *9. & pro exemplo addit Remp. Lacedæm. in qua idem notant* Iſocr. in Areop. & Panath. *Po*lyb. lib. *6.* Plato *3.* de ll. Iuſtin. lib. 2. *Addemus nos exempla Reip. Romanæ, poſt ejectos reges proximis annis, Imperij Germanorum, Polonorum, Danorum &c. de quibus hiſtorici diverſa ſentiunt.*

Hactenus immoratus eſt Ariſt. in explicando fine, qui eſt Reſp. cum ſuis ſpeciebus. Quid Methodus porrò præcipiat, ex doctrina ordinis Analytici facilè patet. Repetamus enim illud Galeni: *Artis ſummam eſſe, invenire præcepta ad finem ſive producendum, ſive aſſequendum.*

Nam duplex finis eſt, unus, qui jam exiſtens præſupponitur, tantum vt te illi applices, qua ratione Deus eſt finis univerſi: alter, qui à cauſſa efficiente adhuc producitur, qualis eſt finis internus, Logicæ, Ethicæ, & hujus noſtræ quoque Politicæ, Imprimis igitur docendum eſt, ex quibus eſſentia Reipub. conſtituatur. Fruſtra enim de virtutibus vel vitio alicujus ſollicitus ſis, niſi hominem exiſtere præſcias. Conſtituitur autem Reſpub. ex duabus partibus, ſcilicet ex Imperantibus & Obedientibus, id quod ex definitione Reip. patet. Definitur enim 3. polit. c. 6 4. polit. c. 1. *quod ſit* τάξις, *id eſt, ordo, vt* Sepulveda *vertit, aut, vt* Thomas, *ordinatio civitatis, imprimis circa* τὸ κύριον, *& reliquas civitates* κοινωνίας. *Caput Reipub. vocamus majeſtatem, ad quos reſpectum dicit: Subditos, ita, vt immediatiorem partium, ex quibus Reſpub. conſtituitur, diviſionem habere non queamus, quam qua dividitur, in ſummam poteſtatem &, eos qui huic ſubjiciuntur. Ac* Bodinus *quidem* de Repub. lib. 1. c. 10. *pauca ait* Ariſtotelem, *de majeſtate attigiſſe, quod ita eſſe, infitiari non poſſumus. Quæcunque enim ad majeſtatem pertinent*, Ariſt. in fin. 3. polit. & pr. lib. 4. *cum univerſæ Reip. tractatione permiſcuit. Nec enim, quod de cæteris diſciplinis fortaſſe alicui concederemus, in Politicis* Ariſtot. *omnia tradere potuit, quæ hodie conſuetudo in uſum poſuit.*

Pauca ſunt de compoſitis propoſitionibus, Syllogiſmo Hypothetico, conſequentijs Syllogiſmorum Modalium, item de Methodo in Logicis Ariſtotelis: *pauca in phyſicis, de æternitate mundi, ad cujus probationem unum atque alterum falſum argumentum adhibet* 8. phyſ. cap. 1. 1. de cœl. *de numero & diverſione orbium, de via lactea, &*

genera-

generatione fontium, deinde in partibus animalium, & earum uſu deſcribendo: pauciora in Metaphyſicis, de quarta ſcientia, de ſimplici actualitate intelligentiarum, de accidentium doctrina neglecta, &c. Pauca inquam ſunt, quæ tempus nos poſt Ariſtotelem *accuratius docuit: In Ethicis nihil ferè notaveris, in quo* Ariſtot. *poſſit videri. Suffenus,* ut proverbio Catulli utar. *Hæc enim, excepta Anatomica corporum diſſectione, ratione inveſtigari potuerunt: Verum Politicorum longè alia eſt ratio, quippe quæ in arbitrio hominum conſiſtunt, & in dies, ne dicam, in horas mutantur. Quot enim σοφίσματα, ut* Ariſtot. verbo utar, *noſtra ætate inventa ſunt, quorum ne ſuſpitio quidem* Ariſtoteli *ſubire potuit, ita ut* Busbeq. in conſil. de bell. Turc. Franciſ. patrit. lib. 1. parellel. milit. & Sturm. ſerm. 2 & 3. de bell. contra Turc. admini. *prorſus novum dicant eſſe modum hodie ducendi belli, quam olim fuerit.*

Quod verò de una parte Politices dico, de cæteris quoque intellectum volo: Nec id propterea dico, quaſi Ariſtotelem *falſa in Politicis docuiſſe, demonſtrare velim, licet alicubi quoq; Bonus dormitet Homerus, ſed quod Neſtor Diomedi obijcit apud* Hom. *1.* Iliad. Plut. in pr. de geren. Rep. *Non omnia dixti: hic quoq; uſurpare poſſemus. Quid enim de fiduciarijs regibus & principibus, quid de feudis à Longobardis, ſi pleriſq; Feudiſtarum credimus, introduci ceptis, & nunc per totam ferè Europam & Aſiam diſperſis, quid de pluribus alijs* Ariſt. *tradere potuit, quæ tum nondum in uſu fuerunt. Nec enim, ut* 4 polit. c. 1. *proteſtatur, fingere ſibi Remp. voluit, quod* Plato in lib. de *Rep.* *fecerat,* ut Polyb. lib. 6. *confitetur, ſed præcepta ſua Politijs,*

jam

jam à ſe obſervatis accommodare, ideoq́, quæ in uſum nondum poſita erant, ea nec ipſe fingere ex ſuo cerebro voluit. Proinde mirum non eſt, ſi in majeſtate quoq́ explicanda conciſus ſit Ariſt. *Ut autem, quæ à Politicis & Hiſtorcis inde usq́ à tempore Ariſtot. obſervata fuerunt, de autoritate ſummæ poteſtatis, utrum ſit legibus ſoluta, & quibus, quæ ſint majeſtatis jura: quæ JCti, ex uſu feudorum ſpecialiori nomine vocant Regalia, quantum obligata ſit majeſtas ſubditis, & quid hi debeant majeſtati &c. ut inquam hæc in unum compendium comportemus, operam dabimus ſedulò. Mox, qui proximus labor eſt, ad ſubditos pergemus, ſeu eos, qui majeſtatem comiter obſervare tenentur. Subditi ſunt in triplici differentia, aut Peregrini, aut Incolæ, aut Veri Subditi. Peregrini olim vocabantur hoſtes:* Feſt. 8. de V. S. *Pomp.* l. 118. de V. S. Cic. *1.* cont. Rull. & *1.* de off. *De quibus accipimus illud: Erga hoſtes perpetua autoritas eſto: aut illud: Hoſtis murum ne aſcendat. Cum enim ſæpius à peregrinis hoſpitibus malum crearetur,* ut oſtendit Ariſtot. 5. polit. c. 3. *hinc cœpit peregrini nomen, perinde, ut Tyranni, fieri odioſum, adeò ut nunc in malam partem tantum accipiatur. Unde non immeritò diſputatur, utrum, quod Muſcovitæ* Sigiſm. Baro in. Muſcov: *& Chinenſes,* Bernhardin. Scharlant: in deſcript. Chin. *faciunt, peregrini prorſus repelli debeant, & poſtquam, ut recipiantur, ſtatutum eſt, quid juris in Rep aliena poſſidere debeant. De incolis eadem diſputatio eſt: De veris autem ſubditis diligentius conſiderandum eſt, cum in his requieſcat fundamentum Reſp. de quibus* Ariſt. 4. polit. c. 12. *nonnihil egit. Non tantum hic, quales eſſe ſubditi, quib. rebus ſtudere debeant &c. edocendum eſt, ſed & quod ordines illorũ ſint, & quantum*

inter

inter ſe diſcrepent. Antiquo more Gallorum, ut Cæſar refert, 6. bell. Gall. *omnes ſubditi erant diviſi in duo genera: Sacerdotum & equitum, quæ diviſio hodie quoq; obſervatur.* Nov. 6. in pr. c. Duo ſunt diſt. 96. *Cæterum Bulla Bonifacij & Reſcripta quamplurima Pontificum, à poteſtate Majeſtatis eximunt Clericos, & imprimis, de Pontifice ipſo, enunciat* gl. c. per venerabil. Qui fil. legit. in verbo Superiorem, *quod ſit ſuper omnes, &* Boer. in tr. de ſedit. *quod ejus poteſtas ſit major, quàm Imperatoris: Imò* Bald. *ait* in c. Cum ſuper. de cauſ. prop. & poſ. *Papa eſt ſupra, contra, & extra jus, omnia poteſt. Propterea de Iurisdictione Eccleſiaſticorum & eorum ordinibus diſputandum eſt, utrum, quoad Politica. (Nam de judicio Eccleſiæ hoc loco non curat Politicus) ſubijciantur majeſtati, & quantum de jurisdictione ſibi indultum habeant. Secularium iterum alij ſunt Nobiles, vt Duces, Marchiones, Comites &c. alij plebei, ut mercatores, opifices, agricolæ, &c. de quib. diligẽter* Plato, Xenophon, Dion, Ariſt. *& reliqui Philoſophi vetuſtiores præcipiunt.*

Quia verò magnus eſt ſubditorum numerus: (Nec enim certam multitudinem definire poſſumus, quanquam Ariſtot. *quantus ſufficere poſſet numerus ad felicius degendum, præſcripſerit, qua in re injuria reprehenditur à* Bodino, *quaſi cuivis Reipub. certum numerum præſcribere voluit.) multitudo verò ſine ordine eſt confuſio, vt ait* Thom. 1. p. q. 40. a. 4. Scot. 2. d. 11. q. 1. a. 2. *Politici inierunt rationem, quo in certas claſſes cives digererent. Ad id enim exercitus Lacedæmoniorum exactè diviſos fuiſſe* Thucid. *docet* li. 5. *vt juſſa Imperatoris brevi ſpacio ad ſingulos milites deferri poſſent, &* Flor. 1. de hiſtor. Rom. cap. 6. *autor eſt Servium ſuo conſenſu effeciſſe, vt magna*

civitas, quaſi minima domus regeretur. Diviſerunt igitur Athenienſes & eos imitati Romani cives in tribus: item in claſſes, centurias, decurias &c. Item in collegia, corpora & Univerſitates, quæ omnia hoc uno cum ſuis juribus explicanda ſunt. Duplex enim eſt collegiorum in politicis conſideratio, altera hoc loco, ubi conſiderātur, ut certæ claſſes civium, altera in cap: de Inſtit. ubi conſiderantur, prout conducant juventutis inſtitutioni.

Jam nunc quoq; proximas partes, ex quibus Reſpubl. conſtituitur, ὡς ἐν τύπῳ *propoſuimus, quarum non tantum definitio declarabitur, ſed & ſingularum virtutes adjungentur. Proximum eſt, cum ſumma officij regij ſit, dicente* Virgil. 6. Aeneid. *Regere imperio populos, quo ſenſu & definitur. Reſp. gubernatio ſubditorum à ſumma poteſtate, ut media explicentur, ſeu inſtrumenta, per quæ ſumma poteſtas gubernat ſubditos, in qua gubernatione conſiſtit ſalus Reipubl. Gubernatur autem Reſpub. per majeſtatis vicarios, & per leges, quæ ſunt ſcita ſummæ poteſtatis, ad id latæ, ut & improbi à peccatis arceantur formidine pœnæ, & cæteris de voluntate principis conſtet.*

Vicarijs indiget majeſtas, tum, quia non ſufficit per ſeipſam ad omnium officiorum adminiſtrationem, tum, quia à nonnullis retrahitur, propter autoritatem, quæ non ſinit principem cuivis negotio immiſceri, ne nimia familiaritate faciat ſibi imperium contemtibile, ſicut de Agricola teſtatur. Tacit. in Agr. *& Mammæa admonet filium Alexandrum Imper.* Lamprid. in Alex. *In Ariſtocratia verò & Democratia tantò magis opus eſt vicarijs, quòd plures vel omnes cives, qui majeſtatem ibi obtinent, non poſſint ſimul munia Reip. ſubire, ſi res quædam ardua ſit expedienda, ſi legatio obeunda, ſi ducendum bellum. Sunt, qui*

etiam

etiam à rege bellum per legatos confici, exemplo Iuſtiniani, Zonar. in Iuſt. *velint,* Stur. Ser. 2. de bel. Tur. & Agam. li. 2. hiſt. *Gothorum Imperatorem vituperat, quod manibus ipſe prælium iniverit. Improbat* Comin. *quoque* lib. 3. de bel. Gal. *præſentium principum congreſſus & pacta, quæ multò rectius per legatos expediri poſſint. Vſque adeo omnes Rerump. formæ indigent vicarijs, quos* Ariſt. cap. 13. 4. polit. *porrò ſubnectit, ſicut & leges capite proximo, ſed generalius & confuſius, cum paulò poſt* lib. 6 & 7. *diſtinctius & particularius explicentur. Nam cum* Ariſtot. 5. polit. cap. 1. *dicat omnia ferè à ſe pertractata eſſe, hoc inſinuat ſc: in genere, & quantum traditæ doctrinæ conveniat. Nam* 6. polit. in pr. *reſumit libri quarti doctrinam particularius percurrendam, quod & in progreſſu* libri 6. & in pr. 7. *exequitur, ubi Rerumpub. naturas peculiaribus circumſtantijs accommodat, & magiſtratuum officia minutius examinat. Vnde quæ ad omnes magiſtratus pertinent, excerpemus.*

Officia igitur Reipub. alia facit ordinaria, quibus Reſpub. ut ſalva ſit, carere non poteſt, alia extra ordinem inſtituuntur, prout res incidunt expediendæ. Illa quia ordinaria ſunt, lege definiuntur: horum munus lege non eſt definitum, ut ait Pompon. l. 2. §. Et hæc. 33. ff. de orig. jur. *qui vocat etiam curationes, quod curatorio tantum nomine adminiſtrentur. Talis erat olim dictator, quem* Oroſius *propter metum belli Sabini,* Livius *tum hujus, tum accedentis, Latini belli metu creatum tradit.* Halycarnaſſæus *verò quod plebs alieno ære gravata, ad Latinum bellum nomina dare nollet. Ad quamcunque autem cauſam dicebatur, re peracta cogebatur ſe abdicare.* Eutrop. li.

1.cap.11.Onuphr. in comm.Faſtor. *ideoq; curator erat, & non magiſtratus, ſicut nec Decemviri, qui legum ferendarum cauſſa tantum dicebãtur, nec tribuni militum conſulari poteſtate, qui tamen poſtea conſuetudine & continuatione officij ex lege in magiſtratus abierunt. Ad hunc ordinem refert* Ariſtot. 4. polit. cap. 13. *legatos, de quorum officio & ſanctitate, multa diſputari ſolent.*

Quibus verò munus ſuum lege præſcriptum eſt, nec ij unius ſunt generis. Liceat enim nobis cum Lipſio 3. polit. cap. 2 & 3. *adjutores Reipub. dividere in eos, qui Conſilio, & qui Auxilio proſunt. Illos Senatus nomine appellare ſolemus, hos magiſtratus. Magiſtro enim* apud Feſtum *idem quod impero. Hinc magiſtratus, quem majeſtas imperavit, vel cui imperat. Ab omnibus enim magiſtratibus ad majeſtatem datur provocatio, ſicut &* Cicero *tulit* 3. de ll.

Senatu carere nulla Reſpub. poteſt. Quemadmodum navis, ait Plato 6. de ll. *in medio mari noctes dieſq; cuſtodibus indiget: ita quoq; civitas in medijs aliarum civitatum veluti fluctibus cõſtituta, varijs inſidijs obnoxia, in eo eſt ſtatu, ut ne capiatur maximum ſibi impendeat periculum: idcirco & ex die in noctem, & ex nocte in diem, ſibi ſuccedere invicem cuſtodes oportet, ut perpetuæ excubiæ indeſinenter ſerventur. Quin etiam vulgus populare inſtar furentis ſali eſt, in quo niſi Senatus arte regat conſiliorum navim facilè naufragium facere poteſt. Et ſanè ſi omnes Politici rectè præſupponunt, armis ad defenſionem Reipub. opus eſſe, quantò magis opus erit conſilio, cum* Eurip. *rectè dixerit: Unicum rectum conſilium magnam militum manum vincit, quod* Polyb. lib. 1. *exemplo Xantippi Lacedæmonii, qui Regulum vicit, demon-*

ſtrat:

ſtrat.: & Darius Perſa, dicere ſolitus eſt, malle ſe tot Megabyzos habere, quot ſunt grana in malo punico, quam univerſam Græciam poſſidere. Herod.lib.4. *Nec Agamemnon, ad expugnandam Troiam, multos ſibi Ajaces, ſed Neſtores optat.* Homerus 2. Iliad. *Senatus igitur diligenter ratio eſt habenda, de quo, quæ huc pertinent, conſiderabimus, quantæ in Repub. autoritatis & poteſtatis eſſe debeat, quantus ſenatorum numerus, quod eorum officium, utrum principi obloqui, & quomodo debeant, &c. Atq; de hoc egit* Ariſtot. 4. polit. ad ſin. *diligenter, nec nulla* 6. polit. *particularius repetiit.*

Magiſtratuum ordo latius adhuc patet, quem Juriſconſultorum controverſiæ intricatiorem nobis fecerunt. Eas circa magiſtratus in genere quantum præſenti rei conducit, expediemus. mox ad diviſiones procedemus, quarum nec una omninò à politicis & Iuriſconſultis proponitur. Inſtituto noſtro utile eſt, ex officiis diſtingui magiſtratus. Nam alii ſunt apud Polonos, alii apud Germanos, apud Turcas eò pauciores, quo plures erant apud Imperatores Græcòs olim, ut patet ex C.Iuſtin. *Prolixum eſſet de omnium Rerump. peculiaribus magiſtratibus diſſerere quod ad Iuriſconſultos cujusq; Reipub. pertinet. Politico ſatis eſt, ſi magiſtratus illos inter ſe conferat, indeq; depromat officia, quæ omni Reipub. neceſſariò conveniunt. Inprimis in Democratia & Ariſtocratia opus eſt, generali quodam magiſtratu, cujus ſuprema lex ſit, Salus Reipub. quam* Cic. 3. de ll. *Conſulibus imprimis inculcat, quamq; Dictatori, aut alterutri Conſſ. olim injungebant: Videat, ne quid Reſpub. detrimenti capiat. Evenit, ut talibus quoq; in Monarchia opus eſſet magiſtratibus, qualis erat apud Impp. præfectus prætorio, apud Francos Major domus.*

Cæterum his ita indulgendum eſt, ne aliquando majeſtatem in ſe transferant, quod ſæpiſſimè factum fuiſſe, omnes hiſtoriæ teſtantur, & Ariſtoteles in 5. polit. *docet.*

Alter magiſtratuum ordo verſatur circa reditus publicos & ædificationes urbium, palatiorum, templorum, &c. Errat enim, qui putat citra ærarium Rempub. conſiſtere poſſe, imprimis ingruente bello. Nec abs re miratur Scipio Ammirat. in diſcurſ. ſupra Tur. *quid* Machia V. lib. 2. diſc. ſuper Liv. cap. 10. *in mentem venerit, quod nervos belli neget eſſe ærarium, quod tamen Archidamus Lace. nolens volens, contra leges ſuæ Reipub. confitetur* apud Thucyd. lib. 1. *Huc igitur, quæ ad ærarium conficiendum, ad ædilium officium, & his annexa referuntur, pertinent, quæ* Ariſtot. lib. 6. & 7. *ſatis eleganter pertractat.*

Denique ad exercendam juſticiam novo opus eſt magiſtratu, quod Pirata Demetrius objeciſſet Alexandro M. cum ab eo rationem reddere cogeretur, quare Piraticam exercuiſſet, eadem, inquit, ratione, qua tu per totum orbem terrarum latrocinium agis. Unde Auguſtin. de civitat. Dei cap. 9. *elicit, magna regna à magnis latrociniys nihil differre, niſi per juſticiam. Iuſticia igitur maximè in Repub. colenda eſt. Duæ verò ſunt juſticiæ partes, diſtributiva & commutativa, quarum altera honores, altera pœnas diſtribuit & commercia curat, hæc proportione Arithmetica, illa Geometrica. Utrique parti oportet cuſtodes proponi diligentes, Nam, qui ſolis ſupplicijs ſtudent, interim benè meritos nullo honore mactant, eos* Iſoc. in Areop. *meritò ridet, quod licet nonnullos deterreant à ſceleribus, nullos tamen invitent ad virtutes.*

Imo

Imo bonus ſegnior fit, ſi negligas, ſicut malus improbior. Saluſt. in Iug. *Qui præpoſiti ſunt contractibus corrigendis & ſupplicijs irrogandis, judices vocantur, aut prætores, ſi judices accipiamus pro ijs, qui mandatam gerunt juriſdictionem. Cæterum præter hos opus eſt Cenſoribus, qui moribus præfecti ſint, & ea corrigant, quæ judicibus per leges corrigere non licet, ſive quod legibus comprehendi non potuerint, ſive quod ſupplicia aut pœnas non mereantur, ſed ruborem tantum aut levem ignominiam. Oſtendit* Liv. lib. 4. Plut. in Cat. Mai. *quam neceſſarium ſit hoc officium, quantumq; Romanorum incrementis profuerit, &* Cicc. in Piſon & alibi, *Clodium meritò inſectatur, quod cenſuram ſuſtulerit. Nec vero in corrigendis moribus abſumitur totum officium Cenſorum, ſed* Aſcon. lib. 1. in Ver. *addit aliam partem, quæ ad diſtinguendos cives, pro differentia ætatum, dignitatum, conditionum, patrimoniorum pertinet, cujus uſus recenſet* Flor. lib. 1. hiſtor. Roman. cap. 6. *Ita vt duplex ſit officium Cenſorum, de quorum utroque ſeorſim agendum eſt.*

Poſthac de legibus conſideratio ſubnectitur. Sunt quidem in genere leges neceſſariæ, vt quos dicente Iohan. *XXII.* cap. ut quos Ext. com. de offic. jud. ordin. *virtutis amor à vitiis non abigit, eos ſeveritas diſciplinæ cogat: Verùm hic de legibus cõſiderandũ, quod per eas tanquam inſtrumenta, gubernet majeſtas ſubditos. Nam lex eſt, quæ cogit, lex eſt, quæ punit, ſeu potius ipſa majeſtas, quæ legem armavit. Facti quidem quæſtio, ait* Papini. l. 1. §. 4. ff. ad Sc. Turpil: *in arbitrio eſt judicantis, pœnæ verò perſecutio, non ejus voluntati mandatur, ſed legis autoritati reſervatur.*

De Cu-

De curatoribus res planior eſt, cum legati Romanorum ad Tarentinos miſſi, ne iujuriam quidem ſibi factam expoſtulare voluerint, ne ultra mandatum quicquam agerēt, Valer. lib. 2. cap. 2. *In omni igitur officialium genere opus eſt legibus, tùm verò ad hoc etiam, vt licet, qui ultrò officium faciunt, non cogant, ijs tamen voluntatem ſummæ poteſtatis aperiant, quidſc: à ſubditis fieri velint. Alioquin ad ea, quæ ſcire non potes, non eſt obligatio.*

Leges verò fruſtrà feruntur, niſi ita inſtituti ſint animi, vt legibus obtemperare ſciant. Quem mali mores corruperunt, illi, ait Seneca Ep. 94. *fruſtrà præcipis, ſic vives cum patre, ſic cum uxore. Nihil enim proficient præcepta, quam diu menti error obfuſus eſt. Si ille diſcutitur, apparet, quid cuiq; debeatur officio. Cum igitur legibus præparet animos ſubditorum Inſtitutio, imò leges etiam antevertat, quandoquidem benè inſtitutis, legibus opus eſſe negabat Lycurgus, meritò cum legibus de Inſtitutione præcipiendum fuit.* Ariſtot. *reſervavit ſibi hunc tractatum* ad fin. polit. *quod ſit ultimum inſtrumentum, quod reſolvendo invenitur. Comprehendimus autem Inſtitutionis nomine hominis curam, à primo conceptionis tempore, uſq; dum plenus fit Reiqub. civis. Multum enim intereſt primordia vitæ, rectè poni, quia,* dicente Cicer: ad At. *vt malè poſuìmus initia, ſic cætera ſequuntur: & vitium in principiis parvum, maximum fit in progreſſu, ut* ait alibi Ariſtot. 1. de cœl. t. 33. *Educatio verò jam editi infantis aut publica eſt aut privata. Privatam remittit Politicus ad Oeconomicam, niſi quod eam patribus familias præcipiat, publicèq; proſpiciat, ne mendicorum & otioſorum hominum copia gravet Rempub. contra quos Amaſis elegan-*

elegantem tulit legem, Herod. lib.2. *à Solone quoq; uſurpatam, & ex inſtitutione Gymnoſophiſtarum Chinenſibus relictam.* Bernardin. Scharland. in deſc. Chin.

Publicam verò ordinat & præſcribit Politicus, quò cives ita inſtituantur potiſſimum, prout Reipub. conducit. Nam aliter ait Ariſtot. *in Ariſtocratia, aliter in Democratia, aliter in Monarchia convenit cives aſſuefieri: aliaque officia alijs Reſpub. plus proſunt. Hinc certa inſtitui oportet collegia iſtarum artium, quas Reſpub. maximè florere cupit, non tantum illiberalium, ſed & liberalium, quas Scholas vocant ab otio, tam particulares, quam univerſales, ſeu Academias. Quod enim de harum jure & ſtudijs Politico diſputandum eſt huc pertinet.*

Denique hujus loci eſt Conſuetudo, quæ perinde, ut Inſtitutio, animos hominum occupat, cum ſit tacita inſtitutio: quod inſinuavit Horat. lib. 1. Sat.4. *ubi poſtquam dixerat: deniq; teipſum conente, num qua tibi ditiorum inſererit, olim Natura, addit: aut etiam conſuetudo mala. Namque Neglectis urenda filix innaſcitur agris: in quem locum notat* Berſman. *illud* Hippoc. ἐπίκτητοι φύσιες τὰ ἤθη, *imo vim quoq; legis habet, ut ait* Iuriſc. l. Sed & ea ff. de ll. *ſi ſatis longo tempore fuerit obſervata. Quin & Iacobus I. Rex Britan.* lib.2. Baſyl. dori. *filium admonet, ut ingenia, naturam, mores & affectus hominum accuratè indaget, priusquam ad ſalutaria remedia deſcendere poſſit.*

Completa jam ſunt omnia, quæ eſſentialiter ad conſtituendam Rempub. requiruntur. Sola reſtat Religio, de cujus introductione & conſervatione nonnulla quoq; Politico præcipienda ſunt. Verum, quia dum hæc ſcribo, longè adhuc à Iuventutis annis abſum, nolo mihi de re tam ſeriâ

judicium ſumere, ne mihi obijciat quisquam, quod Photeæ Rhetori contra Alex. M. peroranti objectum fuit: Audeſne juvenis de tam magnis rebus loqui? Plut. de gerend. Repub. *Recognoſco & illud Judæorum, non eſſe ante 30. an. ſecreta ſcripturarum inveſtiganda, nedum ante juventutem diſputanda.* Ioh. Pic. in Heptapl.

Hactenus, quæ ad conſtituendam Rempub. faciunt, propoſuimus: reſtat adhuc liber 5. polit. *in quo* Ariſtot. *poſtquam* cap. 1. *dixerat, expedita ſibi ferè eſſe omnia, quæ propoſuerat, pergit de corruptione Rerumpub. agere, in quo Methodum Medicorum imitatur. Cum enim* Galeno ad Thraſyb. cap. 30. 1. de ſan. tuend. c. 1. 9. Method. poſt. med. & Averroi 1. Collig. c. 1. *duæ ſint Medicinæ partes, altera de tuenda ſanitate, altera de abigendis morbis, eò, quod duplex finis ſit, diverſis medijs procurandus, conſervatio ſanitatis & depulſio morbi: Ex eadem ratione duæ erunt Politices partes, altera, de conſtruenda & ſervanda, altera de corrigenda Repub. ejusq; corruptione antevertenda. Nam, qui ſubtiliter factum emendat, laudabilior eſt eo, qui primus invenit,* ait Imp. § 4. de concept. ff. ex Ariſtot. 4. polit. c. 1. *Diverſæ autem ſunt hæ duæ partes, propter diverſitatem tum finium, tum mediorum.*

In hac parte Ariſtot. *iterum obſervat ordinem Analyticum, ſicut & Medici in Pathologia, primo loco explicant morbos & eorum differentias, quod inde finis cognoſcatur, Ita Politicus primo loco explicat corruptiones Rerumpub. diſtinguitque naturaliter ſeneſcentes Reſpub. à violenter, ſeu per morbum peſſum euntibus. Sicut enim, Tempus edax rerum, tuq; invidioſa vetuſtas, paulatim lenta conſumitis omnia morte;* Ovid. lib. 15. Metamorph. *ita Reſp.*

ut Pa

vt Polyb. ait lib.6. & Agath. lib.1. hiſtor. *auxeſis quædam eſt ſecundum naturam, deinde vigor, poſtea rurſus diminutio.*

Per morbum verò interit Reſpub. quando vitium contrahit, ante diem, & per illud vel adulteratur, id eſt, vt eodem ſtatu manente, degeneret in pejorem gubernationem, puta ex Regno in Tyrannidem: vel prorſus interit & à ſtirpe excinditur, intereunte civitate unà cum Rep. vel denique tranſmutatur in novum ſtatum, manente civitate, novamque formam induente, quod 3. polit. c. 2. Ariſt. *adumbravit. Hæc vocatur propriè Converſio, quod Reſpub. una mutetur in aliam.*

Cum verò morbum tollere medicus non poſſit, quam diu cauſſa durat, morbumque fovet, 10. Meth. c. 1. *unde in regulari cura, morbi cum cauſſa conjuncta, prima, quoad operandum, indicatio deſumitur à cauſſa: nec Politicus ſine cauſſæ cognitione, morbos Rerumpub. curare poteſt. Vnde* Ariſtot. *jure ſubijcit cauſſas everſionum, quæ aut remotæ ſunt, aut propinquæ. Remotas intelligo, fatum, aſtrorum inclinationem, numeros Platonicos &c. quas* Ariſtot. *præterit, quod non remotarum, ſed proximarum cauſſarum ratio Politico ſit habenda, ſicut Caſſius innuit, cum à Chaldæo vetaretur Parthos laceſſere, priusquam Sol Scorpij ſidus evaſiſſet: Non, inquit, Scorpiones metuo, ſed Sagittarios. Nec propterea voluntatem aut decretum Dei contemnit* Ariſtot. *ſed ubique præſupponit, quod ſine ejus concurſu nihil fieri poſſe crediderit. Nec enim numen abeſt, ſi ſit prudentia, vt* ait Poeta.

Proximarum cauſſarum aliæ prorſus ſunt per accidens, quas cum omnes ſimul commemorare nequeat Ariſtot.

uno atq; altero ſimili exemplo innuit. Apri caput Ætolos & Arcadas contra ſe armavit: Pictos & Scotos ereptus canis. Cervus ſaucius Latinos & Troianos. Macrob.5.Sat. c.17. *Sed ſi vis cauſſæ conſideretur, minor eſt, quam ut per ſe ad evertendas Reſpub. ſufficiat. Proinde* Ariſtot. *eas ordine proponit, quibus tanta vis eſt, ut per ſe queant Reipub. ſtatum deſtruere. Duplices autem eas facit, Externas, ex quibus bellum, Internas, ex quibus oritur ſeditio. Has pertractat primùm in genere, utpotè* κέρδος, τιμὴν, ὕβριν, φόβον, ὑπεροχὴν, καταφρόνησιν, αὔξησιν, τὴν παρὰ τὸ ἀνάλογον, *Item* ἐρίθειαν, ὀλιγωρίαν, μικρότητα, ἀνομοιότητα. *Mox de peculiaribus corruptionum cauſſis in ſpecie conſiderat, & quia tres ſunt primi ſtatus Rerumpub. de Democratia, & paucorum ſtatu primum, deinde peculiariter de Monarchia agit, quæ privatim quamq; Remp. corrumpere maximè ſoleant, diligenter ediſſerens.*

Tertium, idq; potiſſimum, cujus gratia cætera hujus partis præmiſſa oportuit, eſt remediorum inventio, quibus vitia cadentium Rerumpub. curare poſſimus, aut etiam præſervare. Nam, quæ cum curativâ mixta eſt προφυλακτικὴ, Galeno 11. Meth. c.2. *ad* θεραπευτικὴν *revocatur. Tradit autem* Ariſtot. *primùm præcepta generalia, quæ cauſſis & corruptionibus univerſalibus, reſpondeant, quale eſt: Principijs etiam leviſſimis obſtare: nihil facilè nec citò immutare:* δημαγωγῶν *præſtigijs fidem non habere: prudentes magiſtratus præficere, quod in ijs ſalus Reipub. procumbat, &c. Deinde in ſpecie ſubijcit remedia, quæ omnibus proſint vitijs, & quomodo cauſſæ vel ſint præoccupandæ, vel ſi altius radices egerint, excindendæ, oſtendant.*

Hactenus curatio internarum ſeditionum. Ita enim diſtin-

diſtinguit Plato 5.de Repub. *Inimicitias, quæ inter familiares incidunt, ſeditiones eſſe, quæ inter extraneos, bellum. Sequitur nunc corruptio à cauſſa & vi externa, quæ propriè bellum eſt: Cujus tractationis omninò duo ſunt capita: Alterum de jure belli: alterum de commodiori bellum ducendi modo. Ius belli continet jus feciale Romanorum, de denunciando bello, de feriendo fœdere, pactione aut ſponſione, &c. Hæc enim diſtingui* Sigon. *docuit,* 1. de jur. antiq. Roman. *&* Bodin. lib. c. 4. polit. c. 6. *Imo ipſe* Liv. lib. 9. & in eius libri Annotat: Godelevæ: *ſatis apertum inter fœdus & ſponſionem diſcrimen ponit. Fœderis iterum tria ſunt genera, quæ vide apud* Hottoman. in comment. ad 5. Verr.

De modo verò ducendi bellum ea proponemus, quæ ex hiſtoricis obſervata ſunt, quæq; alij, qui partim ipſi bellis interfuerunt tradiderunt, vt Polyb. Leo, Vegetius, Mauritius, Aelianus, Xenophon, Machiavell. Franceſco patrit. in Parall. milit. Frontin. Polyæn. Caſtellan. Onoſander, Syneſius. *Nec nihil obſervavit* Lipſius in lib. 6. Polyb. *Cætera bellatoribus relinquimus, ne Hannibal quiſpiam aurem Phormioni vellicet, vetetq; fabrum ultra incudem ſapere.*

Ex ijs, quæ hucuſq; decurrimus, ſatis conſtare puto, non alium quam Analyticum ordinem obſervaſſe Ariſtot. *in Politicis, quippe, cum nec alium obſervari potuiſſe rationibus demonſtratum ſit. Invenies tamen quamplurimos,* Caſum 1. polit. c. 1. Victor. in pr. comment. Zuinger. in præf. *& imò pleroſq; alios, qui Synthetico ordine* Ariſtot. *uſum contendunt, primo Polit. libro, & principio ſecundi decepti. Nam cum in primo libro de familijs, in tertio initio de civitate agat, putant hæc ab* Ariſt. *loco principio-*

rum præmitti, cum tamen res longè aliter ſe habeat, ſi ad regulas Logicas revocetur. Nam ſi ordinem Analyticum inchoavit Ariſtot. *cum diſciplina Politica uniformis ſit, debuit eundem toto diſcurſu continuare. Oſtenſum tamen fuit, quod à Repub. tanquam toto deſcendat ad partes & media explicanda, donec in primo medio acquieſcat, videlicet educatione, quæ ultimum quidem eſt in inveniendo, ſed primum in operando. Præterea civitas & familiæ non ſunt principia, per quæ conſtituitur Reſpub. ſed ſunt materia, in quam Reſpub. tanquam forma inducitur. Reſpub. enim forma eſt & anima civitatis, ſicut* Ariſtot. 3. polit. 1. & 2. *demonſtravit. Materia verò non eſt principium formæ. Proinde, ubi illi principia tractari putant, ibi ſubjectum explicari, ex doctrina Methodi cognoſcimus. Omnium enim artium primum officium eſſe, ſuum ſubjectum explicare, optima ratione enunciavit* Aver. 1. Coll. c. 2. *Id quod fieri debere* Ariſt. 1. Eth. c. 13. *exemplo oculi docuit, quod* Galen. 1. Method. c. 6. *latius examinat, &* Celſus *quoq;* lib. 4. c. 1. *inſinuat, dum ſubjecti explicationem particularibus morbis præmittit, quaſi prævideret, non poſſe diſciplinam practicam ſine ſubjecti præcognitione abſolvi. Hac enim ratione coactus fuit* Ariſtot. 1. Ethic. c. ult. *de anima rationis participe, & in veſtibulo Logices de prædicamentis agere, ut* Galen. cenſet 2. Method. in fin. *quod utrobique contineatur materia ſeu ſubjectum.*

Nam ſi aurifaber neſciat aurum capax eſſe iſtarum operationum, quas ipſi meditatur introducere, nunquam de ipſis operationibus conſilium inire poteſt. Ex quo apparet neceſſitas, quare in diſciplinis practicis ſubjectum primo loco ſit explicandum.

Oportet

Oportet enim non tantum in ſcientijs, vt Ariſtot. *præcipit* 1. poſt. t. 73. 2. poſt. t. 42. *Sed & in practicis diſciplinis ſubjectum præcognitum eſſe, quod ignorato ſubjecto neceſſe ſit, & cætera ignorari, quæ ex ſubjecto dependent, quæq; intereunte ſubjecto, interire neceſſe eſt.* Scotus *quidem* 1. Metaph. q. 1. & Anton. And. 1. Metaph. q. 1. m. 3. *volunt, ſubjectum à poſteriori poſſe in ſcientia demonſtrari, ſed quia in tantum ſunt cætera in quantum eſt ſubjectum, rectè* Aver. 1. poſt. com. 73. Thom. in proœm. phyſ. Zimar. in ſolut. contrad. 14. ad poſter. & Theor. 53. Zabarell. 2. de conſt. Logic. 2. Metho. & in lib. de trib. præcog. *Volunt in omni ſcientia ſubjectum debere præcognitum eſſe, quodſi ignotum fuerit, vt in ſubjectis diſciplinarum practicarum evenire neceſſe eſt, in principio artis declarandum eſt, ſicut* Aver. 1. lib. Collig. & Fernell. lib. 1. phyſiol. *corpus humanum in Medicina declarant. Anatomia enim non alio jure ad Medicinam pertinet, niſi quod ſubjectum ejus in partes diſſectum ruditer, &* ὡς ἐν τύπῳ *explicet. Nam & hoc quoq; ſciendum: Subjectum debere rudi tantum Minerva, quantum præſenti conducit inſtituto, proponi, qua in re hallucinatur* Ramus in Schol. Log. *cum ſuis aſſectis, dum* Ariſtot. *repræhendit, quod prædicamenta exactius non tradiderit. Nam exactam eorum cognitionem Logica non exigebat: ideoq; ſi quid præterea tradidiſſet,* Ariſtot. *peccaſſet, & ſupervacanea tradidiſſet. Subjectum enim eatenus debet explicari, quatenus, vt ait* Aver. in Epit. prædica. c. 4. *artem adjuvat. Iam omnes minutiæ rei ſubiectæ, tantum abeſt, vt adjuvent artem, vt potius impediant, tantò quippe difficiliorem futuram, quantò pluribus ſupervacuis ſubtilitatibus gravatur.*

Nec

Nec enim Ethicus de rationali & ſenſitiva anima, plura ſcire tenetur, quam quæ ad cognitionem virtutum conducunt. Cætera ad Phyſicam, & fortaſſe etiam ad divinam ſcientiam pertinent, καὶ ὀδὲν περὶ τὸν νῦν λόγον. *Nam, quæ nihil ad inſtitutum faciunt, omninò abundare putanda ſunt.*

Subjectum igitur Politices primo loco adumbrari oportuit, civitas verò eſt ſubjectum Reipub. prout 1. Oeco. c. 1. *docuit*, Ariſtot. Thom. 1. polit. in pr. Ian. de Nor. in lib. de conſtit. Polit. & ipſe Caſus 1. polit. cap. 1. *Huic enim inducitur Reſpub. per media, quæ in ſynopſi propoſuimus, & in progreſſu declarabimus latius. Propterea in* pr. 3. lib. *antequam Remp. aggrederetur, ſumſit Philoſophus civitatem* ὡς ἐν τύπῳ *ſibi explicandam.*

Civitas verò, cum ſit totum aggregatum ex pluribus familijs 1. Oecon. c. 1. 3. polit. c. 1 & *2. cognoſci ſine ijs non poteſt, cum confuſe cognoſcatur totum quam diu partes ignorantur, vt docet* Ariſtot. *1.* poſt. c. 1. & ex eo Thom. 1. p. q. 85. a. 3. in corp. Zimar. in q. de prim. cognit. Scot. 1. diſt. 3. q. *2.* in pr. Ocham. *1.* d. 3. q. *5.* Fonſec. 1. Metaph. c. 2. q. 2. ſ. 1. *Propterea* in 1. libro polit- Ariſtot. *præmiſit familias, tum de ijs diſputans in genere, tum in ſpecie, ſingulas ſocietates earum percurrens, quæ ſunt: viri & uxoris: Domini & Servi: Parentum & liberorum.*

Intereſt autem inter doctrinam Politicam de familijs & Oeconomicam, ſicut Xenophon. in pr. Oecon. *rectè docet. Non enim habenda eſt Oeconomica pro parte aut appendice Politices, quæ eſt opinio* Piccolom. in Introd. c. *9.* Caſ. in præfat. Oecon. *cum alium finem habeat, & alia omninò tradat præcepta. Politicus enim tantummodo familias conſiderat, quatenus ſunt partes civitatis, & com-*

muni

muni Reipub. juri ſubijciuntur. Quæ verò privatis Oeconomiæ terminis includuntur, utpote, modi acquirendi, & conſervandi familias, præcepta regendæ uxoris, & ſervorum, vel educandorum liberorum, cum privatim competant familijs, non quatenus illæ ſunt partes totius civitatis, Ariſtot. *meritò* in libris Oecon. *ſeparatim pertractavit, vt ita reſpectivè tantum Politica conſideret familias, quatenus ad civitatem & Remp. rediguntur.*

Atq; hæc jam eſt integra totius Politices delineatio, prout ab Ariſtot. *primo Methodi artificè octo libris comprehenſa eſt. Solus reſtat liber ſecundus, cui locum nondum aſſignavimus. Sed qui artificium* Ariſtot. ex 1. phyſ. *1.* de an. 1. Metaph. *1.* Eth. *didicit, facilè intelligit, quid in hoc ſecundo lib.* Ariſtot. *ſibi agendum propoſuerit. Quia enim, facilius, quid quidq; non ſit, quam quid ſit, intelligimus,* Ariſtot. *cognitionis noſtræ rationem habens, plerumq; ſolet ab impugnatione & refutatione falſarum opinionum initium facere, vt dum, quid res non ſit, diſputat, ſenſim deducat auditorem, ad id, quod res eſt. Ita in ſecundo quoq; libro examinat varias legumlatorum Reſpub.* Socratis, Solonis, Lycurgi, Minois, Hippodami, Phaleæ, &c. *& in ſingulis, quid probet, quid repræhendat, annotat, vt hac via planiorem ſibi faciat aditum ad veram opinionem explicandam. Vnde patet, ſecundum librum Interjectitium eſſe, & continere tantum refutationes Rerump. ab alijs minus rectè fundatarum. Hoc igitur lib. omiſſo, materiam noſtram perſequemur, à familijs facto initio, quod eas primo loco tractari conveniat, quia ſunt partes Subjecti.*

CAPUT II.

De Familiis in genere.

DIſputat Anton. Mirandul. in lib. de honor. *Politicam ex accidenti obortam fuiſſe, propter hominum malitiam. Si enim omnes probi eſſemus, non indigeremus Politia, legibus & magiſtratibus, ſicut* Ariſt. 8. Eth. 1. *ratiocinatus eſt: Si omnes eſſemus amici, nullus eſſet locus juſtitiæ. Propter hoc enim conduntur ſtatuta, vt humana coërceatur audacia, & inter improbos innocentia ſecuritate lætetur* In ſtat. Polon. lib. *1.* c. 2. a. 3. *I*ſidor. 5. Etymol. c. Factæ 1. diſt. 4. *Verum hæc opinio erronea eſt, quoniam imperantium & parentium gradus adhuc oporteret diſtinctos eſſe, licet omnes præſupponerentur probi, ſiquidem non poſſemus omnes ſimul imperare. Quinetiam in bonis Rebusp. non tantum pœnæ infliguntur maleficis, ſed & præmijs mactatur virtus. Eſto, ſint omnes probi, adhuc tamen Politia opus eſt, vt virtuti ſuus habeatur honor. Deniq; opus etiam eſt præceptis Politicis, vt inſcia mens, quæ virtutum omnium rudis naſcitur, quid agendum ſit, quid fugiendum, inde diſcat. Alioquin non advertit* Mirandul. *ſe eo argumento univerſam diſciplinam moralem, omnia præcepta virtutum ſupervacanea aſſerere, & ex accidenti.*

Sicut igitur univerſa moralis diſciplina, ita & Politica per ſe inſtinctu & ductu naturæ conſtitit. Plato *quidem* 3. de ll. *& ferè* Machiav. lib. *1.* diſc. ad *1.* Dec. Liv. cap. *1.* Iohan. Marian. li. 1. de reg. & reg. inſtit. c. 1. *homines putat primùm egeſtate & neceſſitate compulſos ſocietatem iniiſſe. Sed* Ariſtot. 4. polit. c. *4. illam ſententiam meritò improbat, quoniam,* ut in loci illius enarratione dicit Tho-

mas,

mas, *civitas non eſt propter ipſum vivere, ſed propter benè vivere. Poſſumus enim utcunq; extra ſocietatem vivere, ſicut* Homerus *citatus* ab Ariſtot. 1. polit. c. 2. Plat. 3. de ll. Cic. 2 de ll. Plut. in Theſ. Thuc. li. 1. *Majores olim noſtros habitaſſe ſcribunt, ita, ut præciſe ad converſationem aliorum neceſſitas nos minimè compellat.: ſed tamen etiam in rerum omnium abundantia honeſtas & naturalis inſtinctus hortatur animos ad ſocietatem appetendam. Id quod* Ariſtot. 1. polit. c. 2. *non uno argumento planum facit, tum imprimis ex eo, quod homo natura ſit animal ſociabile, quod & Epicurus pro principio rectè ponit*, apud Arrian. Epict. li 1. cap. 23. *ideoq; à natura, etiam ceſſante indigentia, ad ſocietatem impellatur.*

Probat etiam ex ſermone, quo uno ferè ſecundum Plutarch. *homo differt à brutis. Hunc enim propterea natura indidit homini, ut animi ſui ſenſa aliis exprimere poſſit. Unde voces vocantur* Boetio *ſigna, animi conceptus aliis patefacientia.* Edit. 1. in 1. c. 1. de interp. *Hoc autem oportet in ſocietate fieri: Et quia natura, quippe quod ſit ſapientiſſima*, prout ediſſerit Scalig. ex. 6. *fruſtrà ſermonem non indidiſſe putanda eſt, nec ipſa voluit hominem in tenebris aut ſolitudine vivere, ſed cum aliis in publica ſocietate, ubi ſermonis uſus eſſet. Poſthac, ſicut apes*, dicente Cicerone, *congregantur, non ut favos faciunt, ſed cum natura coeunt, tum favos faciunt: Ita poſtquam coierunt homines, duce natura, tum demum verterunt ſtudia ſua ad vitæ neceſſaria comparanda. Atq; hic jam ſecundarius finis eſt, quem cum vulgus potiſſimum reſpiciat, quod honeſtatem ſuiq; deq; habeat, hinc dixit* Ariſt. 1. polit. c. 2. *vivendi cauſa natam eſſe civitatem, non quod is ſit finis, abſolutus & primus Reip. ſed quod homines eum ſibi, cum primū ſocietatem inierint, neglecto primario, propoſuerint.*

 Si

Si enim naturæ ductum ſequi voluiſſent, ad honeſtatem primum reſpicere debuiſſent, quam natura utilitati ſemper præponit. Honeſtè enim ſecundum virtutes, niſi cum alijs, in ſocietate vivere non licet, quo argumento Ariſtot. 8. Eth. *demonſtrat etiam felicem indigere amicis, ut ſcilicet ſint, erga quos virtutes exercere queat.*

Ut autem ex fontibus naturæ ſocietates deducamus, notum eſt rebus omnibus inditam eſſe, ſe conſervandi cupiditatẽ, & primæ cauſſæ æternitatem aſſequendi. Quæ jam in individuo ſe conſervare nequeũt, per propagationẽ in ſpecie conſervant: Unde naſcitur appetitus Veneris, non homini ſolum, ſed & cæteris animantibus communis. Quia, dicente Iuſtin. de jur. nat. inſtit. *à jure naturæ deſcendit maris & fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus, & ante eum* Cicer. 1. de offic. *Commune animantibus omnibus eſt, conjunctionis appetitus, procreandi cauſſa & cura eorum, quæ procreata ſunt. Ante utrumq;* Ariſtot. 1. polit. c. 1. *Neceſſe eſt primum copulari eos, qui ſejuncti eſſe non poſſunt, ceu fœminam & marem procreandi cauſſa. Atque hoc non conſilio aut voluntate, ſed quemadmodum & in alijs animantibus & ſtirpibus, natura datum eſt appetere, quale ipſum eſt, tale relinquere alterum. Innuit* Ariſtot. *primis verbis, etiam aliam rationem iſtius naturalis appetitus, quam 1.* phyſ. c. ult. *exponit: Imperfectum ſcilicet, qualis fœmina eſt, naturaliter appetere ſui perfectionem in mare.*

Prima igitur ſocietas, & ut Cicero ait *1.* de Offic. *ſeminarium Reipub. ſeu fundamentum ſocietatum reliquarum eſt conjunctio maris & fœminæ, ex qua prodeunt liberi, & ad horum ſuſtentationẽ neceſſarij ſervi, qui complent*

totam

totam familiam, ſicut mox dicemus, ſi prius familiæ ſignificata varia diſtinxerimus.

Familia enim aliquando ſignificat univerſam rẽ familiarẽ, quam Xenop. in Oec. οἶκον *vocat. Domus, inquit, idem eſt quod univerſa poſſeſſio. Nomine poſſeſſionis appellamus, quod ad vitam cuiq; eſt utile. Eo ſenſu* Terentius *ait:* Decem dierum vix mihi erit familia, & Plaut. in Pſeudol. *Suſtenta tu miſericordia familiam. Lex 12. refertur* à Cicer. 1. ad Herenn. *paterfamilias uti legaſſit ſuper familia, pecuniaque ſua, ita jus eſto, in qua familiam pro tota poſſeſſione accipi, ex interpretatione Juriſconſultorum patet. His enim verbis eandem retulit* Pompon. l. verbis 120. de V. S. *Uti legaſſit ſuæ rei, ita jus eſto,* Vlpianus *verò* tit. 11. §. teſtam. 14. *uti legaſſit ſuper pecunia, tutelave rei ſuæ, ita jus eſto, ſive, ut* legit Cujac. ſuper Inſt. ad l. Aquil. *ſuper pecuniæ, tutelæve rei ſuæ, quæ lectio deſumta eſt* à Paulo l. Sæpe 53. de V. S. *Eo ſenſu ſumitur quoq;* tot. t. de famil. herciſc. & Inſtit. §. 4. de offic. iud. *Quid enim aliud eſt familiam herciſcere, quam hæreditatem dividere.* Borcholt. Inſt. d. loc.

Deinde accipitur familia pro ſtemmate, ſeu gente, l. 195. ff. de V. S. & l. 196. eod. *ubi liberi negantur eſſe in familia fœminarum. Iure autem proprio definit* Vlpian. 195. § familiæ de V. S. *familiam plures perſonas, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut jure ſubjectæ cæterum, præterquam quod hæc definitio collegiis quoq; competit, quæ ſcilicet ab uno præſide reguntur, non exprimit etiam veram familiæ eſſentiam. Familia enim licet pro perſonis ipſis alicubi ſumatur, tamen, ut* de Ariſtotele habemus 1. Oecon. c. 2. *propriè nomen Iuris eſt, non perſonarum. Eſt enim familia, parva quædam Reſpub. ut* 1. Oecon. c 1. *di-*

*citur, & in proportione,*8.Eth.*prolixè oſtenditur. Sicut igitur Reſpub. non per civium perſonas, ſed* τάξιν *ſeu adminiſtrationem definitur: ita oportet familiam quoq; definiri, quod ſit recta gubernatio eorum, quæ ſub imperio unius patrisfamilias continentur.*

Quot verò perſonæ ad familiam requirantur, nec Vlpian. *expreſſit, nec* Ariſtot. *In promptu tamen eſt oſtendere, quod de collegijs ICtus enunciavit:* l. Neratius de V.S. *tres facere collegium, optimo jure de familijs quoq; dici poſſe. Æſtimandus enim eſt numerus perſonarum ex fine familiarum, cum familiæ tantum ad fines ſuos comparatæ ſint, Quæ autem ſic ſunt, eorum natura ex fine æſtimari ſolet. Duplex autem eſt finis familiarum procreatio, ſobolis & ſuſtentatio liberorum. Vnicuiq; enim debetur alimentum ex eo, unde natura fuit, & ſic parentes de jure naturæ coguntur liberos alere.* l. vnusquisq;. 2.C. de infant. expoſ. *Ad ſobolem autem procreandam opus eſt viro & uxore, ad ſuſtentationem familiæ ſervis. Ideoq; tres minimum ad familiam complendam ſufficiunt: id quod priſco ſeculo jam dudum docuit* Heſiod. 2. oper. & dier.

Poſtquam enim juſſerat πρώτιστα μὲν ζητεῖν οἶκον, *id eſt, poſtquam ſibi finem propoſuerat, cui erant indaganda inſtrumenta, deinde ſubijcit, quærendam eſſe uxorem, & mox* βοῦν ἀροτῆρα, κτητὴν οὐ γαμετὴν, *illam ad procreandam ſobolem: hanc ad ſuſtentationem familiæ. Non inficior* Ariſtot. 1. polit. cap. 3. 1. Oecon. cap. 2. & Vlpian. l. 40. §. 2. de V. S. l. 195. §. Eod. *complecti in familijs quoque liberos.*

Sed, ſicut in Logicis concluſionem oſtendimus accenſeri Syllogiſmo, licet ejus non ſit pars, ſed finis, ut docetur 1. prior. c.

or. cap.26. ab Aver. 1. prior. cap. 1. & 25. *ita liberi quoque, poſtquam à familijs producti ſunt, ijs annumerantur non tanquam partes, cum multæ familiæ conſtent ſine liberis perfectè, quoad ſuam naturam, ſed tanquam effectus, perinde vt poſſeſſiones. Nam & has familijs immiſcet* Ariſtoteles *quando familiam componit ex homine, & poſſeſſione, ubi* Aretinus *&* Caſus *poſſeſſionem interpretantur pro re inanimata, ſeu pro quavis re ad familiã ſuſtentandã utili, quam divitias propriè vult nominari* Averr. tract. 3. de Repub. *Nec tamen poſſeſſiones in ſua definitione complexus eſt* Vlpianus.

Dixi ad Familiam ſufficere ſervum, quem tamen nolim in individuo, vt marem & fœminam intelligi, ſed in ſpecie. In uſu enim juris, frequenter uti nos Caſcellius, *ait ſingulari appellatione, cum plura eiusdem generis ſignificare vellemus.* l. 58. de V. S. *Vnde unius ſervi nominationem ad intelligendam familiam ſufficere ICtus docet,* l. 1. § ſed quæritur, 17. de vi & vi armat. *Marem verò & fœminam in individuo intelligere debet Politicus, ſiquidem rectas & honeſtas conſtituere velit familias. Licet olim, cum flagitium non eſſet plures ducere vxores, Salomonis famil. 700. concubinas & uxores,* 3. Reg. 11. *Commodi 300. concubinas,* Lamprid. in comm. *Vlodimeri Muſcovitæ 500. uxores habuerit.* Sigiſmundus Bar. in hiſt. Muſc. *Nec nunc Turcarum Rex multò pauciores habere ſolet, quæ ratio tamen familias non multiplicavit, cum, vt nunc ſervum, ita tum uxorem in ſpecie, non individuo intellectam oportuit. Multitudo enim ſervorum non facit diverſitatem in familia, cuius naturam non ex multitudine, ſed differentijs perſonarum metiri debemus. Craſſus quidem 500. ſervos in cenſũ retulit & Milo uno die 300. ſervos manu miſit, ne in Clodij cædem torquerentur.* Aſcon. in Milonian.

Sed

Sed familiæ illorum non magis familiæ cenſendæ ſunt, quam Antonij conſularis viri, qui 8. ſolum ſervos domi habuit, aut Carbonis, qui uno minus, aut Marcij Curij, tot adoreis longè incluti, quippe, qui ter triumphum una porta egit. Huic enim duo ſoli in caſtris calones fuére. Ita ille vir, de Sabinis, de Samnitibus, deq; Pyrrho triumphator, pauciores ſervos habuit, quam triumphos. Apulei. lib. *1.* Apolog.

Hinc priusquam abeamus, eripiendus eſt error Platonis in 5. de Repub. *qui non tantum ſacris oraculis repugnat*, ut Serranus ipſe confitetur in com. 5. de Repub. *ſed familias & diſcrimina rerum prorſus tollit, dum uxores liberos, & omnia facit communia. Delet enim ſtorgas, quas omnium non tantum hominum, ſed & brutorum animalium animis, inſculpſit natura. Nam & canis dominum occiſum cuſtodiit, occiſorem prodidit*, Cedron. in Conſtant. Pagen. *quin etiam ſocium canem defendit.* Busbeq. in Epiſt. *Quid fecerit homo, quem innatæ ſtorgæ tanto tangere fortius deberent, quantò earum rectitudinem per rationem melius edoctus fuit. Certè Timantes, cum in Iphigeniæ immolatione pinxiſſet triſtem Chalcantem, triſtiorem Vlyſſem addidiſſet Menelao, quem ſummum poterat ars efficere mœrorem, conſumtis affectibus, non reperiens, quo digno modo patris vultum exprimere poſſet, velavit ejus caput, & ſuo cuiusq; animo dedit æſtimandum.* Quintil. 2. Inſtit. c. 12. *Adumbrare ſcilicet voluit ſtorgas illas & affectiones, quas natura parentibus erga liberos, his erga ſe mutuò & cognatis invicem inſevit. Eas tamen prorſus eradit ſententia* Platonis, *quippe, ubi nec parentum, nec liberorum, nec fratrum, nec cognatorum ulla differentia eſt, adeò, ut* Ficinus *Remp. Platonis, quoq; commendet ex eo, quod omnes*

ibi fu-

ſibi futuri ſint fratres; atque utinam non etiam patres ſimul & fratres, & ſororij. Quanquam nec ipſa ratio quippiam momenti habet. Nam, quia dubij ſemper ſunt, nec quisquam de fratre ſuo certus eſt, quis credat leviſſimam iſtam ſuſpicionem, quæ non minus in hanc quam illam partem vacillat, ad concordiam ſufficere, cum plurimos revera fratres vix amicitiam aluiſſe conſtet, ſicut in Demetrio & Perſeo, Geta & Caracalla, Caroli M. & Ludowici Pij filijs, alijsq́; infinitis patet.

Eſt hoc quidem in Repub. Platonis ſatis magnum abſurdum, quod naturæ jus oppugnet, cui nulla conſtitutio præjudicare debet, diſtinct. 9. in pr. Sed alterum majori laborat abſurditate, quod inceſtos introducat concubitus, tam naturæ quam pietati inimicos, quos Iſichius Hieroſol. li. 5. com. in Lev. c. 18. propterea prohiberi ſcribit, ne idem fiat pater & filius, mater & uxor, &c: Myrrha quidem apud Ovid. 10. Metamorph. cum Cyniram patrem arderet: Gentes, ait, eſſe feruntur, In quibus & nato genitrix & nata parenti jungitur, & pietas geminato creſcit amore: & Arnob. 8. cont. gen. inceſtum pluribus gentibus in uſu poſitum fuiſſe dicit, quarum Catologum texuit Alex. ab Alex. lib. 1. gen. dier. c. 24. Cæterum, quæcunq; gentes illæ fuerint, certum eſt & ex univerſa conſtat hiſtoria, maximo datum eſſe vitio, quicunq; naturæ tantam vim inferre auſus fuerit. Cum Cambyſes conſiliarios ſuos rogaret, nunquid jure ſororem in matrimonio habère poſſent, non auſi fuerunt, quantumvis magni adulatores, aſſerere, ſed aliam legem invenerunt. Ius eſſe regi, quicquid placuerit: Herodot. lib. 3. quâ lege audacter uſi ſunt poſtea Artaxerxes, qui Ameſtrim ſororem, Plutarch. in Artax. & Darius, qui itidem ſororem in matrimonio habuit, Iuſtin. lib. 11. Vnde Alex.

M. & inter cætera correxiſſe apud Perſas fertur, ne matrem cuiquam liceret uxorem ducere. Plutarch. in lib. de fort. Alex. *Cum etiam Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti Arſinoen ſororem duxiſſet,* ut Pauſan. in Attic. ſcribit, *reprehenſus fuit à Sotade: In foramen minimè ſanctum aculeum tradis.* Strab. lib. 10. *Quanto conatu Iohannes objurgarit Herodem, quod fratris conjuge pro uxore uteretur, poſt ſacras literas* ex Egeſip. 2. de excid. Hiero. c. 1. *notum eſt. Claudius Imp. fratris quidem filiam Agrippinam in matrimonio habebat,* Sueton. in Claud. *legemq; addebat, ut id genus nuptiæ eſſent legitimæ,* Tacit. 12. Annal. *quod Nerva poſtea abrogavit,* Dion. in Ner. *Sed tamen inceſtos concubitus prorſus à natura alienos judicabat. Cum enim fœmina quædam filium agnoſcere nollet, juſſit eos concumbere, ſic cogitans, fœminam agnoſcituram potius filium, quam tam deteſtandum quid ſcienter commiſſuram.* Suetoni. in Claud. *Nec Caracalla, quanquam frontem perdiderat, auſus fuit cum noverca conſueſcere, donec illa diceret: nunquid ſe Imperatorem eſſe meminerit, cujus non ſit accipere, ſed dare leges.* Ael. Spart. in Carac.

Usq; adeò naturaliter omnes gentes averſantur inceſtos concubitus, Vah, quid dico gentes, cum etiam animalia bruta ab ijs abhorrere tendiderint. Avic. 9. de hiſt. anim. Ariſtot. 9. de hiſt. cap. 47. Iuſtin. Nov. 12. *unde* Halycarn. lib. 2. *homines inceſtuoſos brutis deteriores meritò vocat. Qua de cauſſa* Paulus l. Adoptivus §. unde. l. ult. ff. de rit. nupt. *diſtinctionis graduum non aliam cauſſam affert, quam jus gentium & naturam, &* Tiraquel. l. 7. Connub. num. 47. Beuſt. lib. 2. de matrim. cap. 58. *potiſſimam rationem vetiti inceſtus credunt jus naturale & gentium.* Thom. *quidem* 2. 2. q. 154. a. 9. Anton. 2. p. Sum. tit. 5.

tit. ſ. c. item ſ. vers. quantum ad 3. *afferunt rationes alias, & præſertim* Plut. in probl. Rom. c. 108. *Quoniam, inquit, nuptijs neceſſitudines augere volebant, & ultrò citroq; filias dando & accipiendo multos ſibi propinquos adjungere, quam rationem adducit etiam* Auguſtin. 15. de civ. Dei, c. 16. citatus c. cum igitur 35. q. 1. *Item* Chryſoſt. in 1. ad Cor. hom. 34. *reddens rationem de Lege Moſis,* Levit. 18. *Ad alienos inquit, traduxit nos, illos viciſſim ad nos pellexit, quos naturali neceſſitudine copulari non licet, hos nuptijs conglutinavit, integras ſæpè familias unius Nymphæ gratia conciliando. Et quod objecerit aliquis: per nuptias cognatorum firmiores effici amicitias, reſpondet idem* Chryſoſt. *Satis cauſſæ ſit, cur illas ames, ex eodem eſſe te utero prognatum: aliter tibi competent aliæ. Cur tu charitatis amplitudinem redigas in anguſtum? aut cur officium caritati non neceſſarium impendis? quo amicitiam conjuge aliunde ducta, & per hanc longiſſimam affinium ſeriem, parentes, fratres, & illorum neceſſarios omnes tibi conciliare potes. Adjungit & cauſſam alteram, quod imbecillitas mulierum expoſcat plures adjutores, & ut cognati uxoris, in maritalibus injuriis poſſint ipſi adjumento eſſe Subjungit & tertiam, quam tamen unà cum cæteris nunquam tantæ autoritatis eſſe putamus, quantæ eſt illa quam ex jure naturæ & gentium peti diximus, imprimis cum lege divina roboretur,* Levit. 18. & 20. *ubi non tantum perſonæ, ut nonnulli argutantur, ſed potius gradus intelliguntur, ut oſtendit* Oſiander in libel. de vetit. & inceſt. nupt. Anno 1535. Noriberg. edito. *Qua de cauſſa & graviter puniti ſunt, qui inceſtibus thorum ſuum macularunt, quod nõ tantũ Iudæis, ſed omnibus omninò populis minitatur Deus,* Levit. 18.

Semiramis à filio interfecta fuit, quod ejus concubitum appeteret, ſi Iuſtino lib. 1. Auguſt. 18. de civ. Dei cap. 2. *credimus, quanquam* Oroſius lib. 1. cap. 4. *eam filio nupſiſſe confirmat. Iacob filium ſuum natu majorem ita execratur,* Gen. 35. & 49 *Ruben, primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in domo, major in imperio, effuſus es, ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, et maculaſti ſtratum ejus. Abſolon, pulſo patre, maniſeſtò jacuit cū ejus uxoribus,* 2. Reg. 16. *paulò poſt de quercu pependit.* 2. Reg. 18. *Nota eſt Oedypi & matris concubitus: Herodiani item inceſtus Tragica Cataſtrophe. Artaxerxes filio Dario, ob inceſtum commiſſum, novacula gulam præcidit.* Plutar. in Artax. *Sed Heraclium quis divinitus punitum negaverit, qui, poſtquam ſororis filiam duxerat, non potuit urinam reddere, quin faciem ſibi ea conſpurcaret.* Egnat. in Heracl. *Ius quoq; Imperatorium* §. Sed adverſus. Inſt. de nupt. Ant. inceſtas. C. de Inceſt. Nupt. Ant. de inceſt. nupt. collat. 2. *& Canonicum*, c. Quid eſt. 35. q. 7. c. conſanguineor. 3. q. 4. c. infames. 6. q. 1. c. Inceſtuoſi. 35. q. 8. c. cum ſecundum. de Hæret. &c. *graviter in inceſtuoſos advertunt.* Landrecht *ſolutas perſonas cum cæſione virgarum relegat, ſub tit.* Von peinlichen Straffen/Vnd erſtlich vom Ehebruch/ in fin. juncta, ibi. ſententia Lipſenſ. ſub tit. Straff vmb inceſt. mit dem Ehebruch.

Cum igitur Plato *in alio libro*, utpote 4. de Repub. *ipſe confiteri cogatur, aſcendentium & deſcendentium concubitus vetitos eſſe, & naturæ repugnare, qua fronte talem politiam propugnare auſit, in qua illa omnia licita ſunt. Quin etiam, ſi demus, poſſe vagos iſtos concubitus quodam*

modo

modo excuſari, ſtatus tamen Reipub. non admittit omnium rerum æqualitatem. Ubi enim omnia ſunt æqualia, ibi perijt diſtinctio Imperantium & parentium, ſine quibus Reſpub. ne cogitari quidem poteſt.

Quapropter Anabaptiſtæ, qui confuſam Platonis ἰσότητα imitari in Weſtphalia voluerunt, ut eſſet, cui cæteri obedirent, nec tamen æqualitas violaretur, alternis reges fuerunt & lictores. Sleidan. lib. 10. Munſter. 3. Gæogr. *Nec pro commendatione Reipub. Platonicæ facit, quod concors & durabilior cæteris ſit futura, ſiquidem Meo & Tuo, non perturbetur, ſicut de nonnullis Cubæ Incolis ſcribit* Martyr. *Dec.* 1. lib. 3. *Nam ipſe* Polyb. lib. *6. qui hoc argumento uſus fuerat, &* Iſocr. in Panath. *nequaquam putant Lacedæmonios propter concordiam laudandam, ſicut nec Piratas, aut eos, qui maleficio paſcuntur. Nam hi quoque inter ſe conſentientes, interficiunt alios, quomodo Lacedæmonij ſuam concordiam in detrimentum aliorum aluerunt, dum, quod domi facere prohibentur, foras avidiſſimè quæcunq; deſipiverunt, &c. Nec magnam Reip. ſtabilitatem ex iſta concordia ſibi quiſquam promittere poteſt, cum,* dicente Ariſtot. 1. Oecon. c. *6. adeoq; ipſo* Platone 3. de Repub. *publica ferè quiſq; curemus propter privata, ut hæc ſalva habere liceat. In Repub. verò Platonis, cum nemo quicquam privatim poſſideat, nemo quoq; magna contentione publica tuebitur, quod ex eorum jactura parum ſuis deceſſurum ſciat.*

Sed & Lacedæmoniorum Reſpub. & Eſſæorum vita, apud Porphyr. lib 4. de ſacrific. *longiſſimè ab æqualitate Platonis abeſt, nec ullibi Reſpub. ad mentem Platonis efformata fuit,* ut ipſe lib. 5. & 9. de Repub. confitetur. *Imò cum Cabades rex Perſarum mulierum ſaltem communionem*

introducere vellet, à ſubditis in carcerem conjectus fuit. Zedren. in Zenon. *Obtinuerat* Plotinus *à Galieno Imperat. ut liceret ſibi circa Neapolim Campaniæ in deſerto quodam oppido Rempub. Platonis excitare: Sed aulici reſtiterunt, non ex invidia, ut* Porphyr. ſuſpicatur in vita Plot. *ſed quod Rempub. Platonis naturæ repugnare viderent, & in imaginatione conſiſtere magis, quam in reipſa. Iam verò aureum eſt* Ariſtot. 4. polit. cap. 1. *præceptum: Non ſolum optimam Rempub. conſiderare oportet, ſed eam, quam in uſum ponere poſſumus: Et Solon rogatus: Ecquid optimas tuliſſet Athenienſibus leges: Optimas, inquit, quas illi accipere poterant,* Plutarch. in Solo. *quo reſponſo innuit, non eſſe Ideam quandam Reipub. abſtractam fingendam, cujus nulla civitas capax eſſe poſſit. Ita ut vel hoc nomine, & multis aliis de cauſſis Reſpub. Platonis ab* Ariſtot. in pr. 2. polit. *meritò reijciatur. Quid igitur laudat eam* Ficinus, *quod in ea omnes victuri ſint inſtar fratrum? Quid* Piccolom. *putat eam ex ordine univerſi deductam? Quid* Porphyr. in vit. *Plotini contendit eam in optimis civitatibus inſtituendam? Quid* Beſſarion. 4. cont. calum. Platon. *ejus patrocinium ſuſcipit, quam tamen ſacris legibus repugnare confitetur. Nimirum nihil,* inquit Cicer. *tam abſurdè cogitari potuit, quod non aliquis Philoſophorum ſibi defendendum ſumſerit.*

CA-

CAPVT III.

De Marito & Vxore.

A*Mmonius* apud *Plutarch*.lib.9.Symp. cap. 1. *Phœnices refert Bovem non ſecundo vel tertio loco in familia requiſiviſſe, ſicut* Heſiodus 2. op.& dier. πρῶτον μὲν οἶκον, *mox* γυναῖκα, *& deniq; βοῦν ἀροτῆρα numeravit, cujus ſententiam commendat* Ariſtot.1.Oecom.cap.2.*Sed primum Bovi locum tributum fuiſſe narrat, unde & iiſdem Bos vocabatur ἄλφα. Cæterum, quia primarius familiarum finis eſt procreatio ſobolis, unde multiplicantur primùm pagi, mox etiam civitates: & ad hunc requiritur uxor, meritò prima in familia, ſocietas conſtituitur mariti & uxoris, quam* Cicer.1.de Offic.*principium urbis vocat, & ſeminarium Reipub. De qua nos quoque primo loco agemus, quod ſit caput & domina reliquarum in familiis ſocietatum.*

Ante omnia verò, utrum hæc ſocietas ſit ineunda, videndum, ne fruſtra de ea diſputemus, quæ an concedi debeat, nondum planum ſit. Si Ariſtot. *adeamus* 1.polit.c.2. *per naturalem appetitum ejus neceſſitatem demonſtrat, cui honeſtè niſi in conjugio ſatisfacere non poſſimus. Natura autem nullum appetitum, innatum vult fruſtra eſſe. Ex fine aliter ejus neceſſitatem diducere licet. Inſtituta enim eſt ad propagationem generis humani, & ut vir & mulier mutua ſint ſibi adjutoria. Præter hos fines D.*Paul. 1.Corint.7.*eam inſtitutam docet ad reſtinguendum ignem libidinis. Fieri enim vix poteſt, ut naturæ impetus ſuſtineatur, aut ſine peccato reſtinguatur, niſi illigetur conjugio.*

Unde

Unde Epiſcopus Florentinus, cum Pontifices inciperent Clericis conjugia interdicere, Antichriſtum dixit prodiiſſe, quia prævidebat, illud mandatum ſine peccato minimè ſervatum iri, Sigon. lib. 9. hiſt. Ital.

Sententia Hieron. conjugiũ non eſſe per ſe bonum.

Tacianus Caſſius, ut refert Clem. Alexandr. 3. Strom. & Tripart. lib. 4. c. 27. *Jtem* D. Hieronymus in libris 2. adverſ. Iovian. *& præcipue* in primo *multis argumentis, ex* 1. Corinth. 7. *deductis, cœlibatum propugnat, & conjugium vituperat, cujus verba arripuerunt Canones, abuſi hac quoq; in parte autoritate D.* Pauli, *qui conjugium non ſimpliciter condemnat, ſed cœlibatum in iſto genere vitæ, iſta ſæculi, quæ tunc erat, conditione, præfert. Inde verò non ſequitur,* ut Hieronymus arguit, *conjugium tantum eſſe minus malum, quàm ſcortationem, conceſſum ad temperandum libidinem, quia honorabile eſt conjugium omnibus populis,* ad Hebr. 13. v. 4. *& Paulus ipſe ait: non peccare: qui virginem clocet, monetq;, ut cujus res ferunt, nubat in Domino, cum & in conjugio vivere perſe bonum opus ſit,* ſicut oſtendit Auguſt. de bon. conjug.

Primarium autem finem diſſimulat Hieron. *imò modeſtè negat* 1. contra Iovian. *conſiſtentem in procreatione ſobolis & conſervatione Eccleſiæ: abſq; quo foret, certum eſt, genus humanum & proinde Eccleſiam Dei breui peſſum ituram, niſi per ſcelera & libidines propagentur homines,* l. liberorum. 220. §. ult. de V. S. l. 12. C. de legit. hæred. *Unde & in Paradiſo, antequam remedio libidinis opus erat, conjugium inſtituebatur. Accedit alter conjugij finis* 2. cap. Gene. *expreſſus, ut mulier ſit adjutorium viri & contra, qui cum ſemper duret, apud omnes homines & bonus ſit, bonum quoq; erit conjugium & omnibus licitum: licet ad orandum, ad Apoſtolatu defungendum, imò ad plæraq; oſficia*

ficia Eccleſiaſtica & Politica expeditior ſit cœlebs, quàm uxoratus.

Id quod intellectum vult Paulus dum ait: Bonum eſſe uxorem non tangere. Bonum enim pro commodo accipit, & utili ad vitam, unde addit ſe parcere Corinthijs, quod imbecilles ſint, & perferre moleſtias nequeant, quas ex conjugio expectare habent. Tum etiam bonitatem refert, non ad omnes cujuſcunq; conditionis homines, ſed ad ſuam perſonam ſuiq; ſimiles, cui, cum dona continentiæ haberet, & in functione ſua cogeretur huc illuc circumerrare, profectò non conducebat uxorem & familiam alere. Deniq; vel ad preces peragendas cœlibatus idoneus eſt, ne intentio animi à curis corporis & laſcivia avocetur.

Nec negamus in conjugio plures eſſe moleſtias, quam in cœlibatu. Unde Theodectes dicere ſolitus fuit: Vxor & ſenectus eadem res ſunt. Vtramq; enim concupiſcimus, poſtquam adepti ſumus, contriſtamur. Stobæ. ſerm. 66. *Sed recogitandum eſt, nec extra conjugium ſine moleſtia vivi poſſe, ſicut Socrates reſpondit, interrogatus, an commodum ſit, uxorem ducere: Vtrum, inquit, facies, pœnitebit:* Euſeb. 5. præp. Euangel. c. 50. & *qui vult vitare omnes moleſtias, vitet mundum*, ait Eraſmus in Miſoga. *Imò conjugij moleſtiæ propterea leviores ſunt, quod pluribus iucunditatibus condiantur & edulcentur. Quod reliquum eſt, in gratiam publicæ utilitatis libenter devorandum eſt. Pulcra eſt ad hanc rem admonitio* Metelli Numidici apud Gell. lib. 1. c 6. *Si, inquit, Quirites, ſine uxore eſſe poſſemus, omnes ea moleſtia careremus. Sed quoniam natura ita tradidit, vt nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis ullo modo vivi poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quàm brevi voluptati conſulendum. Conſonant verſus Suſarionis Megarenſis* ap. Suid.

quorum Latinus is ſenſus eſt : malum quidem uxores : tamen cives ſine hoc Nulli licet parare familiam malo : vt ita fœminas jure neceſſarium malum vocare queamus, cum Menandro ap. Stob. ſer. 67.

Ducendam eſſe uxorem.

Reipub. quippe intereſt, vt conjugia ſint frequentia, ſine quibus illa nec ſtare quidem poteſt, multò minus vigere & accreſcere. Vnde id inprimis propoſitum ſibi habuerunt legumlatores antiqui, vt ad conjugia compellerẽtur cives, idq; inter principalia præcepta recenſet Arrian. Epict. li. 3. c. 7. *Rempub. tueri, uxorem ducere, procreare liberos, &c. Lycurg. inſtituit cœlibes cum ignominioſa cantilena per urbem duci.* Plutarch. in Lycurg. *Athenienſes quoq; cœlibes dederunt mulieribus in die feſto circa aram trahendos & flagris cædendos.* Iul. Cæſ. 3. de re poet. *eademq; lege coactus fuit Socrates, cum reliquis civibus, ſecundam uxorem ſuperinducere primæ, vt civitas bellis exhauſta citius reſtauraretur,* Laert. *quod & Euripides facere coactus fuit, quantumvis magnus mulierum oſor.* Gel. li. 15. cap. 20. *quanquam* Moſcopolus in vit. Eurip. ſcribit, *eum duxiſſe unam poſt alteram.*

Apud Romanos cenſoria nota inurebatur ijs, qui matrimonium abhorrebant, Valer. Max. l. 2. c. 9. *Idq; inter officia cenſorum numerat,* Cic. 3. de *ll. Cenſores, inquit, populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniasq; cenſento, & poſt pauca: cœlibes eſſe prohibento. Idem innuit* Apul. in fin. Apol. *Vxorem duxiſti : leges jubent. Quin etiam Auguſtus fertur non acceptaſſe teſtamentum cujuſdam, qui conjugium detrectaverat:* Valer. li. 7. c. 7 *& vt incenderentur cives eò magis ad conjugia celebranda, multæ immunitates & vacationes conceſſæ ſunt ijs, qui plures genuerunt liberos. Numerus trium liberorum excuſat à tutela & cura* Inſtit. de Excuſ. tut.

cuſ. tut. §. 1. l. 1. C. Qui num. lib. *item à legationibus* l. 1. C. de legatio. *A cæteris muneribus perſonalibus, numerus quinq; : ab omnibus verò muneribus numerus ſedecim*, l. ſemper. ff. de iur. immun. ubi Caliſtratus §. demonſtratur, *refert Pertinacis ſuper ea immunitate reſcriptum:* Iulianus l. ſi quis, C. de decur. *&c. quiete munerum donat patrem etiam 12. liberorum, ubi tamen ſuſpicatur* Cujacius *16. potius legendum.* Borch. in tract. de gradibus. *Semper, qui liberos habet plures, præfertur.* l. 9. C. de Decur. l. 6 §. fin. de Decur. *& ex conſulibus prior faſces ſumit, non qui ſenior, ſed qui plures genuit liberos.* Gel. li. 2. c. 15. *Apud Spartanos tres filij patrem ab excubijs, quinque ab omnibus officijs publicis liberabant.* Aelianus lib 6. cap. 5.

Unde conſtat, benè à Platone *6. ll. conſtitutum eſſe, ut quicunq; quocunq; tempore & loco poſt annos ætatis 25. poſtquam rationem vivendi inivit, intra annum 35. uxorem ducat, aut damnas ſit, & mulcta quotannis plectatur, ſi de maximo cenſu ſit, drachmarum 100. ſi de ſecundo 70. ſi de tertio 60. ſi de quarto 30. ea verò pecunia fiat publica, & in templo Junonis dedicetur. Non tantum uxorem ducere præcipit* Plato, *ſed & tempus præfinivit, quo commodum ſit, contrahere nuptias.*

De hoc enim tenetur etiam Politicus ſollicitus eſſe, ne puerorum nuptiæ noceant Reip. id quod Træzenijs quidem contigit, qui ab oraculo cauſſam ſciſcitantes, quam propter apud eos tantopere condenſarentur funera, audierũt id fieri propter immaturas nuptias. Ariſt. 7. poli. c. 16. *Quibus enim ætas nondũ conſiſtit, ab ijs non poteſt non infirma & morboſa poſteritas generari. E contrario* Tacitus de morib. Germ. *proceritatis Germanorum cauſſam ſcribit eſſe, quod ſera ſit*

Quâ ætate ducenda uxor.

apud eos Venus. Nam & Cæſar l.6.de bell. Gall *in. turpiſſimis habitum memorat apud Germanos, ante 20.annum uxorem noviſſe.*

Ariſtoteles 7.polit.cap.6 .*plures affert alias rationes, quibus adoleſcentum præproperas nuptias reprobrat, quod fœminæ nimium pueriles in partu plerumq; moriantur, ſicut Stiliconis utraq; filia, Honorio nuptum data, ob eam cauſſam malum incurrit*: Diaco. in Arcad.& Hon. *quod enerventur corpora virorum ad concubitum ante diem properantium, & inutilia ad res gerendas efficiantur: quod ex imbecillitate parentum imbecilles partus, & crebrius fœminæ naſcantur quàm viri: quam rationem etiam de ſua lege reddidit Lycurgus.* Plato.in Apopht.*&c. Sed & hæc optima ratio eſt, quod in tali juvenum conjugio perire ſoleat reverentia liberorum erga parentes, quos iuventus liberis contemtibiles facit. Quò enim ætate ſuperior eſt parens, eò gravior quoq; eſt & autoritate maior.*

Nec commodum eſt ſenium, l.penult.C.de Nupt. *tùm quod & hoc imbecillum ſit, tùm quod illam incommoditatem habeat coniunctã, ut cogatur pater à vita abire, priuſquam liberos educare, aut eorum vitæ ſatis proſpicere poſſit. Proinde mediam ætatem legislatores potiſſimum probarunt.*Heſiodus *30. annum in maribus, 15. in fœminis.* 2.oper.& dier. *cui conſentit* Aetius Tetrabi.4.ſerm.4.cap.26. *ex naturali ratione. Lacedæmonij poſt 25. Ægyptij poſt 30.* Xenoph. in Spart.Repub. *omnium optimè* Ariſtot.7.polit.16. *cum conjugium inſtitutum ſit ſuſcipiendæ prolis gratia, ejusq; defectus turbas pariat inter coniuges, ijs ætatibus coniungendi ſunt mas & fœmina, ut ſimul generare deſinant. Mas autem generat ad annum 70. fœmina 50.* l. ſi ſterilis 21 de actio. empt. & vend. ex 5. de hiſt. ani. 14.

Si igi-

25

Si igitur fœmina 15. annorum ferendo viro idonea fuerit, marem oportet, ſecundum Plato. 6. de ll. *triginta quinq. vel præter propter eſſe. Et hoc eſt, quod Solon. 5. ſeptenarium conjugio aptum dixit.* Philo 2. de opif. Mundi ex elegia Solon. de 10. ætat.

Legibus Romanis, duodecimus annus præfinitus eſt fœminis, quo nuptum dari poſſint, l. Quæſitum. ff. de ſponſal. l. minorem 4. de rit. nupt. *Ulpianus tamen* l. Falſus tutor. §. Iulianus. 3. ff. Quod falſo tut. aut geſt. dic. *excuſandum putat patrem, ſi maturius etiam ante 12. annum deducere filiam in ſponſi familiam properaverit: affectu enim propenſiore id feciſſe videtur. Leo præciſè conſtituit* Novel. 109. *ne fœmina minor 12. mas 15. annis, nuptias contrahat, niſi per reſcriptum Imperatoris legi abrogetur. Sponſalibus verò certum tempus præfinitum non eſt* l. in ſponſalibus 14. ff. de ſponſal. *dummodo ante 7. annum non fiant.* Suetonius *ſcribit, Auguſtum tempus ſponſas habendi coarctaſſe. Conſtituit enim, ne minor 10. annis ſponſa haberetur, ut* Dio & Zonaras referunt. *Sed Leo priſtinam conſtitutionem revocavit* Novell. 109. *Quanquam verò reverentia patris non concedit filiæ licentiam diſſentiendi, niſi indignis moribus ſponſus aut turpis à patre eligatur,* l. ſed quæ. 12. de ſponſal. *tamen ad conſenſum perſonarum liberiorem & ad pleniorem rei arduæ conſiderationem ſatius eſſet, ne in matrimonijs quicquam tentaretur, donec præ ætate utraq. perſona judicio polleret, aut ne nova res interveniret, ut inter Hedwigin reginam Polon. & Wilhelmum Auſtrium,* Cromer. lib. 14.

De Sponſalib.

Conjugia enim debent libera eſſe l. Titia de V. obl. l. nec fili. l. neque ab initio. C. de Nupt. *ſcilicet, quoad jure non prohibentur,* §. 1. Inſtit. de jur. perſ. *nec quicquam*

De conſenſu contrahentiũ.

 eſſen-

eſſentialius requiritur, tùm ad ſponſalia, tùm ad nuptias, quàm conſenſus l. Nuptiæ. 2. l. Filiusfamil. miles 35. ff. de rit. Nupt. §. 1. *Inſtit.* de Nupt. l. Nec fili. C. de nupt. *adeò vt Imperator ſolam γαμικὴν διάθεσιν ad conjugium ſufficere dixerit,* Nov. 22. 74. & 117. & alibi, *quod voluit etiam Vlpianus. cum concubitum negat facere connubia, ſed conſenſum* l. nupt. 30. de *R. I. ſeu deſtinationem, vt de concubinatu loquitur* Paulus l. 4. ff. de concubin. 27. q. 2. cap. 1. & c. Matrimonium. *Imò ſi pater voluerit ad inhoneſtas conditiones filiam cogere, non tenetur ſequi,* l. ſed quæ 12. de ſponſal. *licetq́ ipſi confugere ad judices,* l. viduæ, C. de nupt. vide 31. q. 2. *inq́ eo conqueritur Pamphilus ſibi injuriam fieri: Proh Deum, inquit, atq́ hominum fidem, quæ hæc contumelia eſt? Vxorem decrevit ſeſe mihi dare hodiè, nonnè oportuit præſciſſe me antè? nonnè communicatum oportuit?* Ter. And. 1. act. 1. ſce. 5.

Libertatem verò liberorum abſolutam non intelligimus, qualis definitur l. velle. ff. de *V. S. cum etiam coactus à patre filius dicatur maluiſſe* à Celſo l. ſi patre cogente ff. de ritu nupt. *Sed illam, quæ legitima eſt, ſeu legibus conſonat. Leges verò divinæ, naturales & civiles exigunt conſenſum parentum. Vnde ſine parentum conſenſu non licet liberis nuptias contrahere,* Deute. 7. Hierem. 29. Eccleſiaſt. 7. & Tobiæ 6 *ubi à patre petitur filia, nondum explorata voluntate filiæ. Lex naturæ illud ſuadet, propter cultum & reverentiam parentibus debitam, vt vult* Ambroſius c. Honorantur 32. q. 2. *Lex verò civilis Romanorum, quia ſoboles eſt in poteſtate patris. Iam nemo poteſt jus ſuum ad alium transferre, qui ipſe ſui jus non habet. Hinc ſequitur ex l. Romana conſenſum matris non exigi, licet in nuptijs filiæ ſuadeatur,* l. 2. & l. in coniunctione de nupt. *niſi*

mortuo

mortuo patre fortaſſe quodammodo recidat filia in ſpeciem potcſtatis maternæ, l. 1. l. coniunctione C. de nupt. *Sed honeſtas, vel lex naturæ & divina, æqualiter præcipientes coli parentes* l. 4. ff. de curat. fur. & al. extr. min. dan. *utriusq; conſenſum ſuadere & exigere videntur.*

Hoc conſenſu contrahentium & parentum, ut explicatur l. 2. ff. de ritu nupt. *præſuppoſito, definitur conjugium à Modeſtino* l. 1. ff. de ritu nupt. *conjunctio maris & fœminæ & conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. Nec obijciat* Antonius Guibertus in comment. de ſponſal. & matrim. *quare nulla hic fiat mentio conſenſus, quoniam præſupponimus nuptiarum legitimarum, vel ſecundum leges inceptarum definitionem, in quibus conſenſus ſubintelligitur, ut ſtatim ſubijcitur verbis* Pauli l. ſeq. *Nec conqueratur* Hottomannus 4. obſervat. 26. in quæſt. illuſt. 25. *à quo non valdè abludit* Gothofred. l. nupt. 30. de *R. I. ad domum ductionem requiri in nuptijs, quò diſtinguatur uxor à ſponſa: Nam ad domum deductio externus tantum ritus fuit apud Romanos, cui apud nos ſucceſſit deductio ad templum. Et ab hoc externo ſigno ſæpe deduxerunt Iuriſconſulti deciſionem, an ſponſalia fuerint tantum, an nuptiæ* l. 6. l. 66. in fin. de donat. int. vir. & uxor. l. Mulierem l. denique de ritu nupt. l. cum in te. C. de donat. ante nupt. *Aliàs verò ſola affectio maritalis facit conjugium.* Novell. 15. in fin. Novel. 22. 74. 117. & paſſim alibi. *licet ad prohibendas clandeſtinas nuptias Eccleſiaſticæ Ceremoniæ ſint neceſſariæ*, l. uxor. 7. C. de Repud. l. ſancimus, 24. C. de nupt. cap. 4. ext. de Cland. deſponſ: c. aliter 30. quæ. 5. *qua de cauſſa eas in Polonia & Bohem. tanquam rem neceſſa-*

Definitio conjugii.

neceſſariam inſtituendas putavit Capuanus. Cromer. li. 7. Rer. Polon.

Quod mas & fœmina in ſingulari nominantur, indicat unius viri, itidemq; unius fœminæ copulationem, excluditque errores multorum populorum, qui partim communes habuerunt uxores, partim proprias quidem, ſed plures ſimul, partim alternas, partim vel ſemel vel ſæpius alijs proſtituerunt, partim adjunxerunt legitimo toro concubinas. Ac ne de primis, qui communes fecerunt uxores, quicquam dicam, præter illud, quod Halycar. lib. 2. *ijs impingit, eos videlicet brutis deteriores ferè eſſe, quæ promiſcuos parentum & liberorum concubitus averſari docent,* Ariſtot. 9. Anim. 47. Aelian. 5. de hiſt. Anim. *exemplo Cameli* Avicenna lib. 9. de hiſtor. anim. *exemplo equæ Scythicæ* Varro lib. Rei ruſt. 2. cap. 7. *Equi, &c. ad ſecundum ordinem pergimus, qui noſtro quoque tempore propugnatores invenit.*

De pluralitate uxorum.

Bernhardinus Ochinus in Dialogis à Sebaſtiano Caſtellione latinè converſis *ſollicitus admodum eſt in defendenda multitudine uxorum eodem tempore, quam exemplis patrum probat, præcipiq; putat* Deut. 25 v. 5. *quo loco credit* Gratianus 35. q. 1. c. quod autem. Tiraquellus quoque 7. connub. gl. 7. num. 50. *probari, de jure divino licitum eſſe, fratris uxorem demortui in conjugium aſſumere, quaſi aliter non poſſet legis ſententia ſalvari, niſi inceſtus committeretur,* Levit 18. v. 16. *prohibitus, unde &* Ioſephus ſcribit 17. Antiq. cap. 15. *contra leges Judæorum feciſſe Archelaum, quod Glaphyram olim Alexandri fratris uxorem in conjugio haberet. Sed licet fratrum Polygamiæ conniverit Deus, tamen nunquam eam vel præcepit, vel probavit: Imò Laban, ipſe Polygamus rogat Iacobum, ne alteram*

ram uxorem ſuperinducat, Gen.31.v.50. *ratus polygamiam vitæ minimè & naturæ congruam eſſe. Quod verò ignoſcitur & non præcipitur non ſtatim ſine vitio eſt* ait textus in c.Nervi 13. diſt. & D.Marcus l. Et ſi quis §. Divus. ff. de reli. & ſumt. fun. *concedit aliquid, quod tamen fatetur ſibi non probari*, & l. 2. C.de donat.int.vir.& uxor. *licet militibus ſcortari, quod tamen improbat* Ambroſ.32. q.4. c.Nemo.

Conceſſit etiam Deus fratrum & ſororum conjugia, de quibus Auguſtin. lib. 15. cap.16. de civ. Dei, *Cum nulli inquit, eſſent homines, niſi ex Adamo & Eva nati, viri ſorores ſuas conjuges acceperunt. Quod profectò quantò eſt antiquius, compellente neceſſitate, tantò poſtea factum eſt damnabilius, religione prohibente. Deteſtandum quoq; nobis eſt, quod in novo teſtamento expreſſè improbatum eſt & prohibitum, cum ex inſtitutione conjugij duo tantum jubeantur eſſe in carne una, cui conſentiunt ll. Romanorum* l. 2. C.de inceſtis & inut. nupt. l. ult. C.com. de manu. §. Affinit. Inſtit.de nupt, *& jam prætor edicto infames pronunciarat polygamos* l.1. ff. de iis qui not. inf. *imò nec ipſis Iudæis ulterius polygamiam conceſſerunt Arcadius & Honorius* l. Nemo.C. de Iud. & Cœlic. Et Carolus V. Art.121. *polygamiam capitali pœna afficit. Et licet Valentinianus geminam duxiſſet uxorem*, Niceph lib.11. cap 3?. *& ſuper eadem re legem tuliſſet, ut idem liceret ſubditis*, Socrat. in Tripart.8. c.11. Diac. in Valen. *qualem indulſit ſuis quoq; ſubditis, Evenus III. rex Scotorum, cum ipſe centum duxiſſet*, Buchan.lib.4. *tamen lex ipſa perſe, propter iniquitatem, ætate diminuta eſt, & abolita.*

Beza 1.parte tr. de polyg. *polygamiam ſic etiam improbat. Nemo poteſt; inquit, rem alienam invito Domino*

citur, & in proportione, 8. Eth. *prolixè oſtenditur. Sicut igitur Reſpub. non per civium perſonas, ſed* τάξιν *ſeu adminiſtrationem definitur: ita oportet familiam quoq; definiri, quod ſit recta gubernatio eorum, quæ ſub imperio unius patrisfamilias continentur.*

Quot verò perſonæ ad familiam requirantur, nec Vlpian. *expreſſit, nec* Ariſtot. *In promptu tamen eſt oſtendere, quod de collegijs ICtus enunciavit:* l. Neratius de V.S. *tres facere collegium, optimo jure de familijs quoq; dici poſſe. Æſtimandus enim eſt numerus perſonarum ex fine familiarum, cum familiæ tantum ad fines ſuos comparatæ ſint, Quæ autem ſic ſunt, eorum natura ex fine æſtimari ſolet. Duplex autem eſt finis familiarum procreatio, ſobolis & ſuſtentatio liberorum. Vnicuiq; enim debetur alimentum ex eo, unde natura fuit, & ſic parentes de jure naturæ coguntur liberos alere.* l. vnusquisq;. 2. C. de infant. expoſ. *Ad ſobolem autem procreandam opus eſt viro & uxore, ad ſuſtentationem familiæ ſervis. Ideoq; tres minimum ad familiam complendam ſufficiunt: id quod priſco ſeculo jam dudum docuit* Heſiod. 2. oper. & dier.

Poſtquam enim juſſerat πρώτιστα μὲν ζητεῖν οἶκον, *id eſt, poſtquam ſibi finem propoſuerat, cui erant indaganda inſtrumenta, deinde ſubijcit, quærendam eſſe uxorem, & mox* βοῦν ἀροτῆρα, κτητὴν οὐ γαμετήν, *illam ad procreandam ſobolem: hanc ad ſuſtentationem familiæ. Non inficior* Ariſtot. 1. polit. cap. 3. 1. Oecon. cap. 2. & Vlpian. l. 40. §. 2. de V. S. l. 195. §. Eod. *complecti in familijs quoque liberos.*

Sed, ſicut in Logicis concluſionem oſtendimus accenſeri Syllogiſmo, licet ejus non ſit pars, ſed finis, ut docetur 1. prior. c.

or. cap.26. ab Aver. 1. prior. cap. 1. & 25. *ita liberi quoque, poſtquam à familijs producti ſunt, ijs annumerantur non tanquam partes, cum multæ familiæ conſtent ſine liberis perfectè, quoad ſuam naturam, ſed tanquam effectus, perinde vt poſſeſſiones. Nam & has familijs immiſcet* Ariſtoteles *quando familiam componit ex homine, & poſſeſſione, ubi* Aretinus *&* Caſus *poſſeſſionem interpretantur pro re inanimata, ſeu pro quavis re ad familiã ſuſtentandã utili, quam divitias propriè vult nominari* Averr. tract. 3. de Repub. *Nec tamen poſſeſſiones in ſua definitione complexus eſt* Vlpianus.

Dixi ad Familiam ſufficere ſervum, quem tamen nolim in individuo, vt marem & fœminam intelligi, ſed in ſpecie. In uſu enim juris, frequenter uti nos Caſcellius, *ait ſingulari appellatione, cum plura eiusdem generis ſignificare vellemus.* l. 58. de V. S. *Unde unius ſervi nominationem ad intelligendam familiam ſufficere ICtus docet,* l. 1. §. ſed quæritur, 17. de vi & vi armat. *Marem verò & fœminam in individuo intelligere debet Politicus, ſiquidem rectas & honeſtas conſtituere velit familias. Licet olim, cum flagitium non eſſet plures ducere vxores, Salomonis famil. 700. concubinas & uxores, 3. Reg. 11. Commodi 300. concubinas,* Lamprid. in comm. *Ulodimeri Muſcovitæ 500. uxores habuerit.* Sigiſmundus Bar. in hiſt. Muſc. *Nec nunc Turcarum Rex multò pauciores habere ſolet, quæ ratio tamen familias non multiplicavit, cum, vt nunc ſervum, ita tum uxorem in ſpecie, non individuo intellectam oportuit. Multitudo enim ſervorum non facit diverſitatem in familia, cuius naturam non ex multitudine, ſed differentijs perſonarum metiri debemus. Craſſus quidem 500. ſervos in censũ retulit & Milo uno die 300. ſervos manu miſit, ne in Clodij cæde torquerentur.* Aſcon. in Milonian.

abalienare. At vir non habet ſui univerſam p teſtatem, ſed partem bonam in contractu conjugali conceſſit uxori, ſicut Apoſtolus ait 1. Cor. 7. v. 4. *vir non habet ſui poteſtatem, ſed uxor. Iniquum igitur eſt, ſi jus ſuum uxori eripere velit vir, ſuiq́ poteſtatem & copiam etiam alijs facere.* Euripides *quantumvis Bigamus, bigamiam tamen improbat in* Androm. *his verſibus:* οὐδὲ γὰρ καλὸν Δυοῖν, γυναικοῖν ἄνδρ' ἓν ἡνίας ἔχειν, ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει. *Non enim poſſe benè in polygamia vivi, verbis poſtremis docuit, & propter æmulationes mulierum, & propter rixas plurimorum hæredum, & propter unius viri inſufficientiam.*

Legat, qui volet apud Busbeq. Epiſt. 1 *machinamenta primariæ Solymanni uxoris, quomodo reliquarum filios antevertere properaverit, Muſtapham quoq́ primogenitum fraude interfecerit, ut vel Selymo vel Bajazethi regnare liceret. Legat quis Ameſtris, Xerxis uxoris, Zelotypiam & furorem contra Maſiſtam, matrem Artayntæ, quam ſibi rivalem in torum Xerxis inductam ſuſpicabatur.* Herodotus 9. *Legat idem Olympiadis Alexandri M. matris in maritum iracundiam, quod Cleopatram in ſocietate thori ſibi conjunxerat,* Iuſtin. lib. 9. *Addat etiam homicidia mulierum Zelotyparum ob pellicatus ſuſpicionem. Polyxenæ in Helenam.* Pauſan. lib. 3. *Lemniarum mulierum in maritos:* Appollon. 1. Argo. *Dirces in Antiopen.* Prop. lib. 3. El. 14. *Iul.* Hygin. Fab. cap. 6. *Cleopatræ in Nicanorem*, Appian. in Syr. *Clytemneſtræ in Agamemnonem.* Eurip. in Elect. Senec. in Agamem. &c. *adeò ut* Ovid. 2. art. *Leonino furori jure Zelotypiam mulierum comparaverit.*

Unde antiquorum Germanorum ſeveritudini & hoc

reſpon-

reſpondet, quod de yſ ſcribit Tacitus de morib. German. *ſoli ferè Germani ſinguli ſingulis uxoribus contenti ſunt, præter paucos, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptijs ambiuntur. Arioviſtum enim duas habuiſſe uxores* Cæſar refert lib.5 in fine. *Cecrops Athenienſium incertas nuptias correxit, unum uni jungens, unde* διφυὴς Athenæo: *biformis* Iuſtino *dicitur.*

Eædem rationes concubinas quoq; diſſuadent, imò omninò prohibent, imprimis vivis veris & legitimis uxoribus, l. unica C. de concub. Sozom. 1. hiſt. c.8. *De Perſis ſcribit* Strabo 15. *quod plures uxoribus jungant pellices.* Athenæus lib.13. ex Dinonis Perſicis *ſcribit reginas pellicibus connivere, quod ſe tanquam numina colant. Apud Judæos concubinarum documentum præbet Salomon, quem 700. uxores & pellices habuiſſe legimus,* 3. Reg.11. *Apud Romanos vocat* Iuſtinianus l.5. C.ad SCtum Orfic. *probatam conſuetudinem concubinis utendi. Nam quia concubinatus per leges nomen aſſumſit, extra legis pœnam eſt,* ut Marcellus lib.7 Digeſt. ſcripſit. *Auguſto Imperatori Livia uxor undecunq; pulchras acquiſivit puellas, quibus pellicum loco in ſinu utebatur.* Sueton.in Auguſt. *Stratonica uxor Deiotaro ſuaſit, ut Electram pro concubina ſibi jungeret.* Plut.de clar.muli. *Quæ enim inferioris conditionis erat, vt liberta vel ingenua infimo loco nata, vel quæ corpore quæſtum fecerat, non poterat conjunx fieri, quia æqualis conjugi non erat, ideoq; in concubinatu vivebat tantum* l. in concubin. 3 ff. de concub. *Concubina enim non differt à matrefamilias, niſi dignitate,* l. item legato 49 §.4.de leg.3. *quia matremfamilias dignitas facit.* l pronunci. 46. de V. S. De concubinatu.

In cæteris imitatur concubina conjugem. Iulian. Nov. 18. *& vocatur* ἡμίγαμος *à* Zonara, *quaſi ſemiconjunx.* Cujac. in parat. de concub.

Mirum eſt, cum Pontifices Clericis interdixerint uxoribus, ne impedirent eos à precibus, quare potuerit Concilium Toletanum *hunc canonem ſancire: Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam, à communione non repellatur: cumq́;* Pelagius Papa diſtinct. 33. c. Fratr. *Digamum, id eſt, ſecundam uxorem habentem ab officio removerit, quare admiſerit, qui ex concubina Mycena poſt uxoris mortem liberos ſuſcepiſſet, quaſi concubinæ precibus non obeſſent, aut honeſtius eſſet concubinam habere, quàm matrē-familias, ut* cenſuit Vlpian. l. Quæ in concubin. *1.* ff. de concub. *Fortaſſe non venerat ipſis in mentem, quod* Gratianus citat 32. q. 4. ex Ambroſii *1.* lib. de Abrah. cap. 4. *Quicquid in ea, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterij crimine damnatur. Item* ex eod. in ſerm. *65.* de S. Iohan. *præſta concubinæ tuæ libertatem & nomen uxoris, ne adulter ſis potius verus, quàm maritus.*

Subierat dicta ratio Leoni, *qui* Novell. 90. *non paſſus eſt inæqualitatem perſonarum ulterius turbare jus conjugiorum naturale; &* Auguſtinus de bon. conj. citatus 31. q. 1. c. denique. *ex perſonis illicitè conjunctis ait poſſe fieri matrimonium honeſto placito, id eſt, maritali affectu, ut* explicat gl. *ſubſequente. Imò ipſo jure cecidit concubinatus, poſtquam libertorum gradus ſuſtulit* Iuſtinian. *& ſingulis manumiſſis jus ingenuitatis reſtituit.* §. ult. Inſt. de Libert. *Sacræ enim literæ concubinatum non agnoſcunt, ſed duos jubent vivere in carne una, quam unitatem lacerari & diſtrahi neceſſe eſt, quoties vir ſe pluribus impendere cupit.*

Nec

Nec ratio politica multitudinem pellicum admittit. Nam ut taceam, quod Claudianus de bello Gildo *: obijcit. Connubia mille, Non illis generis nexus, non pignora curæ, Sed numero languet pietas: adulterijs & ſcortationibus concubinatus manifeſtiſſimè patet. Apud Britannos plures viri unam uxorem olim duxerunt.* Bardeſanes in lib. de fat. & Ortel. in deſcript. Britan. *Apud Lituanos matronæ nobiles ſolebant concubinos ſuis maritis aſciſcere, quos vocabant matrimonij adjutores,* Aeneas in deſcript. Europ. c. 26. *quaſi unus uni non ſufficeret. Quid de tanta pellicum multitudine dicemus, quarum tercentum Commodus, Heliogabalus verò tantam copiam habuit, ut ſicut Nero nunquam unam veſtem bis induit,* Sueton. in Nero. *ita is unam pellicem nunquam reiterarit, excepta uxore.* Lamprid. in Heliogab. *Unde incuſavit Ælium Verum uxor, quod alienum fundum araret, proprium incultum relinqueret, ut* Artemona conqueritur apud Plaut. in Aſinar. *Sed Ælius reſpondit: patiatur ſe per alias, cupiditates ſuas exercere: Uxorem dignitatis eſſe, non voluptatis nomen.*

Nec hoc tantum iniquum eſt, quod concubinæ præripiant legitimis uxoribus, quod ipſis debetur, ſicut Thietberga Lotharij uxor conqueſta eſt coram Pontifice, Sigon. 5. Ital. Cario lib. 4. *ſed ipſarum quoq; filij in adeunda hæreditate turbas creant, nec infrequenter legitimos hæredes antevertunt. Jugurtha certè hac occaſione Adherbali & fratri regnum Numidarum eripuit.* Saluſt. in Iug. *Gyllus 13. rex Scotorum duos legitimos hæredes de regno dejecit, ut ipſe ſpurius regnaret.* Buchan. 4. hiſtor. Scot *Friganus frater Canis Grandis Scaligeri ex concubina, abſente Cane, Veronæ Tyrannidem occupavit.* Volater. lib. 4. *& nihil non egit*

Albertus Landgravius Thuringiæ, quò Thuringiam in Ջurium Apitzium transferret, excluſis legitimis hæredibus, Friderico & Dieterico, Marchionibus Miſniæ, Riv. in chro, Thuringiæ.

De reiteratis nuptiis.

Conſtat ex his polygamiam probandam non eſſe. Sed à Beza & Conrado Mauſero ad tit. de nup. ex Nov. 1.2. c.1. *notatur altera polygamias ſpecies, quando mortua uxore, ſecundæ, tertiæ & quartæ reiterantur nuptiæ, quas* Tertullianus, Montanum ſecutus, in lib. de Monoga. *multis argumentis, laſcivas & illegitimas vocat, improbatas ab* Auguſtino li. 2. c. 9. contra adverſarium ll. & prophet. *Fuiſſe in Græca religione ſecundas nuptias famoſas, tertias & quartas damnatas,* ex Zonara in Rom. Diog. & Diacono *patet &* Chryſoſt. hom 38. ad c. 9. Matth. *31.* q. 1. c. Hac ratio: *vocat iteratas nuptias honeſtam fornicationem. Eam imitati ſunt Muſcouitæ, apud quos, ad ſecunda vota tranſire, vtcunq; licet, ad quarta verò minimè.* Sigism. Baro in relig. Muſcovit. *Sed cum ſecundæ nuptiæ nunquam prohibitæ ſint in ſacris literis, vt laborat* Tertullianus *demonſtrare, habeantq; ſibi eundem finem propoſitum, quem primæ, omnesq; nuptias honorandas vocet* Epi. ad Hebr. *fruſtrà & non ſine malo improbantur. Nam & viduæ indigent remedio ſæpiſſimè, easq;* Paulus *jubet ad conjugia redire,* 1 Corint. *7. v. 39. Quid, quod & David, & Abraham, uterq; ſenex, nuptias puellæ inivit? Camillus tulit legem, ne quis abſtineret viduas ducere eorum, qui bello interierant.* Plutarch in Camil. *Et* Iuſtin. l. *2.* C. de indi. vidu. *Iuliam Miſcellam tollit, quia juvenculæ tori expertes, niſi ægrè eſſe non poſſunt, neq; ſatis gratus eſt illis cælibatus, vt ſcribit* Theano in Ep. conio. ad Nicoſtratam,

Super

Superſunt caſtigandi illi, qui uxores mutant, tanquam merces, aut eas proſtituunt, in proprium corpus injurij, dum carnem ſuam ſcortatione conſcelerandam exponunt. Nec enim, licet conſentiente uxore, vir ſui copiam alijs facere poteſt, tum quia licet juri ſuo renuntiet uxor, tamen ordinationi divinæ renunciare nequit, quæ ita voluit contractum conjugalem conſtitui, ut duo tantum ſint in carne una: tum quia contractus conjugalis ea eſt natura ut includat individuam vitæ ſocietatem, adeò, ut matrimonium iam ſolutum ſit, ſi individua fuerit diſſoluta ſocietas. De mulierum permutatione.

Quid enim eſt, niſi adulterium, quod Lacones petenti uxorem communicant: Xenoph. de Spart. Rep. *quod Solon negavit denegandam uxorem viro ſtrenuo ad ſimilem prolem ſuſcipiendam:* Plut. in Sol. *quod Tapyri Parthorum populi: Medi item, exceptis regibus concedant uxores utendas alijs:* Strabo lib. 11. *quod Sarraceni & Arabes uſurarias olim habuerint fœminas.* Strab. *16.* Marcel. li. 14. *Et niſi cum* Iuſt. l. 1. *plus apud imperitum vulgus valere ignorantiam ſcelerum, quam præcepta virtutum putarem, niſique proficeret ſcelera ignorari,* ut dicit gl. c. cum ſecundum, de Hæret. in Sexto. *plures multarum gentium impietates producerem: Verum hæc pertinent ad illa, quæ* Clemens Alexander *5.* Strom. *non tam verbis quam ſupplicijs refetanda putat.*

Permutationem verò mulierum, quam apud Germanos quoque in uſu fuiſſe Cæſar teſtis eſt, 4. de bel. Gal. *& adhuc apud Calcutios obſervari* hiſtoria Indica *memorat, perpetuum vitæ conſortium, in definitione ſupra poſitum refutat. Et Theodorus Longobard. Rex, propterea Branditam puniri jubet,* apud Caſsiod. 5. Var. Ep. 33. *quia, inquit, omne matrimonium incertum relinquetur, ſi in tanta re-*

ta reverentia ſine aliquo terrore peccetur. Quod enim Deus conjunxit, homo ſeparare non debet. Deus autem conjungi vult marem & fœminam, ut perpetuo in eodem thalamo maneant. Unde Hieron. 2. cont. Iovian. Auguſt. cap. 18. de bono conj. & alibi *jure taxant Catonem Vticenſem, quod Martiam uxorem Hortenſio, filiæ jam deſponſatæ loco, elocarit*, ut refert Appian. 2. bell. civ. Lucan. lib. 2. *quod ille fecerat ex autoritate & conſtitutione Numæ.* Plutar. in Numa.

Antiquitus lanea & nodoſiſſima Zona cingebatur ſponſa, quam ſponſus vix ſolvere poterat, ut perpetui vinculi, quo ſe obſtrinxiſſet ſponſæ, recordaretur. Pancirol. 1. p. Memor. *ad cujus rei admonitionem Turcæ adhuc ocreis inſolubilibus novas nuptas implicant.* Menau. in hiſt. Turc. *Bœoti axem, quo vecta erat ſponſa in domum mariti, comburebant, ut ſciret, abitum ex domo mariti ſibi interceptũ.* Plut. in probl. Rom. cap. 28. *Illud cum ſciret Artemiſia, viri mortui cinerẽ ebibit, ne & in morte à viro ſepararetur.* Gell. lib. 10. cap. 18. *Senecæ uxor curavit ſibi venas unà cum marito incidi, ut etiam in morte, philoſophiæ exemplũ daret.* Gruterus in vit. Senec. *Quid de Indicis referam mulieribus? Namq; ubi mortifero jacta eſt fax ultima lecto, Vxorum fuſis ſtat pia turba comis: Et certamen habent leti, quæ viva ſequatur Conjugium, pudor eſt, non licuiſſe mori. Ardent victrices & flammæ pectora præbent, Imponuntq; ſuis ora peruſta viris.* Propert. lib. 3. Ele. 12. Strabo tamen lib. 15. *lege quadam, quam refert etiam* Diod. Sic. li. 17. *injunctum id fuiſſe fœminis ſuſpicatur, ad prævertenda veneficia, quibus mulieres ſolebant vitis maritorum inſidiari.*

Voluit

Voluit antiquitas oſtendere perpetua debere fœdera conjugalia eſſe, cum etiam aliæ amicitiarum ſpecies, niſi morte, non dirimantur: Nec enim divortia Moſen Judæis conceſſiſſe, niſi ob duritiem cordis, Chriſtus ipſe docet Matt. 19. v.8. *Alioquin divortia per ſe licita non ſunt, ſed ad illarum rerum claſſem pertinent, de quibus dicitur* in c. Nervi 13. d. *quod ignoſcantur, ſed non præcipiantur, & proinde vitio non careant. Quod enim ita permittimus*, ait Chryſoſt. Homil. 73. in c. 19. Matth. in c. hac ratione 31. q. 1. *nolentes præcipimus, quia malas voluntates hominum ad plenum prohibere non poſſumus,* De ſolutione matrimonii & divortiis.

Charondæ iniqua lex eſt, ut quacunq; de cauſſa liceret uxori à viro divertere, quam Thurij coacti fuerunt corrigere, cum mulieres illa licentia abuſæ, præ libidine ſua mutarent maritos. Diod. Sicul. li. 12. biblio. *Legem quoq; 12. tab. fuiſſe, ut divortium eſſet, ſi mutuo conſenſu ſuas res ſibi habere juberent, colligere eſt ex* 2. Philip. Cicer. & l. pen. ad l. Iul. de adult. l. 2. & 7. de divort. ex Apul. & Ambroſ. Epi. 65. *Nihil enim tam naturale eſt, quàm eodem genere vinculorum diſſolvi, quo colligatum eſt,* l. nihil tam nat. de *R. I. Et quæ conſenſu contrahuntur, contraria voluntate diſſolvuntur* §. fi. Inſt. Quib. mod. toll. obl. *quia prout quodq; contractum eſt, ita & ſolvi debet,* l. prout. de ſolut. & liber.

Tanta tamen apud priſcos Romanos matrimonij reverentia fuit, ut dicente Tertul. in lib. de Monog. *poſt annum 600. V. C. id genus duritiæ primum fuerit: aut, ut in* Apolog. *per annos ferè 600. nulla repudium domus ſenſerit. Sp. enim Carbilius Ruga anno V. C. 523. M. Attilio. P. Valerio Coſſ. cum uxore primus divortium fecit, idq; jurejurando coactus, quo cenſoribus promiſerat, ſe uxorem libe-*

rorum quærendorum gratia ducturum, Gel. lib. 4. cap. 3. Dionyſ. lib. 2. *Vbi divortijs ſemel via patefacta, libido aliorum plenis velis ſecuta eſt. Sulpitius Gallus uxorem dimiſit, quoniam eam capite aperto foris verſatam cognoverat.* Plutar. in probl. 13. Valer. l. 6. c. 3. *P. Sempronius Sophus uxorem repudiavit, quod ſe ignorante ludos ſpectarat. Q. Antiſtius, quod eam in publico cum quadam libertina vulgari locutam viderat,* Valer. ibid. *Æmylius Paulus, neque quidem rationem reddere voluit, quare uxorem probam, caſtam, pulchram, domo eijceret,* Plutar. in AEmil. *tantùm calceum oſtendit, dicens: ſe ſolum ſcire, qua in parte pedem premat.*

Propterea coacti fuerunt Imperatores immoderatam hanc licentiam certis legibus circumſcribere: & jam facilitas diſſolvendi matrimonia ſolo conſenſu, diſplicuerat Theodoſio & Valent. l. conſenſu 8. C. de Repud & iud. mor. ſubl. *Difficiliorem enim debere ſolutionem eſſe, favor imperat liberorum. Vnde certas cauſſas divortiorum d. l. enarrant, præter quas non liceat nuncium uxori remittere. Sed & ex illis, utpote adhuc minus ſufficientibus, nonnullas mitigavit* Iuſtin. Nov. 117. *quò nihil præceps relinqueretur & temerarium in matrimonio, propterea, quod homini non liceat ea ſolvere, quæ Deus ipſe copulavit.* Paulus *notanter addit* 1. Cor. 7. v. 10. *ijs, qui matrimonio juncti ſunt, denuncio non ego, ſed Dominus: Vxor à viro ne diſcedito. Quod ſi etiam diſceſſerit, maneat innupta, aut viro reconciliator: & vir uxorem ne demittito.*

Fornicatio cauſa divortii.

Ambroſius in eum locum, relatus c. uxor à viro 32. q. 7. *limitando: Uxor, inquit, à viro non diſcedito, niſi fornicationis cauſa. Hanc enim exceptionem facit ipſe Chriſtus.*

ſtus, Matth.5.v.32. Matth.19.v. 9. Auguſtin. lib. 1. de adulter. coni. ad Pollent. c.8. & 9. lib.1. de bon.coniug. c.7. c 1. & 2.&c. quemadmodum 32. q. 7. *Fuitq́ lex omnium ferè gentium, quæ conjugia immaculatius coluerunt, communis, vt adulteria ſolvant conjugium, quia licet graviora ſint peccata, quæ matrimonij jura ſtatim non tollunt, tamen adulterium peccat in fidem conjugalem, adeoq́ in ipſum conjugium, & proinde ſine controverſia ſufficit ad ejus ſolutionem.*

Nec verò impunè cætera habet adulter vel adultera, ſi à toro excludatur, aut etiam à conjugio reiterando prohibeatur: Verum optimi quiq́ legumlatores, adulteris graviſſimas deſtinarunt pœnas. Pœnam capitalem ipſe Deus infligi voluit, Levit.20. Deuter.22. *eaq́ apud multas gentes in uſu retenta fuit: Parthi* ait Iuſtinus lib.41. *nulla delicta adulterio gravius vindicabant. Tenedi lex refertur* ab Heraclide in polit. *vt utriusq́ adulteri corpus ſecuri concidatur. Nonnulli verò pœnam mitigarunt, prout* Plato *infamiam pro pœna poſuit*, 8. de *ll. quam Athenienſes una cum interdictione ſacrorum infligere ſolitos*, ex Demoſth. orat. contra Neær. *colligitur. Cortynenſes*, AEli.12. variar: hiſt. *& Cumæi* Plut. in probl.115. *foro expoſitas adulteras riſerunt, poſtea infames dimiſerunt. Zaleucus oculis mulctavit adulteros.* Valer. lib.6. c.5. *Ægyptij, nares fœminis, viris mentulas ferro demetebant, vt huc alludens ait* Horat. Diod. Sic. l. 2. c.3. *Diogenes volebat ex teſtibus ſuſpendendos mæchos. Cum enim Didymum quendam adulterum eſſe audierat, reſpondit hominem ex nomine ſuſpendi debere.* Tiraq. 13. l. con. n.12.

Nec poſſunt non mollitiei accuſari primæ Romanorum

leges, quæ non ultra ducenteſimum lapidem adulteras, adulteros paulo longius relegabant, ut conſtat ex deprecatione Tiberij pro adultera apud Tacit. 2. hiſt. Aug. *Sed &* Auguſtinus lib. 3. de civit. cap. 5. *ſcribit, antiquos Romanos, quamvis aliqua damnatione, nunquam tamen morte fœminas adulteras puniviſſe, idq; ſecundum jus ff. obtinere* Alciatus 5. parad. cap. 8. *putat* per l. ſi quis viduam, ff. de quæſt. *ubi mulier ob duplex peccatum, inceſtum & adulterium, à* Marciano *deportari ſcribitur. Sed quid de jure Dig. ſit, nos Juriſconſultis diſputandum relinquimus: illud certum eſt l. Iuliam, pœnam ſanguinis irrogare adulteris, tàm maribus, quàm fœminis: Conſtat etiam Macrinum* Capit. in Macr. *& Aurelianum graviſſimis ſupplicijs adulteria punijſſe.* Vop. in Aur. *item Conſtantinum l. tuliſſe, qua gladio puniuntur ſacrilegi nuptiarum, ut loquitur in* l. 30. in fin. C. ad l. Iul. de adul. *Ideoq; probanda non eſt indulgentia Iuſtiniani, qua paſſus eſt à Theodora eximi adulteras à pœna capitali.* Nov. 134. cap. 10. *Quod ſi* Zonaras *nullus dixiſſet, Theodoram nomine Imperatoris multas tuliſſe ll. ſi Imperator non indicaſſet, ſe ſæpius uſum conſilio conjugis,* Nov. 8. cap. 8. *nec coegiſſet magiſtratus etiam in juſſa ejus jurare,* Nov. 8. tit. 3. *eiuſdemque alienationes valere juſſiſſet,* l. 3. Benè à Zen. C. de quadr. præſc. *vel ex ſola hac lege ſagax conjectator id diſcere poſſet.*

Exclamat Iuven. Sat. 2. *Ubi nunc lex Iulia? dormis? imitabor, ubi nunc tua lex eſt, Romule? dormit? Is quippe legem tulit talem: In adulterio uxorem tuam ſi deprehendiſſes, ſine judicio impunè necares: illa te, ſi adulterares, digito non auderet tangere, neq; jus eſt,* Gel. lib. 10. cap. 23. *Et* Plut. in Rom. *autor eſt, Romulum dediſſe viris*

facul-

facultatem accuſandi adulteras, ſed idem denegaſſe fœminis: id quod à Severo Antoni. decretum quoq; habemus, in l. Publico 1. ff. ad l. *Iul.* de Adult. *& à Conſtantino repetitum,* l. placet. in C. Th. de Repud. *ubi ſancitur: viro licere repudiare uxorem, ſed non contra. Mulier enim debet viro reverentiam,* l. Rem. 1. §. 7. de rei ux. act. l. 14. §. ult. Solut. matrim. quemad. *ubi Vlpianus contra bonos mores pactum ait, quod contra reverentiam, maritis debitam, pactum eſt. Perſonæ verò, quibus reverentia debetur, ſine venia & juſſu prætoris in jus vocari non poſſunt,* l. Generaliter, ff. de in ius vocan. c. Epiſcopus 12. quæ. 2.

Sed nos illud Ambroſii ex 32 q. 4. c. Nemo *probamus. Omne ſtuprum adulterium eſt: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem enim à viro, quæ ab uxore debetur caſtitas. Nec enim alterutri impunius licet ſcortari. Vnde nec alterutrius vel imbecillitas, vel licentia vocationem pœnæ meretur.*

Illud tamen circa præſentem materiam adhuc conſiderandum, an rectè Romulus privatæ mariti vindictæ mulieris adulterium commiſerit, an verò rectius cauſſa coram judice diſceptari debeat. Æmilius nemini vel ex agnatis uxoris repudiatæ rationem reddidit. Plut. in AEm. *De Germanis ſcribit* Tacitus de mor. Germ. *Adulterarum pœna præſens & maritis permiſſa erat. Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla eſt venia.* Bodin. 1. de Repub. c. 3. *cupit privatam uxorum caſtigationem reductam, ne publica accuſatio utramq; perſonam diffamet.*

An viro in adulteram uxorem privatim liceat adverte re.

Sed idipſum eſt, quare publicè ſecundum ll. accuſari

debeant, ut à facili delatione metu infamiæ deterreantur mariti. Alcibiades ſanè humeris ex foro abripuit conjugem, ne ſecreta tori publicè panderet. Philipp. Melanch. in lib. de collatione actio. foren. Attica. & Rom. Accuſ. 12. *&* *Ant. Pius adulteriũ Fauſtinæ ignovit,* Capit. in Ant. *exemplum futurus reliquis maritis, ut peccata conjugis muſſitare potius, & ſciendo neſcire velint, quam ſe in publicam ponere infamiam, quod Adrianum quoq; feciſſe* AEl. Spart. ſcribit, *qui uxorem, licet adulterij ſuſpectam, tamen retinuit, remotis ex aula adulteris. Cabbas Romanus ſolebat Mecænati, cum uxore ſua colludenti dormire,* Plut. in Amat. *Conſulitur hac ratione quoq; innocentiæ fœminarum, quarum multas ſine cauſſa domo exactum iri à maritis veriſimile eſſet, niſi illi cogerentur magiſtratus inquiſitionem revereri.*

Cauſſæ aliæ divortiorum.

De cæteris divortiorum cauſſis diſputent Theologi cum Iuriſconſultis. Quid de diverſitate religionis ſentire debeamus, à nemine rectius diſcere poſſumus, quàm D. Paulo 1. ad Corinth. c. 7. v. 12. *ſi quis frater, ait, uxorem habet infidelem, quæ conſentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito, &* v. 14. *Maritus enim infidelis ſanctificatus eſt in uxore, & uxor infidelis ſanctificata eſt in viro, quod repetitur* in 28. q. 1. in Sum. & in c. Iam nunc illud, cui conſonat text. in l. Eum qui in fin. C. de Epiſc. & Cler. *ubi dicitur mulier ſua converſatione dignum ſacerdotio virum effeciſſe.*

Si verò infideli placuerit diſcedere, fidelis liberatur à nexu matrimonij, ut ait Apoſtolus, quia deſeritur. Sed & Childebertus III. Rex Francorum, ab Amalrico Gothorum in Hiſpania rege, ſororem ſuam Clotildin reduxit, quia fruſtra laboraverat jam diu in convertendo marito ab Arrianiſmo,

niſmo. Volat. lib.3. Gæog. *Quanquam ſatius eſſet, ut antequam contraherentur matrimonia, conſenſioni religionis proſpiceretur, ſicut proceres Poloniæ Iagelloni Lituaniæ duci noluerunt Ludowici filiam elocare, antequam baptiſaretur & Chriſtianus fieret:* Munſt. in Gæog. *& Vladislaus Locticus Gedemini, Lituan. ducis filiam prius ſacris initiari curavit, quam eam filio Caſimiro jungeret,* Crome. lib.11. *Iagello quoq; poſtea l. tulit, ne eſſent inter Ruſſos & catholicos matrimonia, niſi illi converterentur,* Crom. 15. *quod cum non obſervaret Alexander M. Dux Lituan. Iohannem Moſchum in ſe incitavit* Sigiſm. in Moſcou. *Leves enim Theopholi Iconomachi & Theodoræ uxoris, ſuper imaginibus diſſenſiones, perpetuò virum erga uxorem exacerbarunt* Zonar. in Theoph.

Solon ob ſterilitatem quoque uxoris, & multò magis ob impotentiam viri diſſolvit matrimonium. Plutarch. in Solon. *Anaxandrides rex Spartanorum juſſus fuit uxorem ſterilem repudiare, quod cum recuſaret coactus eſt aliam ſuperinducere.* Hero. li. 5. *Spurium Carbilium Cenſores coegerunt primum divortium Romæ facere ob ſterilitatem uxoris* Gel. li. 17. c. 21. *Tartari ne quidem pro uxoribus habent, quæ non pepererunt.* Pant. in deſcri. Tart. *Baſilius Muſcovitarū princeps Salomen, quam ex 1500. virginibus unam elegerat, ob prætextam ſterilitatem, in monaſterium detruſit,* Sigiſ. Bar. in hiſt. Muſcov. *Griffina. Roſcislai Ruſſorum, ut vult* Dlugoſſus, *ducis filia, accuſata viri ſui, Leſci Siradienſis, frigiditate, ab ipſo abijt.* Cromer. li. 9. *Verum ſterilitas ad diſſolvendum matrimonium non ſufficit, quia,* ut ait Augu. de bon. conj. c 7. citatus c. tantum 32. q. 8. c. matrim. 27. q. 2 *tantum valet vinculū ſociale, ut licet cauſſa procreandi colligetur, tamen ob eius defectum nequeat ſeparari: Ceſſante enim*

te enim primo fine, adhuc durat alter, videlicet, ut mulier ſit adjutorium viro. Alioquin ſenum matrimonia impunè diſſolvi poſſent, aut contrahi minimè deberent. Quin etiam Spadones in matrimonio patitur lex, quorum generandi potentiæ non eſt omninò deſperata: In muliere verò difficilimè poteſt incurabilis ſterilitas demonſtrari. Imò D. Auguſtin. de bon. coniug. cap. 15 *ſcientibus conjugibus ſe non habituros liberos, ſeparare tamen ſe, atque alijs copulare non licet.*

De officio viri & uxoris.

Hactenus ad intelligendam conjugalis ſocietatis naturam multa diſputavimus: nunc ad reliqua ſubijcienda pergemus, de officio viri & mulieris: Quando enim primum & præcipuum finem conjugij intuentur, facilè advertunt conjuges, quod non ad fovendam perpetuam virginitatem, ſicut Cunigundis Belæ regis Vngar. filia, & Boleslaus Pudicus rex Polon. fecerunt, Michov. lib. 3. cap. 38 *aut etiam ut Henricus 8 qui Cunigundam reddidit fratribus virginem,* Sigon. 8. Ital. *ſed ad procreandam ſobolem conveniant.*

Debitum naturale.

Non eſt hîc diſceptandum, an concubitus ſuſcipiendæ prolis gratia vacet peccato: an venialiter peccet, qui reſtinguendi ignis gratia remedio conjugij utitur, ut diſputat Auguſtinus de bono conjug. & c. quidquid 32 q. 1. *Expreſſè enim vocat* Apoſtolus *conjugium remedium uſtionis, tum videlicet adhibendum, quando incontinentia incipit luxuriare. Ne fraudate, ait, alius alium, niſi ad tempus, &c. Et* Salom. Prov. 5. *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ, & in amore ejus delecteris jugiter. Quin* Deuteron. 42. *præcipitur: Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quicquam neceſſitatis injungetur publicè: ſed vacabit abſq; culpa domi ſuæ, ut uno anno lætetur cum uxore ſua.*

Nihil

Nihil eſt, quod Zopyrus Gordienſis Medicus, feſtiva Thaletis reſponſione eludere appetitum uxoris docuit. Thales enim à matre ſollicitatus ad nuptias, ſubinde reſpondit: οὔπω καιρὸς ὦ μῆτερ: nondum tempeſtivum eſt, ô mater. Stob. cap. 66. Laert. in Thal. *Simili, inquit, modo ad venerea affici debemus, ut cubituri illud ſuccinamus: Nondum accommodum eſt, itidem & à ſomno excitati: οὐκ ἔτι καιρὸς, jam effugit occaſio, ut ita nunquam commodum ſit.* Plutar. in Symp. *Vehementer enim accuſat.* Iſoc. ad Nicocl. *eos, qui in aliis contractibus æquitatem ſervant: in matrimonialibus verò, quos ſanctius obſervari decebat, pactis & conventis ſtare tergiverſantur.*

Sed hæc nobis inſpicienda ſunt iis oculis, quibus Livia contemplabatur nudos juvenes: ideoq; non immoramur, nec diſputamus cum Thoma in addit. 3. p. q. 64. a. 1. *an alter conjugum teneatur alteri ad redditionem debiti ex neceſſitate præcepti, quod ipſe affirmat: Item an teneatur tempore feſtivo, quo jubet abſtinere ipſe* Paulus *&* Gregorius 33. quæſt. 4. *propterea quod voluptas ipſa ſine culpa nullatenus eſſe poteſt. Unde conſtitutum eſt, ut quadrageſimali vel ſacro tempore nuptiæ non celebrentur, id quod* Concilium Laodicenſe *olim ſanxit* cap. 25. *ubi canon eſt: Non oportet in quadrageſima aut nuptias aut quælibet natalitia celebrare: &* Concilium Ilerdenſe 33. q. 4. *minitatur diſſolutionem conjugiis tali tempore contractis. Nec diſputamus, an vir ſine conſenſu uxoris poſſit continentiam fovere, & cætera, quibus plena ſunt* Decretalia Burchardi*: ſed pergimus ad verum officium, quo vir uxorem regere, & ipſa viro obedire debet.*

Apud Sacas, ſi quis uxorem puellam ducere cuperet, pugnam cum ea ſuſcipiebat: & illa, ſi ſuperior eſſet, captivum De poteſtate mariti in uxorem.

abducebat, atq; imperium in eum tenebat: ſin inferior, ab eo regebatur. AElian. de var. hiſtor. 12. *Non tam ancipiti duello depugnandum eſt viro, pro imperio, quod ipſi jura divina, naturæ & poſitiva plenè offerunt. Ipſe, inquit autor conjugij, dominabitur tibi,* Gen. 3. & Petrus 1 Epiſt. 3. *mulieres jubet eſſe ſubditas viris, quòd hi ſint illarum capita, ut ad* Ephes. 5 *ſcribitur. Propterea ad omnia natura fecit mulieres imbecilliores, quò à natura ſuæ ſubjectionis admonerentur. Jus enim naturæ eſt, ut dignior imperet. Unde Megiſtona Timoleontis uxor reprehendebat Ariſtotimum Elienſium tyrannum, quòd ipſam juberet imperatorias ad virum ſcribere litteras. Si, inquit, jus naturæ ſcires, non utiq; juberes viris ſuis mulieres quidquam præſcribere, ſed nos ad ipſos, tanquam dominos noſtros, permitteres proficiſci.* Plut. de clar. mulie.

Iſidorus *recolit* 2. de off. eccl. c. 15. *quod repetitur* cap. fœm. 30. q. 5. c. mulier 33. q. 5. *fæminas, dum maritabantur, olim velari ſolitas, ut ſui ſervitij ſe admonerent, &* in c. quæcunque 30. diſtinct. *ſcribitur: Quæcunq; mulier ſibi comam amputaverit, quam Deus ad memoriam ſubjectionis illi dedit, tanquam reſolvens jus ſubjectionis, anathema ſit. Ad quod caput duo non contemnendi ICti feſtiviter notarunt, iccircò relictos eſſe fœminis crines, ut viri invenirent in illis, quo trahi poſſent & ligari. Hanc conſuetudinem conſideravit Olorus rex Dacorum, cum Dacos, quod contra Baſtarnas infeliciter pugnaſſent, ſumma ignominia adfecturus, ſub imperium mulierum damnavit, quaſi majorem neſciviſſet contumeliam.* Iuſtin. lib. 32.

Revera enim maxima eſt infamia viro, ſi mulieris utpote indignioris imperio ſe ſubijciat, ſicut Hercules ſervivit Omphalæ, & Ninus imperium dedit Semiramidi, Antonius

Cleopatræ. Rectè Plinius in Panæg. Traia. *Multos foris claros domeſtica deſtruxit infamia, & ne maximi cives haberentur, hoc effecit, quod mariti minores eſſent.* Priluſius in com. ſtat. Polon. lib. 3. c. 6. a. 3. *refert Ciceronis dictum: an ille mihi videtur liber, cui mulier imperat, cui leges præſcribit, jubet, vetat, quod videtur, cui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet. Si poſcit, dandum eſt: ſi vocat, veniendum: ſi eijcit, abeundum: ſi minatur, extimeſcendum. Apud Tibarenos olim* Apollo. Rhod. 2. Argo. *Corſicos* Diodo. lib. 6. *Hiſpanos* Cel. Rhod. 18 c. 22. *poſtquam mulieres pepererant, viri cubabant in lecto, inſtar puerperarum: puerperæ verò ipſis miniſtrabant, more inverſo. Invertitur tum quoq; natura, quando mulier imperium ſibi vendicat, virum excludit foràs: qua de cauſſa* Epiphanius lib. 3. hære. cap. 6. *jure taxat. Seras, quod viri apud illos texant, culinas curent, penſos trahant, liberosq; educent, mulieres contrâ virilia ſubeant officia: quo more uſos olim Ægyptios* Herod. in Eut. Mela lib. 1. *& Gorgonas* Diodorus autor eſt lib. 4. *Evertunt enim jus naturæ, quod viro & non fœminæ poteſtatem dedit. Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito, Non aliter fiunt fœmina virq; pares.* Mart. 8.

Sara prudentiſſima fœmina ſua erga virum reverentia exemplo debebat eſſe cunctis mulieribus, quippe quæ virum non alio, niſi domini nomine nominat. Et quæcunq; fuit mulier, quæ teſtamentum ſuum apud Scævolã, l. 88. *filij dulciſſ. præcipitote omne, quod ex hæreditate bonisvè Titij, domini mei, patris veſtri, ad me pervenit, mortis ejus tempore, &c. aut altera, apud* Paulum L. Ea quæ 57 ff. de

de donat. inter vir. & vxor. *quæ literarum ad maritum caput facit: Domine cariſſime. Sic enim debitam viris ſuis reverentiam exhibent mulieres, ſuamq́; eo ipſo oſtendunt prudentiam. Vxor enim, quæ ſapit, viro inſervit, quæ non ſapit, eum ſpernit, ait* Eurip. in Oediop.

Atq; non tantum, quia magis in vulgus coluntur, ſi viros obſervent, mulieres, viris ſe ſubijcere debent, ſed quia ſciunt, ſe tantum honoris habere, quantum vir habet. Quod ſi viri honori ipſæ ſua imperioſa arrogantia detrahant, illumq́; in macellis fabulam efficiant, eo ipſo ſuæ quoq; famæ derogant, quoniam omne earum decus à viro pendet. Phormionis uxor viri res geſtas dicebat ſuum ornatum eſſe, Plut. de Muſ. *Leges Romanorum dignitatem fœminarum æſtimant tantum ex dignitate mariti: immò nec filiæ ſenatorum clariſſimatus honorem habent, niſi ſenatoribus nuptæ.* l. Fœminæ 8. ff. de ſenat. *Unde Virginia Auli filia, quamvis patricia, ejecta tamen fuit ex ſacris Pudicitiæ à patritiis fœminis, quod Volumnio Plebeio nupſerat,* Liv. lib. 10. *& Fabij filia indignabatur, quod contemneretur ob virum plebeium.* Liv. Dec. 1. *Mulieres enim honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum perſona ſtatuimus, & domicilia mutamus, aiunt Imperatores* in l. mulieres *13.* C. de dignit. *quod & ſcriptum eſt* l. 9. C. de Inco. *nec retinere judicantur mulieres claritatem generis ab Alexandro* l. 1. C. de dignit. *niſi clariſſimis quoq; nupſerint. Quæ enim priorum dignitatum oblita eſt, non rurſum ex prioribus juvabitur, vt ſtatuit Imperat.* Nov. 22. c. 36. *ſuper muliere poſt primas nuptias inferioris conditionis homini nubente,* l. cum te. 10. ff. de nupt.

Propterea audiant mulieres Hieronymum *ita* Celantiam *admonentem: Servetur inprimis viro auctoritas*

ſua,

ſua, totaq́ à te diſcat domus, quantum illi honoris debeat: tu dominum illum obſequio tuo: tu magnum illum tua humilitate demonſtra: tantò ipſa honoratior futura, quantò illum amplius honoraveris.

Quia verò nullum imperium eſt ſine poteſtate cogendi; conſequitur viris quoq; concedendam eſſe facultatem, vel invitas in ordinem cogendi mulieres, idq́ apud omnes ferè gentes obtinuit, vt uxor eſſet in poteſtate mariti, exceptis Romanis poſterioribus: qui mulieres immò etiam viros, nondum emancipatos relinquunt in poteſtate patris. Cum enim Vlpianus l. *1.* ſ. ult. ff. de iniur. & Paulus l. 8. ſ. 2. Eod. *ſcribat, tribus fieri injuriam, ſi uxori facta fuerit, marito, uxori & patri, inde colligit* Accurſius*, patri propterea adhuc fieri injuriam, quia filia manſit in poteſtate patria.* arg. l. Si uxor. C. de condit. inſert. *ubi Dioclet. & Maxi. mulierem relinquunt in poteſtate patris, donec emãcipetur, id quod expreſſè ſtatuitur* l. 3. ſ. prohibetur, ff. de donat. inter vir. & uxo. *&c. adſeriturq́ ab interpretibus, licet nonnulli nuptias ex farre & uſu excipiant.*

An uxor adhuc ſit in poteſtate patris.

Verùm illa poſitio omninò conturbat jus conjugale, quando mulier cogitur duorum juſſa ſequi, mariti & patris: aut ab illius poteſtate eximitur: id quod non obſcurè vidit Vlpianus l. 1. ſ. ult. de lib. exhib. vel deduc. *Unde ait: Hoc jure utimur, ne benè concordantia matrimonia jure patriæ poteſtatis turbentur: quod ſic erit adhibendum, vt patri perſuadeatur, ne acerbe patriam exerceat poteſtatem. Nam ſi vel leviter læſa fuerit uxor à marito, continuò ad patrem defugiet, negabit marito in ſe jus eſſe, & ita, quæ eſt impotentia fœminarum, patrem in maritum armabit, qui, quod maritus fieri velit, infectum efficiet, domumq́ generi furialibus implebit diſcordijs.*

Unde jus divinum, Relinquet, ait, vir patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, quod à natura quaſi animis inſculptum plures gentes ſecutæ ſunt. Lycurgi lex fuit apud Lacedæm. ut in mariti poteſtate eſſet mulier, ne contemto marito ad patris domum rediret. Plutar. in Lacon. *Unde Lacæna rogata, An conſentire vellet adultero concubitum petenti, reſpondit, cum puella eſſem, didici parenti parere, & hoc egi: mulier autem viro. Huic ergò, ſi juſta roges, manifeſtum facias primum.* Plutar. in Lacon Apo h. *Illud enim apud* Stob. ſerm. 71. *Euripides dicit:* Γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων, οὐ τῶν τεκόντων ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ λέχους. *& hinc fluxit* conſuetudo Pictavorum tit. 15. *Continuò quàm vir & fœmina, ſive nobiles ſive ignobiles matrimonium ſimul inierunt in Pictavia, ex more illius gentis, uxor eſt in poteſtate mariti, non patris.*

An vir habeat poteſtatem vitæ & neci[s]. *Quin immò eò proceſſit imperium virorum, ut in mulieres jus vitæ & necis ſibi vendicarit. De Gallis ſcribit* Cæſar 6. de bel. Gal. *Galli in uxores & liberos, æquè ac in ſervos jus vitæ & necis habent: ac ſiquidem vel minima ſuſpicione teneantur maritos necaſſe, quæſtionibus à proximis torquentur, & ſine ulla magiſtratus cognitione damnantur. De Germanis videatur* Tacitus in mor. Germ. *De pleriſq; barbaris legatur teſtimonium* Ariſtotelis 1. polit. *r. De Romanis antiquis idem teſtatur lex Romuli apud* Gell. lib. 10. c. 23. & Halycar. li. 2. *Invenimus, ait* Plinius lib. 14. c. 13. *inter exempla, Egnatij Mecennij uxorem, quod vinum bibiſſet è dolio, interfectam fuiſſe à marito, eumq; cædis abſolutum à Romulo.* Valer. li. 6. c. 3. *Vocat Egnatium Metellum, additq; non accuſatione tantum, ſed & reprehenſione vacaſſe.* Fabius Pictor in ſuis Annal. *ſcribit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves cellæ vinariæ, reſignaſſet,*

ſignaſſet, à ſuis inedia mori coactam. Arnobius 5. cont. gent. *memorat: Fatuam à Fauno marito Latij rege virgis Myrteis ad mortem cæſam, quod contrà morem clam vini ollam ebiberat.*

Atque adeò licebat viro non tantum ob adulterium, nec in continenti, vt per l. Iuliam de adulteriis, *ſed ob leviorem cauſſam uxori manus inferre. Unde Cato ideò propinquos fœminis oſculum dare voluit, teſte* Plinio 14. c. *13. vt ſcirent, an temetum olerent. Hoc tum vino nomen erat, vnde temulentia, vt* notat Non. Marcel. *Et ita oſcula apud Roman. vt* Salmuth. in not. ad Pancir. *oſtendit, ex mala intentione introducta, poſtea ad ſigna amoris traducta ſunt. Vinum verò guſtare etiam apud aliàs gentes fœminis non licebat, vt de Jtalis in univerſum teſtatur* Athen. lib. *10.* cap. 13. *De Mileſiis* idem lib. 10. cap. *9. De Maſſalioticis* AElian. *2.* Var. Cœlius lect. ant. 15. cap. *6. &* Xenophon. in lib. de Spartana Repub. *Propè, inquit, apud omnes gentes uſitatum eſt, vt mulieres aut omninò vini expertes ſint, aut eò quàm aquatiſſimo vtantur: quem morem Sarracenicis fœminis pro lege injunxit* Mahometh in ſuo Alcorano.

Sed ne à ſcopo abeamus, extant ll. Rotaris & Luitbrandi in ll. Longob. tit. qual. mul. liber. permiſſ. *quibus viro faciunt poteſtatem capitaliter in uxorem privato judicio animadvertendi. Cæterum nimis mehercule dura eſſet & iniqua conditio mulierum, ſi impunè liceret viris, eas pro arbitrio tractare. Quid non facturos plurimos μυσογυνὰς putemus, qui quo jure, quaq; injuria ſævitiam in innocentes mulieres exercere jam diu ſatagunt. Accedit, quod vindicta privata omni jure, inprimis divino ſit prohibita; Item quod uxor ſit pars viri, in propriam autē carnem*

nemini

nemini liceat vim, vel manus mortiferas inferre, l.13. ff. ad l. Aquil.

Quare ſicut Imperator dicebat, patriam poteſtatem non in atrocitate conſiſtere, ſed in pietate, ita & de poteſtate maritali ſtatuendum eſt, quæ in paterna caſtigatione, non in atroci & capitali ſupplicio conſiſtit.

An vir habeat ius caſtigationis ſeverioris in uxorem.

Atq; hanc theſin nonnulli in favorem mulierum ita ampliarunt, vt quantumvis graviter peccent mulieres, adhuc tamen à verberibus jubeant maritum abſtinere, cum Cenſorio illo Catone, *ſacrilegium putantes, ſi quis uxorem verberet.* Plutarch. in Cat. *Sed verendum, ne nimia iſta indulgentia imperium mulierum inducat, ſicut & idem* Cato *confitebatur: Nos imperamus hominibus cunctis, uxores nobis,* Plut. in Cat. *aut vt* Themiſtocles: *Athenienſes imperant Græcis, Themiſtocles Athenienſibus, uxor Themiſtocli, uxori autem filius.* Plut. de educatione pue. in Themiſt. & Græc. Apopht. *Jubet* Cato in orat. pro l. Oppia, *vt frena demus impotenti animali, ne ſi par eſſe cœperit, continuè ſuperius eſſe velit. At ſi caſtigatione reali omninò abſtineat, quomodo poterit mulierum plurimarum petulantiam coërcere. Nec enim verbis & objurgationibus ceſſit Xantippe, nec Catonis increpationibus matronæ Romanæ. Niſi quis fortaſſe velit jurgia domeſtica, exemplo Socratis, cotidiè audire, vt obdureſcere inde diſcat ad externas injurias,* Gel. 1. c. 57. *aut ſecundum præceptum* Chryſoſt. homil. 26. ſuper Epiſt. 1. ad Corint. *tolerare vitia uxorum, vt gymnaſium & palæſtram quandam Philoſophiæ domi habeat. Alias enim pertinacia mulierum etiam quietiſſimum animum ſæpè ad duriorem caſtigationem everberat.*

Chart: p. 180. f. vid: Eph. 5.

Illud quidem Caſo in œcon. q. 4. Bodin. 1. de Rep. c. 3.

cap.3 Tiraquel.8. & 9. l.connu. *credimus & concedimus, crudeles eſſe, immò, vt de noſtro hoc addamus, crudeliſſimos, qui ſine cauſſa, & non prius tentatis omnibus humanè, ad verbera progrediuntur, quaſi corpus tantum exercere velint, ſimiles ijs Medicis, qui levi morbo obſeſſum membrum ſtatim amputant, nec malum levioribus medicamentis prius expugnare conantur. Nec enim cogitant, quod ſcriptum eſt: Nemo unquam carnem ſuam odio habuit; nec* ut Lombardum imitemur, 2. d. 1°. *ortum primæ mulieris reſpiciunt, quam* Lombardus ait, *nō ex pede deſumtam, vt pedibus conculcari, ſed ex latere, vt intimo corde amari debeat.*

Quid præterea jucundius, τὶ μὲν ait Phocyl. ἡδύτερον καὶ ἄρειον, ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέει φίλα γηραὸς ἄχρι. Καὶ πόσις ἢ ἀλόχῳ, μὴθ' ἐμπέσῃ ἄνδιχα νεῖκος. *Elegans eſt encomium, quo adſicit* Plinius epiſt. lib.8. ad Gemin. *quendam Macrinum, quod cum uxore vixerit annos 39 ſine jurgio, ſine offenſa. Quid, quod amor & obſervatio viri ad laudabile certamen mutui amoris excitat uxorem. Ego, inquit* Seneca epiſt. 9. ad Lucil. *monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. Cui colludit* Mart. lib.6. *Vt præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſten, Hoc non fit verbis, Marce, vt ameris ama. Alias ſicut L. Craſſus ſenator dicebat ad L. Philippum conſulem: Non es mihi Philippe conſul, quia nec tibi ſenator ſum,* Valer. lib.6. cap.2. *aut vt orator Domitius* apud Hieron. c. Eſto ſubiec. diſt. 95 *Cur ego te habeam vt principem, cum tu me non habeas, vt ſenatorem? Ita uxori erga maritum dicere licet: Cur ego te habeam vt maritum, cum tu me non habeas, vt uxorem? Vxor enim in manu & tutela, non in ſervitio habetur, ait* Valer.

de l. Oppia apud Liv. *unde infert: Quò plus poteſtis, eò moderatius imperio debetis uti.*

Unde etiam ſapientiſſimus Homerus 1. Iliad. *introducit Jovem ad minas usq; dum Juno ipſi obluctabatur, progredientem, adhuc tamen verberibus abſtinentem, quaſi admonere nos velit: Omnia experiri prius decere ſapientem, quàm armis rem adgrediatur. Si verò aliter cum uxore vivi non poſſit, ſi petulantia verbis reprimi nequeat, ſecundum* Hippocrat. præceptum, *Extremo malo extremis occurrendum remedijs, & malo nodo malus quærendus cuneus.* Belloviſ. li. 1. pract. crim. c. 9. n. 17. *Nec tum maritus uxori facit injuriam,* ut Caſus obiicit, *quando erga peccantem ſuo imperio utitur: nec ſuo corpori infert vulnus, quando membrum mortuum aut extremo vitio occupatum, non ulterius membrum eſt, ſed enſe reſcindendum, ne pars ſincera trahatur.* Ovid. 2. Met. *Atq; hoc dicebat* Gellius li. 1. c. 17. *Vxoris vitium aut ferendum eſſe, aut tollendum.*

Poteſtas uxoris.

Ex quibus omnibus patet, mulierem eſſe ſub poteſtate, quando vid. refertur ad virum: Aliàs enim in liberos, inprimis filias, in ancillas, in familiæ adminiſtrationem imperium habet cum marito diviſum: ita tamen ut adhuc ſubordinetur reverentiæ mariti. Jllud Ariſtot. *docuit* 1. Occo. c. 2. 1. Pol. c. 8. & 8. Eth. *Vbi regimen domeſticum comparat Ariſtocratiæ, &* Iamblichus in epi. de uſu coniug. citatus à Stobæo ſerm. 72. *In hoc, inquit, convenient etiam, ut mas imperet, obediat mulier. Erit autem imperij forma, non qualis eſt herilis, ubi ſuperioris utilitas curatur, nec qualis artium, ubi inferioris tantum cura eſt, ſed ſimilis Politicæ, in qua communis utilitas promovetur.*

Idem

Idem Romani nos docuerunt, qui ſponſam in domum mariti deductam, ita loqui jubebant: Vbi tu Cajus, ego Caja, Plutar. in probl. 28. *quod ex lege Romuli tractum eſt, quam* Halicar. lib. 2. *deſcribit talem: Mulier viro legitime conjuncta fortunarum & ſacrorum ſocia illi eſto, utq; domus ille dominus, ita hæc domina. Domus enim adminiſtratio fœminarum propria eſt, quam Raguel quoque Saræ filiæ demandat,* Tob. 10. *& Iſchomachus apud* Xenop. in Oeco. *ait, Quæ domi ſunt, uxori peragenda relinquo. Vnde mulier poſt viri mortem retinet dominium in bona, id eſt, adminiſtrationem, quam habuit, vivo marito, quia eſt quaſi caput regiminis in domo, ut ait* Baldus in ult. col. 2. verſ. quid ſi teſtator C. de indi. vid. *Dominium enim directum mulier non retinet, per* l. 2. C. de ind. vid.

De jure igitur mariti & uxoris abundè ſatis diſputavimus: unicum idq; poſtremum adhuc diſquirendum ſupereſt, qualiter adfectæ debeant eſſe perſonæ, quæ matrimonium inituræ ſunt. Qualis ducenda ſit uxor. *Cum* Ariſtotelem *quiſpiam interrogaret, cur pulcra amaremus:* τυφλοῦ εἶπεν ἐρώτησις, *ſtulti interrogatio eſt,* Laert. in Ariſtot. Stob. ſerm. 63. *Eadem ratione diceret aliquis, ſtultam hanc eſſe diſputationem, quia omnes ſciunt ducendam eſſet optimam, aut nubendum optimo. Verum bonarum mulierum, ut de his tantum dicamus, nedum optimarum, magna eſt raritas. Vix ſunt numero totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili. Zeuxis cum Helenam Crotoniatis pingere deberet, ſciens in una perſona non poſſe omnes pulchritudinis articulos inveniri, juſſit ſibi omnes virgines in conſpectum produci, ex quibus quinq; elegit pulcerrimas, ut ex ſingulis partem pulcritudinis excerceret, & inde perfectam formam Helenæ pingeret.* Cic. 2. de Inv. *Quod ſi ille non potuit totam pulcritudinem in*

una reperire virgine quantò difficilius erit, in una omnium virtutum concurſum invenire?

Vnde Philoſophus quidam, cum inimico elocaſſet filiam, rogatus, quare id feciſſet, quia non potui, inquit, illum gravius multare, quàm elocando id, quod peſſimum habui. Et Democritus interrogatus, quare parvam duxiſſet uxorem, reſpondit: Quia ex duobus malis minus eligendum fuit, Anto. Mona. ſerm. lib. 1. cap. 34. *Quid ſi Accurſium in eam ſententiam producam, qui in* l. ex his. ff. de ll. *ex eo, quod ibi ſcribitur de ijs, quæ rarò fiunt, non ferri leges, facete infert: non eſſe propterea leges de bonis mulieribus ferendas, quia raræ ſunt.* Idem l. 2. c. de his qui ven. æt. imp. *reddens rationem, quare mulieres citius veniam ætatis impetrent, quàm mares, quia, inquit, mala herba citò creſcit. Proinde* Pacuvius *antiquo verſu dixit: Haud facul fœmina inventu bona. Vbi facul pro facilè ſumi monet.* Non. Mar. *Et* Menander *Græcè* γυναικὸς ἐσθλῆς ἐπιτυχεῖν οὐ ῥᾴδιον. *Gallus quidam licet quatuor duxiſſet uxores, periculum facturus, an bonam invenire poſſet, poſtremam priore ſemper pejorem ſenſit.* Beuſt. li. 2. de matrim. c. 3.

Ducenda eſt nota.

Vt tamen ex iſtis malis minus eligamus, circumferendi ſunt oculi, non tam corporis, quàm animi, vt ex omnibus eam excerpamus, quæ minimis urgetur vitijs. Id autem fiet, ſi ante omnia mores, parentes & patriam perveſtigemus probè: ne occinatur illud poëtæ, de moribus ultima fiet Quæſtio, quæ in conjugio prima eſſe debet. Si enim amicus eligendus non eſt, niſi qui cum modium ſalis abſumſeris, multò magis in ducenda uxore idem obſervandum: quia amicum, cujus te ſatietas capit, cum gratia ejurare licet, uxorem non licet. Iccircò Cliſtenes Sicyonius tyrannus, cum vellet filiæ maritum jungere, Græcam juventutem undecunque convoca-

tam,

tam, annum apud ſe detinuit, donec ſingulorum mores perdiſceret. Et jam decreverat filiam Hippoclydæ elocare, cum ille petulantiori ſaltatione totum deſultat matrimonium. Herod. li. 6.

Hinc Libanius ad Solonicum *ſcribit, uxorem cognitam ducas, cujus parentes & matrem præcipuè bonis moribus præſtantem noveris. Non enim tantum in ſervis patriã ſpectandã monet* Vlp. l. Quod ſi nolit. §. ff. qui mancip. de Aedil. edict. *quod præſumptum ſit, quoſdam bonos eſſe, quia nationis non ſunt infamatæ, quosdam malos, quia ea natione ſunt, quæ magis infamis eſt. Verùm multò magis parentum rationem habendam monet* Ioan. Fabr. in rub. Inſt. de nupt. *ubi aliquot præcepta proponit, & ad hoc rationem addit, quia vtplurimum videmus, non ſolum labem ſanguinis, ſed & morum ad poſteros derivari. Ex quo fundamento* Arcadius & Honorius in l. Quiſquis §. 1. C. ad l. Iul. Mai. *in filijs timent exempla criminis paterni propter præſumtionem*, vt explicat Alciatus 1. præſumpt. 24. οὔτε γὰρ ἐκ σκύλλης ῥόδα φύεται, οὔθ' ὑάκινθος. οὐδέ ποτ' ἐκ δούλης τέκνον ἐλευθέριον, *vt ait* Theognis.

His probè conſideratis, uniformis ducendæ uxoris regula ſit illa Ovidii, *Si qua voles aptè nubere, nube pari:* aut Auſonii: *Par pari jugato conjux, quod impar eſt, diſſidet. Poſterior addit etiam rationem: Imparum conjugia fore diſcordia: id quod ita eſſe, ex Ethica ratione diſcere licet. Eſt enim conjugium amicitia quædam & quidem firmiſſima, vt* 8. Eth. *docuit Philoſophus. At idem* ibi d. c. 1. *docuit, amicitiam conſiſtere in æqualitate: quod etiam* Plato 6. & 8. de ll. Boet. 1. de Muſ. c. 1. *& nos alibi ex Ariſtotele diximus: Quod ſimile eſt, firmam ſervat amicitiam. Atque hoc adeò verum eſt, vt Atarneti juveni, patri idem conſilium*

Servãda æqualitas in matrimonio ineundo.

dederint : τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλε. *Tu tibi torque parem: quod Callimachus Dioni de ducenda uxore conſilium petenti, reſpondit, & verſibus expreſſit elegantibus, qui apud Laertium leguntur.*

Æqualitatem autem accipere debemus non per omnia, ſecundum idem, ſed ſicut Alex. in conſ 209. ponderatis his col. 7. & ſeq. l. 6. *cenſuit, nobilem divitemq́ mulierem, deformem tamen, quæ pauperem quempiam formoſum matrimonio ſibi deſponderit, non videri nupſiſſe indigno, cum debeat mulieris nobilitas & divitiarum copia cum forma compenſari. Et è diverſo* Imol. & Panormit. *dicunt formam mulieris etiam pauperis compenſari cum divitijs & nobilitate viri. Ita æqualitas hæc interpretanda eſt, ut ſi Metrodorus pauper Philoſophus,* apud Strab. lib. 13. *ditiſſimam duxerit uxorē, non videatur tamen æqualitas violata, quia eruditio compenſat divitias, & potentia includit multas opes, quas eruditione ſua vel Philoſophus vel alius litterator comparare poteſt, ſicut* Thales *demonſtravit,* 1. Pol. 7.

An virgo ducēda vel vidua

Hanc igitur geometricam æqualitatem requirimus in omnibus, quæ æquari poſſunt, & principio in ætate. Nam licet cum inæqualitate quoque ſtare poſſint matrimonia: magis tamen florida & ſtabilia futura veriſimile eſt ea, quæ inter perſonas æquales contrahuntur. Eſſe autem contrahenda matrimonia in juventute, ſuprà diximus, ubi etiam demonſtravimus, quoto juventutis anno commodius contrahantur: nunc cætera ſubijciemus, illudq́ futuro marito conſilium dabimus: virginem eſſe ducendam, juveniq́ ducendum, idq́ ita vulgariter adprobatum putat Euſeb. 5. præpa. Euang. c. 10. *ut Apollinem rideat, qui illud cuipiam reſponde-*

ſponderat, tanquam divinum reſponſum, quod tamen omnino vulgare ſit.

Ariſtoteles 1. Oecon cap. 3. *addit rationes, quia ſequax eſt juvencularum animus, quem facile, quo velis, ducas & adſuefacias. Rationem hanc ſumſit ex* Heſiod. 2. op. & dier. *cujus hic eſt verſus:* Παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ὥς κ' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς, *eandemq; huic inſtituto adſignat.* Ioan. Fab. in rub. Inſt. de nupt. *deſumtam ex* l. *37.* ff. de AEd. ed. & redh. ubi Vlpianus *ait: Venditores plerumq; veteratores vendere pro novitijs. Præſumptum enim, ait, eſt, ea mancipia, quæ rudia ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora & dociliora, & ad omne miniſterium habilia: trita verò & veterana difficile eſt reformare, & ad ſuos mores trahere. Viduæ verò jam primi mores adſuetæ mariti, non deerunt, inquit* Libanius in epiſt. ad Phremilium *querelæ, ſe primo marito fuiſſe cariorem.*

Prætereo incommoda alia, quæ ſenectutem comitantur: Οἴμοι κακοδαίμων, conqueritur Blepyron apud Ariſtoph. in concion. ὁ γέρων ὢν ἠγόμην γυναῖκα. *Nam quæ bello eſt habilis, Veneri quoque convenit ætas, Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor. Quos petière duces annos in milite forti, Hos petit in ſocio bella puella toro,* Ovid. 1. Eleg. *Atque licet aliquid generatum ſit, imbecillum tamen erit & infirmum, aut relinquetur orphanum, ſine patre vel matre. Nam poſt mediam ætatem qui ducit uxorem domum, ſi eam ſenex prægnantem fortuitò fecerit, Quid dubites, quin ſit paratum nomen puero, Poſthumus.* Plautus in Aulul. *Mediam ætatem interpretor annum 50, quia centum annorum æſtimatur vitæ terminus, ſecundum* Artemid. lib 7. c. 75. & Caium ICtum. l. an uſusfructus, ff. de uſufr. & quemad. quis ut. fr.

Adhæc, amicitiam negat Ariſtoteles inter ſenes facilè conflari, quia voluptates reſpuunt, & vt Horatius *inquit: Canities moroſa eſt. Conjugium verò eſt ſocialis amicitia. Ne dicam, quod ſenum nuptiæ contrarientur juri naturæ. Solon robuſtum juvenem in ſinu divitis vetulæ pingueſcentem extraxit, & in torum puellæ induxit, vt robur civitatis augeret.* Plutarch. in Solone. *Vnde* l. Iulia & Papia *quinquagenariæ fæminæ nubere non licebat,* Vlpian. in tit. 16 *quod Iuſtin. non ſuſtulit* l. pen. C. de nupt. *In ijs enim naturalis finis conjugij ceſſat: Et proinde Dionyſius rectè admonebat matrem ad nuptias redire meditantem. Nam, inquit, etſi leges Syracuſanas violare potes, leges tamen naturæ violare non debes,* Cal. 1. Oecon. c. 4. q. 3. *Sed & in eo violatur jus naturæ, quod cum hoc præcipiat, exhibere reverentiam ſenibus, quam vocat* Ariſtot. 8. Eth. 13. 14. *Amicitiam ſecundum excellentiam, in conjugio vetulæ vir cogatur contra jura domeſtica uxori reverentiam exhibere, & ſenex uxor, contra jus naturæ, juveni marito, quem filium multò rectius nominare, quàm maritum debeat.*

Demetrio abneganti Phyllam Antipatri filiam, Crateſro olim junctam, viduam ducere, pater Antipater inſuſurravit in aures illud Euripidæum ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον. *Vbi adfulſit lucrum, contra naturam ducendum eſt. Sed hæc conjugia tam diu quieta ſunt, quamdiu ſpes lucri avarum continet animum: ſicut* Ariſtot. *dicebat, tam diu ſtare amicitias ob voluptates & quæſtus, quamdiu voluptas & quæſtus expectantur. Poſtquam penes ſe habent amplam dotem, quam propter probi fuerunt, continuo ex probis peſſimi fiunt. Ita Romanus Diogenes Eudociam, Michael Paphlagonius Zoën, Nicephorus Theophanonem,* Zono. in horum vitis. *Ottocarus rex Bohemiæ Margaretam*

ducissam Austriæ, Munster. 3. Georg. *tam diu in honore habuerunt, donec imperium in ſe transtulerunt: poſtea duriſſimè anus tractarunt, & Margaretha interijt non ſine suſpicione ſubornati à marito veneni.*

Qua de cauſſa, quod ex lege Moſaica obſervat Ioſephus 4. Antiq. c. 8. *& quod* Nævius poeta antiquus in Gymnaſtico *ad propoſitam quæſtionem: Vtrum ſit melius, virginem aut viduam uxorem ducere? reſpondet: Virginem, ſi muſta eſt, id eſt, ſi novella, vt* Non. Marcel. explicat, & citat in voc. muſtum. *illud in ducenda uxore primum conſiderandum eſſe plerique conſentiunt, & noviſſimè propter hanc* Catulli *rationem: Quod ſenis amplexus culta puella fugit. Omnes enim, & imprimis juvenes, quales ſponſos eſſe convenit, pulcritudine maximè trahimur, quæ in vetulis & ſenibus nulla reperitur.*

Hinc conſequenter diſputatur, de formæ pulcritudine, An & ejus ſit habenda ratio in eligenda uxore, ſicut Iacob Rachelem dilexit ob venuſtatem, Gen. 26. *in quem locum cum incideret* Bonavent. in 4. ſent. *negat venialiter peccare, qui mulierem duxerit ob pulcritudinem, modò pulcritudo non ſit cauſſa principalis, ſed inductiva: cum* Deuter. 21. *non prohibeantur Iudæi, quin captivas ob pulcritudinem domum ducere liceat: quod, qui volet, conſideret: nos illa ſuis auctoribus relinquimus. Et ad* Plinium Secundum *pergimus, qui* 1. epiſt. ad Iun. *ſcribens, cujus nepti ex fratre maritum delegerat, ſic eum commendat: Eſt illi facies liberalis, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa: Eſt ingenua totius corporis pulcritudo, & quidem ſenatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda.*

Vtrum habenda ſit ratio pulcritudinis.

Quis enim cernua iſta ſpinturnitia & pitacea amplexari malit, quàm Helenam, pro cujus forma tota Græcia de-

cem annos bellum geſſit. Quintil. 8. Inſt. & Iſoc. de laud. Hel. *Rectè* Leo Hebræus in lib. de amore, & Camutius de felic. *oſtenderunt: amorem eſſe deſiderium pulcri*, ex Symp. Plato. *Cum igitur omnes requirant in conjugijs amorem, quare vetant pulcritudinis rationem haberi, qua amor potiſſimum alitur. Si tu eſſes formoſa minus*, inquit Acontius ad Cydippen apud Ovid. in Epiſt. *peteres modeſtè, Audaces facie cogimur eſſe tua. Quod cum ſciret Spurina, pulcerrimus adoleſcens, ſe à multis expeti, & propterea parentibus ſuſpectum eſſe, faciem vulneribus conſcidit, deformitatemq́ ſanctitatis ſuæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis eſſe maluit.* Val. 4. lib. c. de Verec. Mamer. in Pan.

Quod ſi conjecturis & præſumptionibus uti licet, adhuc formoſæ palmam dabimus. Nec enim illud de forma præſumemus, quod Quintil. li. 5. Inſt. c. de argu. *Ducitur ait, frequenter in argumentum libidinis ſpecies, ſed potius* cum Ambroſ. 2. de virgin. *quod veriſimilius eſt, dicemus: Species corporis ſimulacrum eſt mentis, figuraq́ probitatis, & ex contrario* cum Auguſt. d. 41. ſ. ult. *Incompoſitio corporis, inæqualitatem indicat mentis. Quo ſigno ductus Bartolomæus Capta Mediol. Antiſtes miniſtros quæſivit tantũ forma præſtantes, quoniam turpes animi turpia corpora incolerent*, ut ſcribit Anton. Panorm. in facet Alph. *Eodem reſpexit*, qui Conſtantino Panægyricum dicavit: *Non fruſtra, ait, doctiſſimi viri dicunt naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari: & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illô cœleſtis ſpiritus intrarit habitator.*

De deformi verò & petricoſa muliere quid dicam, cum olim monſtroſi & deformis hominis occurſus ominoſus habitus ſue

tus fuerit, qui Bruto & Dioni mortem portendit, ut in pr. vitæ Dion. ſcribit Plutarch. *itidemq́ſevero Antonino*, ut Spart. in Seve. memorat. *Audiamus Medicorum unum atq́ alterum, de deformium mulierum moribus conjectantem.* Raſis ſententia eſt 2. ad Almanſ. c. 33. *Cujus facies eſt deformis, vix poteſt habere bonos mores.* Caſsius Iatroſophiſta, quem ſe vocat, in parvo probl. Medico. libello: *ad hoc problema, cur monſtroſæ formæ homines inſipientes ſunt? Reſpondet., quia corporalibus conſentiunt animalia, ſicut animalibus corporalia. Atque ne longum faciamus*, Galenus 1. de V. P. *citat* Hipp. *dicentem, naturam circumdediſſe ſimiæ ridiculam animam ridiculo corpore, quaſi vellet repetitum, quod* 2. de Temp. cap. 6. *ſcripſerat, naturam conformare membra, prout moribus animæ convenit.*

Ex his, puto neminem eſſe, qui non conſentiat Publio Syro, *quod formoſa ſpecies, muta ſit commendatio.*

Nec tamen ita æſtimandam formam ſuaſerim, ut illi olim populi, qui Sophitæ regi parebant, de quibus Diodor. Sicul. li. 17. *quod in matrimonÿs contrahendis, neq́ dotis, neq́ magni apparatus, ſed formæ duntaxat rationem habeant: Sed conſiderandi quoq́ ſunt mores, quorum primam debere curam eſſe retrò oſtendimus. Sæpè etenim occuluit picta ſeſe hydra ſub herba, Et nivea irrepſit furialis lilia vermis. Quin animus nequam atq́ occulto crimine plenus, Sub ſpecie formæ, incauto ſe ſæpè marito vendidit, & miſero tulit invida jurgia lecto. Vnde objurgabat Olympias, Alex. M. mater, quendam aulicum, quod ſolius formæ ratione ductus, formoſam duxerat uxorem, non habito reſpectu morum: O ſtulte, inquit, qui ſolis oculis duxti uxorem.* Athen. li. 13. c. 31. Plut. in præc. connub. Limitatio.

M 2 Quod

Quod ſi uxor tua ſtata ſit forma, quam Ennius *dicebat ferè incolumi pudicitia eſſe, aut non adeò formoſa, opinione tua ſupplendum eſt, quod formæ deſit, ſed non ea ratione, qua neſcio quis Philoſophus, cum uxorem non admodum venuſtam haberet, vellet tamen eam pulcram ſibi videri: da, inquit, puer, mihi vinum, ut faciam uxorem pulcram apparere, ſed potius amore ebrium te finge, & cum* Caſo in quæſtionib. Oeconom. *perſuade tibi uxorem tuam eſſe pulcerrimam, ex eo, quod tibi maximè placeat. Sic enim æquè efflictim amabis illam propter opinionem, atq; Paris ſuam Helenam propter ipſam realem pulcritudinem.*

Vnicuiq; uxorē debere videri pulcerrimam.

Exemplum ab Hipparchia iſta Apulei 2. Florid. *petere licet, quæ cum appeteret nuptias Cratis Philoſophi gibboſi, is interſcalpium, quod gibberoſum erat, detexit, perumq; cum baculo & pallium humi poſuit, profeſſus puellæ, eam ſibi eſſe ſuppellectilem, eam formam, quam videret. Proinde ſedulò, inquit, conſule: ne poſt pœnitudo te capiat. At Hipparchia conditionem accepit, reſpondens, jamdudum ſibi proviſum ſatis eſſe, & ſatis conſultum, neq; ditiorem maritum, neq; formoſiorem uſquam gentium poſſe ſe invenire. Qui hoc ſibi perſuaſit per alienam pulcritudinem non dimovebitur à ſuæ uxoris amore, ſed eam ſolam medullitus colet, quia curat quiſq; maximè id, quod maximè diligit.* ut ait Socrat. 3. de Repub.

Occultum notabile vitium detegendum.

Cum igitur deformitas diſiungat animos conjugum, adeò ut propter notabilem deformitatem ſponſalia de futuro Canones diſſolvant, c. Quemadmodum, verſ. quod ſi poſt, juncta gl. de jurejur. Nicol. Hemming. in libel. de coniug. *ne adulterio via aperiatur, quia* ut Auſon ait, *Deformis uxor cui ſit, ancilla elegans, Vxorem habere, ſubigere*

gere

gere ancillam velit: quod Caſimirus M. quidem fecit, quoniam uxor ejus Adleida, Henrici Haſſiæ Landgravij filia, deformior erat: Crom. li. 12. *Æquum eſt, vt priuſquam matrimonium contrahatur, ſi quod occultum vitium apud alterutrum contrahentium deliteſcat, detegatur. Regibus his mos eſt, ubi equos mercantur, opertos inſpiciunt, ne ſi facies, vt ſæpè decora Molli fulta pede eſt, emptorem inducat hiantem. Quod pulcræ clunes, breve quod caput ardua cervix. Hcc illi rectè, inquit* Horat. li. 1. Sat. 2. *quantò igitur circumſpectius agendum in ducenda uxore, quam ſemel emptam, vt equum, nunquam viciſſim extrudere, aut meliori mutare poſſis.*

Illud tamen minus rectè, quod detegi mulieres velit, & de vitijs occultis explorari, quia mulier exuta tunica pariter exuit & verecundiam, quod Herod. li. *1. quidem profert, ſed* Clemens Alex. in pædag. li. 2. c. 9. & li. *3.* cap. *5. multis verum facit.* Tertullianus in lib. de velan. virg. *id unicum agit, vt, ex antiquo more Arabicarum fœminarum, ne facies quidem detegatur virginum & mulierum: &* Theodoret. in lib. de virt. activa *laudat Lyſidicen, quæ ne quidem, cum lavaretur, ſubuculam exuit: rata illud* Hier. ad Lætam de inſt. filiæ *verum eſſe: Mihi, inquit, omninò in adulta virgine lavacra diſplicent, quæ ſeipſam debet erubeſcere, & nudam videre non poſſe.*

Proinde iniqua fuit Franciſci Sfortiæ ducis Mediolanenſis petitio, qui cum Dorotheam ducis Mantuani Ludovici filiam, filio ſuo Galeacio deſpondiſſet, à Ludovico poſt poſcit, vt filiam nudam quibuſdam Medicis oſtenderet, quod tamen Ludovicus jure recuſavit, vt demonſtrat Tiraquel. l. 4. connub. *contra* Philip. Dec. & Francíſ. Aret. conſ. 142. *qui*

142. *qui jure petitum à Sfortia, & injuria negatum à Ludovico judicabant.*

Cætera igitur ſatis benè habent, vt vicium occultum verbis pateſiat, ne vid. maritus, qui quaſi emptor conjugis eſt, decipiatur. Vbiq; enim curant ædiles, ait Vlpian. l. 37. ff. de AEdil. ed. & redh. *ne emtores à venditoribus circumveniantur, idq; cavetur in* toto t. de AEdil. edict. & l. 1. §. venditor. ff. de actio. empti. *conſonatq; naturæ, vt,* ſicut ait Valer. li. 8. c. 2. in pr. *Bonæ fidei venditor, nec commodorum ſpem augeat, nec incommodorum cognitionem obſcuret. Jam conjugium contractus quidam eſt, & habet ſpeciem emtionis, quia tribus modis apud Romanos inibantur matrimonia, uſu, farre & coemtione,* ut patet ex Arnob. 4. cont. gent. Boet. in 2. com. in Top. Cic. *In coemtione* ſecundum Iſidorum 5. Etym. c. 24. in verbo Donatio, *mulier unum ex tribus aſſibus, quos in manu tenebat, viro dabat, quaſi coëmtionis gratia: & Aſsyrij olim nubiles virgines in foro vendebant,* AElian. 4. var. Stob. ſerm. 42. *ſicut & Thraces,* Sol. c. 15. *& Indi,* Strab. 15.

De dote. *Porrò in dote quoq; æqualitatem ſpectari debere,* Plato docet 3. de Repub. & Auſon. in Monoſyl. *Sæpè, ait, in conjugibus fit noxia, ſi nimia eſt dos. Eſt enim fœminæ proprium ſuperbia, vt dicit* Petrar. 2. Dial. 42. de remed. utri. fort. *quod ſi dos acceſſerit, adhuc fit imperioſior, continuoq; viro inequitare conatur, id quod* Seneca 6. declam. li. 2. *dicit: Omnes uxores divites ſervitutem exigunt: crede mihi, volent regnare in ſuis divitijs: unde ille exclamat: Dotem accepi, imperium vendidi.* Demenætus ap. Plaut. in Aſi. *Quod cum ſciret Hermocrates, noluit filiam Antipatri, qui Imperatori ab ep. erat, ab ipſo patre oblatam, in matrimonium accipere. Doti, inquit, magnæ non ſerviam,*

viam, neque ſoceri ſuperbiæ, ut ſcribit alicubi Philoſtratus.

Ea fortaſſe cauſſa fuit, quare Mahometh ſponſas voluit nubere ſine dote, Menavin. in capitu ſua. *ſecutus Solonem, qui tres tantum veſtes & parvi emta nonnulla vaſa conceſſit dotis loco uxori à patre ad virum exportanda*, Plutar. in Solo. Plato 3. de Rep. 50. *drachmarum dotem conſtituit. Lex divina 50. Siclis, id eſt, 13. aureis, ſi rectè computat* Bodinus 5. de rep. c. 2. Ariſtoteles *quoque taxat Lacedæmonios* 2. polit. 7. *quod amplam dotem relinquant mulieribus, rationem taxationis reddens eam, ne mulieres inſoleſcant, & propter dotem arrogent ſibi imperium. Eandem rationem reddidit &* Plato 3 de rep. *& ſimul illam alteram, ne familia paterna per dotem exhauriatur, quam Veneti potiſſimùm reſpexerunt, dum certam patricijs dotem præfinierunt, nimirum 1600. aureorum*, ut in ſtatutis Venetorum continetur. *Solent enim Veneti patritiarum familiarum maximè curam habere, quippe, penes quas vertitur cardo reipub.*

Apud Romanos olim lex Voconia, cujus mentionē facit Cic. in 3. Ver. Auguſt. 3. de c. D c. 21. Iuſtin. §. 1. Inſt. de l. Falcid. *modum impoſuit quoq; dotibus, quia æqualem fuiſſe maſculorum & fœminarum ſucceſſionem.* Iuſtin. exprimit l. 14. C. de leg. hær. *Sed priſtinam legē Iuſtinianus, vel potius Theodora, quæ fœminas ubiq; maribus ferè æquavit, revocavit* d. l. 14. C. de leg. hæred. & Novel. 118. c. 4. *Et cum Armenij à bonorum ſucceſſione repellerent fœminas, ut familiæ conſervarentur, extra quas ablegantur fœminæ, dū nubunt,* Iuſtinianus *hoc jus Romanum iiſdem imperavit*, Novel. 21. quæ eſt de Armeniis. *Antequam ll. Romanorum à Lothario in Italia viciſſim excitarentur, antiquum Armeniorum*

jus apud

jus apud Gallos quoq; & Germanos valuit. Antiqua enim lex eſt: In terra Salicâ mulier ne ſuccedat. Et de Maſſilienſibus ſcribit Strabo li. 4. *quod ultra centum aureos & veſtes quinq; aureorum pro dote nihil dederint.*

Huc quoq; reſpexit Lycurgus, qui auctore Iuſtino 3. li. *juſſit virgines ſine dotibus nubere, quo ſeverius eſſet imperium virorum, ſi non regerentur frenis dotium. Item Caſimirus M. rex Polo. qui Palatini ditiſſimi filiæ dotem noluit excedere 100. Mar. ſi fratres fuerint ſuperſtites: in minus ditibus, minorem ſtatuit dotem:* In Comit. Viſſic. an: 1368. lib. 3. ſtat. cap. 6. a. 3. l. 2. *Idem judicium eſt, de mulieribus dignitate & nobilitate ſuperioribus, quæ viros multò magis contemnunt, non tantum ob nummatam dotem, ſed quia nobilium generi ſemper aliquid innatum eſt elati animi, quod licet in viris calcar poſſit addere ad virtutem: in fœminis tamen improbatur, quia non ad imperandum, ſed parendum natæ ſunt.*

Ludovicū comitē Thuringiæ filia Vlrici ducis Saxoniæ ita deſpexit, ut ad parentes ex conjugio rediret. Rivand. in Cron. *Theodoſius Imper. licet Eudociam Athenienſ. Philoſophi filiam, impensè ab initio amaret, tandem tamen ſub prætextu religionis miſit eam Hieroſol. non ſuſpicione alienati ab ea animi.* Zon. in Theod. *Henrico Stuarto regium conjugium vitam ademit, quippe quem Maria Regina, vix uno anno pro marito habuit: mox ab auctoritate clanculum dejecit, tandem etiam clandeſtinis inſidiis per Bothuelium interfecit.* Buchan. lib. 17. 18. hiſt. Scot. *Qua de cauſſa Eliſabetha uxor Caſimiri 3. Matthiam regem Vngariæ noluit habere generum, quod ab Hunniade ex humili ſtirpe ortus eſſet.* Crom. li. 28 *& Boleslaus Mazoviorum dux repudiavit Annam Pauli Hunovij Palatini Belſenſis*

ſenſis filiam, exagitatus à fratribus & proceribus, quod imparem duxiſſet conjugem, cum tamen Conradus ejus frater plebeiam uxorem haberet. Cromer. li. 28. Hinc etiam Pſammenitus rex Ægypti noluit Cambyſi filiam nuptum dare, quod ſuſpicaretur, illam non uxoris, ſed pellicis loco habitum iri. Herod li. 3. Et Cato denegavit filiam ſuam Pompeio, quod ſciret potentes inferiorum connubia non virtutis, ſed ſuorum commodorum gratia petere, Plut. in Pom. & Cat.

Apud Romanos ardua fuit concertatio ſuper l. 12. tab. qua plebei arcebantur à conjugijs patriciorum Canulejus apud Liv. li. 4. incuſat moroſum patrum ſuperbiam, qua plebem juxta ſe deſpiciebant, nec deſtitit, donec legem perferret, qua promiſcuè libera fiebant patritiorum & plebeiorum conjugia. Patritij ſuæ legis hanc habebant rationem, quod plebeij carere crederentur auſpicijs, ſicut Cicero de div. docet. Vnde & tributa comitia erant inauſpicata: & licet alij ejus legis alias adferant rationes, tamen hæc vera eſt, quam adfert Zaſius in Catal. ll. Rom. quamq́; ipſe Appius Claudius, poſt longas diſputationes Canuleio reſpondet, apud Liv. li 4.

Verùm, quia ratio illa ex falſa ſuperſtitione proficiſcebatur, quam Decius ſua devotione non longè poſt refutavit, non tam ſuperſtitioſè diſtinctio ordinum in contrahendis conjugijs obſervanda eſt, quamquam ad diſtinctionem & conſervationem familiarum utilis eſt. Ad conjunctionem verò civium & concordiam retinendam, Plato 6. de ll. jubet plebeiorum & nobilium conjugia miſceri. Nam Venetorum plebem nihil magis retinet in officio, quàm quod filiarum ſuarum liberos, & ſanguinem ſuum inter patritios recipi vident, unde ſe quoq; minus à patritijs contemni putant,

tant, quando familiæ ipſarum ad conjugia patritiorum admittuntur. Sed ne temerè plebeij filias ſuas ingerant patritiorum familijs, utq; patritiæ familiæ plebeiorum matrimonijs augeantur, major dos præfinita eſt plebeiæ ad thalamum patritij adſpiranti, quam patritiæ, prout in Statu. Venet. legitur. *Leges Romanæ à ſenatorum liberis ſegregant non in univerſum plebeios, ſed libertinos, artemq; ludicram facientes* per l. Iuliam de marit. ord. l. oratione, l. ſemper §. 1. de ritu nupt. l. 3. C. de nupt. Vlpian. Inſtit. t. 13. §. 1. *Si tamen hic ullo modo ad inæqualitatem declinandum, melius eſt, ut ſuperior dignitate ſit maritus, quàm uxor, quia ſolutius habebit imperium, & uxorem magis obſequentem.*

In cæteris quoq; matrem amicitiæ æqualitatem obſervari tutius eſt, ita tamen, ut ſinamus unumquemq; abundare ſuo ſenſu. Nam, ut verbis Plinii utar li. 22. cap. 24. *non omnibus eadem amara ſunt, aut dulcia: Et ſua cuiq; Deus fit dira libido. Nos hinc abimus, ſi illud prius repetiverimus, nihil in conjugijs temerè, nihil inconſultò tentandum. Nam ea eſt pœna malè emtæ mercis, ut emtori perpetuò ſuam exprobret ſtultitiam. Propterea non ut olim Lacedæmonij noctu:* Plutarch. in Lycurg. *aut ut Romani per tenebras ſine luce inibant matrimonia,* Plut. in Lacon. *aut ut Dapſolybies, omnes uno die congregati uxores ſimul ducebant, poſt Vergiliarum occaſum, ea ratione, ut ſeorſim diſcumbentibus fœminis, extinctis lucernis immiſcerentur viri, illã quilibet pro uxore retenturi, in quam fortè fortuna inciderant.* Stob. ſerm. 42. *Sed circumſpectis prius omnibus, habita ratione parentum & morum, & inprimis, quod in hoc negotio caput vocabat.* Iſchomachus apud Xenoph. in Occo. *invocato ſupremo nuptiarum autore, tum demum, qualem deſcri-*

deſcripſimus eligenda eſt. Sin amor quenquam alio abripiat, & hujus oblectationibus dandam veniam putamus, quò noſtris impetremus. Plin. lib. 19. Epiſt.

CAPVT IV.

De Domino & Servo.

PYthagoram narrat, vel potius fingit AElianus de Var. hiſtori. *in duobus locis ſimul viſum.* Et Antoninus 2. par. tit. 10. c. 11. §. 4. *Ambroſium teſtatur ſimul Mediolani divinis rebus aſtitiſſe, ſimul & Thuronæ exequijs D. Martini interfuiſſe. Sed* Amphitruo apud Plaut. in Amphit. *nequit illud ſibi perſuadere. Nemo, inquit, unquam homo vidit, nec fieri poteſt, tempore uno homo idem duobus locis vt ſimul ſit. Quod cum de patrefamilias quoque verum ſit: nimirum, vt non poſſit in omnibus locis, ubi res ejus agitur, ſimul apparere, indiget vicario ſervo, cujus cum domino converſatio, proximè explicanda eſt.* A d quid opus ſit ſervis.

Servum quidem in genere cum Priluſio in ſtatut. Polon. li. 1. c. de ſerv. *accipimus pro omni adjumento, quod ad operas ſuas paterfamilias conducit: verùm huc pertinet tantum ea cura, quæ ad Politiam univerſam attinet, & concernit veros ſervos, qui perfectam ſervitutem ſerviunt.*

Servi ſecundum Marcianum l. 5. §. 1. ff. de ſtat. homi. *in dominium noſtrum rediguntur, aut jure civili, aut jure gentium.* Ariſtot. 1. Polit. c. 1. & 3. *addit & jus naturæ, quādo videlicet natura generavit hominē, adeò rationis* Quot modis fiant ſervi. 1. A naturæ.

impotentem, ut ſibiipſi de victu & ſalute proſpicere non poſſit, illum ad ſerviendum generaſſe videtur. Sicut igitur Jaſon dixit, ſe obedire non poſſe, quod ad imperandum natus eſſet: Ariſt.3. polit.3 *& Themiſtocles declinavit à ſe ſuſpitionem defectionis ad Perſas, ex eo, quod non eſſet veriſimile ipſum ſerviturum, qui natus eſſet ad imperandum:* Plutarch. in Themiſt. *Ita in multis ratio ita diminuta eſt, ut ſub domini cura melius, quàm in libertate vivere nati ſint.*

Non apparuit clarius, quàm parum ſapiant ſervilia ingenia, quàm in ſervis Tyrijs, quibus univerſis, etiam ſervorum judicio, Strato unicus prudentior apparuit. Iuſtin. li.16. *Cum etiam tempore Conſtantini M. Pontifices Eccleſiarum manumittendis ſervis certarent, ſicut de Paulino Nolæ Epiſcopo* hiſtoriæ Africanæ *memorant, quod corporis ſui pretium liberandis ſervis impenderit, tanta oborta fuit mendicorum, quique ex propria prudentia ſe nutrire neſciebant, multitudo, ut rogatione Pontificum Xenodochia, Noſocomia, & id genus alia hoſpitalia coacti fuerint Jmperatores ædificare, quò mendicis religiones levarent: Et Valens edicto vetuit, ne quisquam ſine labore oſtiatim ſtipem quæreret, ſed in ſervitutem retraheretur.* Bodin. 1. de Repub. c.5.

Apparet hinc, quoſnam Ariſtoteles *vocet natura ſervos, eos videlicet, qui præ impotentia mentis familiam non regere, nec ſe cum conſilio ſuſtentare poſſunt. Quod ipſum non pugnat cum ICtis, qui negant aliquem natura ſeruum eſſe.* l. quod attinet. de R. I. l.5. ff. de ſtat. homin. §. 2. Inſtit. de iure perſon. *ubi ſervitus definitur contra naturam eſſe. Nam ſicut* Cicero in parad. *ex Stoicorum ſententia diſputat: omnes ſapientes eſſe liberos; ita* Ariſtot. *omnes*

inſipientes à natura ad ſervitutem deſtinatos dicit, non autem vult eos actu ſervos eſſe, ſicut ICti ſervitutem accipiunt, quando natura ſervos vocant, qui ex ancillis naſcuntur. Hi enim actu ſervi ſunt. Ariſtot. *autem ſententia accipienda eſt in eum ſenſum, quo* Plutarch. in Pelopid. *ait, Pelopidam natura Imperatorem fuiſſe, non, quod talis fuerit natus, ſed quod prudentiam regiam à natura habuerit.*

Ex jure gentium dupliciter ſcribit ICtus *fieri ſervos: aliquos naſci, aliquos in bello capi, qui inde etiam mancipia dicuntur. Manceps enim eſt* ſecundum Feſtum Pompeium, *quod manu capitur. Cyrus enim* apud Xenophon. li. 4. Νόμος, *ait,* ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστι, *ut urbe in bello capta, victori cedant omnia, quæ in illa ſunt, tum corpora, tum pecuniæ, cui conſonat omninò* Ariſtot. 1. polit. c. 4. *&* Plato 1. de ll. *omnia videlicet bona & corpora eorum, qui vincuntur, victoris fieri. Et jure ſanè, quia cui licet impunè occidere, cur non liceat id, quod minus eſt, ſcilicet in ſervitutem abducere.* Ex iure gentiū.

Eo jure etiamnum hodie Chriſtiani, quos ex bello Turcico capiunt infideles, in ſervitutem condemnant, æquali ſeveritate crudelitatem Turcarum retaliantes: Et Iagello Rex Polon. conſtituit Anno 1430. in comit. Iedlin. *ut captus capientis ſervus eſſet,* Cromerus li. 19. *licet indignum Chriſtiana pietate eſſet, Chriſtianos invicem in ſervitutem poſſidere, cum etiam Græcorum humanitatem eò proceſſiſſe ſcribat* Ariſt. 5. Eth. *ut ſi quis à Græcis captus fuiſſet, auri libra potuiſſet ſe vel ex inviti victoris manu liberare: imò Athenienſium legibus morte mulctabatur, qui hominem in ſervitutem redegiſſet.* Xenoph. 1. de dict. & fact. Socrat. *Lacedæmonij tamen antea expugnatis Helis & Meſſenijs,*

 ami-

univerſos in ſervitutem abduxerunt, unde Helotæ poſtea prodierunt. Pauſan.in Laconic.

5. Ex jure civili.

Ex jure civili nominat Marcianus *tantum eos, qui precium accipiunt, & libertatem ſuam vendunt. Meritò enim ſervi fiunt, unde & eorum, qui ad actum gerendum, id eſt, ut actores rerum fieri poſſint, in ſervitutem abeunt, teſtamenta valere negat* Vlpianus l. 6. §. 5. ff. de iniuſto rupto &c. *quia ſervi ſunt. Hos in ſervitute relinquit jus divinum.* Exod.21. *Volenti enim non fit injuria.*

Sed & qui præſcribitur bona fide, emtus à Piratis vel latronibus, jure præſcriptionis poſſideri poteſt. Item ſervus eſt, qui ad mortem damnatus ſalvatur, & in ſervitutem datur. Fit enim ſervus pœnæ eo ipſo, quod damnatur, ut ait Vlpian. l. ſi quis 6. §. 6, ff. de iniuſt. rupt. *Cum enim ſervitus ſit mitior pœna, quàm mors,* l. capita. ff. de pœnis l. 8. §. 4. ff. Eod. *jure videtur in ſervitute retineri poſſe, quem alias mors abſumſiſſet. Sed ſicut* Leo *venditionem* Novel. 59. *ſic* Iuſtinian. Novel. 22. c. 8. *abrogat legem* 17. ff. de pœnis. *Nos, inquit, hoc remittimus & nullum ab initio benè natorum ex ſupplicio permittimus fieri ſervum. Neq; enim mutamus nos formam liberam in ſervilem ſtatum, qui etiam dudum ſervorum manumiſſores eſſe feſtinamus. Et hæc quidem conſtitutio æquior eſt, ne unius patris peccatum totam poſteritatem trahat in ſervitutem, cum ne judicio quidem parentis, niſi meritis de cauſſis ſummoveri hæredes à bonis damnatorum poſſint,* ut ait Paulus l. cum ratio 7. ff de bon. damnat. c. Quæſivit 2. de iis, quæ fiunt à major. par. cap. in 6.to.

Ex ll. 12. tabul. *putant plurimi fluxiſſe immanitatem illam, qua creditores abducebant debitores, qui ſolvendo eſſe non poterant, in ſervitutem, aut ſi plures eſſent credito-*

res, dividebant debitoris artus inter ſe. Verba legis recenſet Gellius lib.20.c.1. *ſed quia admodum corrupta ſunt, à* Cujacio, Rævardo, Hottomanno, & Criſpino ad ll.12. *reſtituta leguntur, unde peti poſſunt.*

8. Cæcilius *excuſat ſeveritatem legis, quod majores Romani fidem non modo in officiorum vicibus, ſed in negociorum quoq; contractibus ſanxerint, maximeq́ in pecuniæ mutuaticiæ uſu atq; commercio. Verum addit tamen, neminem unquam ob æs alienum diſſectum fuiſſe. Sed nexi & addicti omni tempore habiti leguntur, in quibus vindicandis Metius & Manlius,* Liv. lib. 6. *gratiam plebis captabant. Nam ſingulæ ferè domus patritiorum ſinguli erant addictorum carceres,* ut ait Liv. *Et hinc timet ſibi* Terentianus Phormio. *cum nihil haberet, ne duceretur damnatus domum. Imò ante* ll.12. apud Liv. lib. 2. *legitur ſenex quidam promiſſa barba, ſqualore obſitus, ex patricij carcere prorupiſſe in forum, & populum ad miſericordiam ſeditionemq́ concitaſſe, quæ non antea quievit, donec jus addicendi abrogaretur. Decemviri verò fidei ſervandæ cauſſa, priſtinam ſeveritatem reduxerunt, in quam* Ambroſius *invehitur* in lib. de Tob. c. 8. & 10. *Item* in lib. 1. offic. ait: *Grandis culpa eſt, ſi te ſciente fidelis egeat, ſi ſit in carcere, & pœnis & ſupplicijs propter debitum juſtus torqueatur, &c.*

Quos pro ſeruis habere liceat.

Sæpius verò poteſtatem, ſibi debitores addicendi, creditoribus eripuit ſeditio vilioris plebis, ut apud Liv. lib. 2. & 8. *ubi ll.* 12. tab. *obrogatur, per legem novam Pœtilij & Papirij Coſſ. qui,* inquit Liv. *juſſi ſunt ferre ad populum, ne quis, niſi qui noxam meruiſſet, pœnam daret in compedibus, aut in nervo. Veriſimile tamen eſt, antiquam conſuetudinem iterum rediſſe, quia* Var. li 6. de ling. Latin. *mentionem*

facit

Propria enim bona poſſident, eaq́ ad hæredes tranſmittunt, *ut* Caſimirus M. *ſtatuit* Viſli. anno 1365. *cum jam olim* Caſimirus I. an. 1180. *vetuiſſet* Kmetonum *villas diripi.* Michou. lib. 3. cap. 24. *Habent & cognationes civiles.* In ſtat. Polon. lib. 1. c. 17. a. 3. l. 8. *conjugia celebrant,* Ibid. a. 6. l. 3. *imò nec perpetuas, vel quas vult dominus, operas præſtant,* ex ſtat. Sigiſmundi Thoron. An. 1520. *& multis ex cauſis dominum repudiare poſſunt.* In ſtat. Polon. lib. 1. c. 17. a. 5. l. 2. &c.

Aequitatis eſſe ſervitutem abrogare.

Verùm, ut hæc omnia jure procedant, melius tamen eſt, ut non juris rigorem ſemper, ſed & æquitatem ſeu juris mitigationem ſequamur, quam Ariſtot. 5. Ethic. c. 10. *juſticiâ non rarò utiliorem & laudabiliorem pronunciat. Non poterat Sapor rex Perſarum prohiberi, quin ad arbitrium tractaret Valerianum Imperat. à ſe captum:* Zoſim. in Valer. *admonebatur tamen à vicinis regibus, ut conditionem fortunæ recogitaret, nec adeò inhumaniter victo principi inequitaret.* Polli. in vita Valer.

Macrobius 1. Satur. c. 11. *pro ſervis citat curam DEI, ex hiſtoria Atronij Maximi, quam &* Livius lib. 2. *ſed paulò ſecus, alioq́ tempore recenſet: Et* Hierem. 34. *minitatur Deus ſervitutem dominis, quod ſervos juſto tempore non manumittant. Eſt enim iniquum, ejuſdem animi & corporis hominem tam utiliter & pecudum more haberi. Qua ratione quidem tractabantur ſervi apud gentes. Servus de jure civili Roman. pro nullo habetur,* l. 1. §. 1. Vnde cogn. l. Quod attinet de R. I. l. 2. de iure delib. *id eſt, jus nullum habet,* ut loquitur Paulus l. 3. §. 1. in fi. de cap. min. *Hinc ſervi comparantur pecudibus,* l. 2. §. 2. ad l. Aquil. *mortuis,* l. 59. in fi. de cond. & demonſtr. *cognationem nullam habent, niſi naturalem, nec matrem, nec pa-*

trem,

trem, nec liberos, l. Hos accuſ. §.penult. de Accuſa. *quò alludit* Plautus in captiu. *cum quidam ſervus patrem ſuum nominaret, quomodo ridens, inquit, patrem, qui ſervus es. Inde nec nuptias contrahunt*, l. 3. C. de inceſtis. *nec ſibi quicquam acquirunt, ſed dominis*, l. 79. de acquir. hæred.

Hinc porrò ſequitur, quod omnium fuit deterrimum, vt cum jus nullum haberent, nec injuria affici potuerint, §. Seru. 3 Inſtit. de iniur. *qua de cauſſa impunè à dominis occidi poterant*, l. 1. § 1. de his, qui ſunt ſui vel &c. *Nam Lacedæmonij cum à ſuis Helotis ſibi timerent, congregatos circa fanum Jovis, ad unum omnes trucidarunt*. Thucyd. lib. 4. *Apud Romanos, quoties contigiſſet Dominum necari, omnes ſervi rapti ſunt ad ſupplicium*. Cicero pro Roſc. Amer. *Ita 400. ad ſupplicium decreti ſunt, cum cæſus eſſet Pædianus urbis præfectus*. Tacitus lib. 14. *Quintius Flaminius in gratiam Cynædi, ſervum in medio convivio peremit, quem tamen Cato, non aliter, niſi honore ſenatorio multavit, cum is interim unà cum fratre putaret ſibi magnam factam injuriam*. Plutarch. in Flam. *Quid Vedius Pollio? an non ad piſcinam murenarum damnavit ſervum, ob vitrum Chryſtallinum fractum?* Sen. 3. de ira. c. 40.

Diſplicuit iſta crudelitas Auguſto convivæ, & ſervum, ſi Senec. *credimus, liberavit, ſi verò* Dion. lib. 55. *non potuit è poteſtate Domini eripere. Diſplicuit eadem quoq; alijs gentibus, quæ aſyla, pro refugijs innocentum ſervorum, erexerunt. Et, vt* Alexand. ab Alexan. lib. 3. gen. dier. c. 20. ſcribit. *Cadmus primus omnium Thebis, mox Theſeus Athenis erexit aram miſericordiæ*. Plut. in Theſ. *quæ aſyla Tyberius ſuſtulit, vt ſervatorum gratia ſolis principibus accepta referretur*. Tac. 3. Annal. *Romæ ex Senatuscon ſ. ſtatua*

Romuli primum aſylum ſervorum fuit. Halycar. lib. 2. *Servius Tull. Dianæ templum adjecit.* Halycar. lib.4. *deinde ſtatuæ principum pro refugijs habitæ ſunt* tit.C.de his qui ad ſtat. conf. *& tandem ſacræ Eccleſiæ* l. Fideli 2. & l. Præſenti, 6. de his, qui ad Eccl. conf. c. Reum. c. Frater c. Nullus c. Si quis contumax &c. 17. q. 4. *Sed hæc privilegia innocentiæ tantum ſunt conceſſa* l. 28. §. 7. ff. de pœn. l. uni. in fi. C. de his, qui ad ſtat. prin. conf. *In* ſtatut. Polon. li. 1. c. 4. a. 5. l. 13. c. 12. a. 9. l. 2. c. 16. & 17. a. 2 l. 11. li. 3. c. 11. a. 7.

Quin etiam Romani aliter occurrere voluerunt ſævitiæ dominorum, per l. Aquil. l. 2. et 3. ff. ad l. Aquil. *& l. Cornelia de ſica. tenetur, qui ad beſtias tradidit ſervum ſine judice*, l. 11. §. 1. et 2. ff. ad l. Cornel. de ſic. et ven. *quod ipſum l. Petronia & SCtis ad eam l. pertinentibus, antea cautum erat. Poſtea D. Pius durius tractatos ſervos, quam æquum erat, dominorum poteſtati ſubtrahit.* l. ſi Dominus 2. ff. de his, qui ſui vel al. §. Sed hoc *Inſt.* Eod. *Et D. Hadrianus Vmbriciam matronam in quinquennium relegavit, quod ex levi cauſſa ancillas atrociſſimè tractaſſet*, §. ult. in fin. l. 2. ff. Eod. *Idem vetuit ſervis virilitatem auferre*, l. 4. §. ult. ff. ad l. Cor. de ſic. *aut thlibias ex ijs facere*, l. Hi quoq; 5. ff. Eod. *aut aliter inhoneſtè tractare, ſicut Scythæ cogebant ſeruos vulvas aſinarum inflare, quò lac copioſius producerent*, Herod, li. 3.

Multitudo ſervorum nocet Reip.

Sed pergemus propius ad noſtrum inſtitutum, & oſtendemus multitudinem ſervorum, qualis olim habita fuit, Rebuſp. inutilem & pernicioſam eſſe. Ad hanc rem accommodatiſſimum eſt argumentum Ariſtot. 2. polit. c. 7. *quo is reprehendit Rempub. Lacedæmoniorum ob abundantiam ſervorum. Illi enim, inquit, ſi aſperè tractentur, inſidiantur,*

ſi molliter, ſuperbiunt, & ſe dominis pares putant. Fieri quidem non poteſt, quin iraſcantur ſervi, & ſuæ conditioni, & injuriæ dominorum, adeoq; ad libertatem, cujus amor omnibus innatus eſt, incitentur. *Vnde* Macrob. lib. 1. Satur. c. 21. *in proverbium narrat abiiſſe: Totidem nobis hoſtes eſſe, quot ſervos: Et* Livius *ſcribit* lib 3. *cum Appius Herdonius Sabinus collectis exulum & ſervorum quatuor millibus capitolium aſcendiſſet, ſervosq; omnes ad libertatem proclamaſſet, maximus timor erat, ne ſuus cuiq; domi hoſtis eſſet, cui nec credere, nec non credendo, ne fieret infeſtior fidem abrogare ſatis tutum erat. Hæc quoq; fuit ratio, quare Mucha ruſticanus homo ex ſervili grege Walachorum ſine negotio exercitum 1000. conſcribere potuerit.* Crom. lib. 29. rer. Polo.

Poterit autem ſervos eò magis contra dominos armare, quò plures fuerint, ſicut Athenis aliquando ſunt cenſa 10000. peregrinorum, 20000. civiũ, ſed ſervorum 40000. Quod ſi potentiam ſuam noſſent ſervi, quantilla opera potuiſſent dominis imperium eripere. Unde cautè interceſſit ſenator Romanus SCto de diſtinguendis ordinibus per veſtitum, ne ſi multitudinem ſuam viderent ſervi, contra dominos inſurgerent. Bodin. *1.* de Rep c 5 *Hoc modo Tyrios ejecerunt ſervi,* Iuſtin. lib. *18. Scythas ex Media redeuntes, à patria repulerunt ſervi,* Herod. li. *3. ſicut & Novogradenſes ab expugnatione Corſi reverſuros* Sigism. Baro.

Regnum Tartarorum à ſervis initium ducit, Hatto Armen. *à quibus & Sultanatus Ægyptius inſtitutus erat.* Marr 3 leg. Babyl. *Sed hi Mammeluci cum intelligerent armorum tractationem, ſibi adjumento fuiſſe in occupanda Ægypto, ſubditis omnino arma interdixerunt, in quem ſi-* [illegible] *arma tractare,* l 9. l 11.

ff. de re milit. l. 7. l. 8. C. Qui mili. poſſ. *quanquam ejus altera adhuc cauſſa erat, vt infra dicemus. Sed nec ſic potuêrunt tuti eſſe Romani, quo minus App. Herdonius ſervos in aciem produceret*, Liv. lib. 3. *& Spartacus gladiatorum manus colligeret, quos duo ſummi duces, Craſſus & Pompejus vix debellare potuerunt*. Plut. in Craſ. Appian. Athen. δειπνοσοφ. 5.

Præterea ſervi ſunt, materia ſeditioſorum hominum, qua in evertendis Rebuſp. uti ſolent. Cum enim eos ſuæ conditionis non poſſit non pœnitere, veriſimile eſt, quod levi quadam occaſione cõtra dominos excitari poſſint, ſicut Pauſaniæ objectum fuit, quod contra patriam ſervos in militiam conduxerit, Thucyd. lib. 1. *& Nabis Tyrannus, revera ſervorum opera contra ſubditos uſus eſt, idq; putat ſe feciſſe more majorum*. Liv. lib. 34. *Mahometis viribus nihil attulit majus pondus, quàm ſervorum ad pileum vocatio, quam Haumarus proclamavit. Clearchus Heracleënſis ad eijciendos 65. Tyrannos, ſervos primùm conduxit, mox eorum opera univerſam civitatem evertit*. Iuſtin lib. 16. *Quin etiam apud Francos Lotharius Ludovici Pij filius, bis à fratre victus, tandem ex ſervis exercitũ reparavit*. AEmil. 3. de reb. geſt. Franc.

Atq; hoc periculum augetur, quando in ſervitutem abducuntur excelſi, & ad maxima quæq; nati animi. Quanquam enim in his ſuffocandis naturæ juri infertur injuria, quæ eos ad libertatem genuit, & non ad ſervitutem: tamen & in ſervitute illi animi non magis quieſcunt, quàm libertati aſſueta animalia in caveis & carceribus. Exemplo ſint Epaminondas, Pelopidas, Timoleon, Aratus, Lycurgus, Dion, Brutus, Caſſius, *& infiniti alij, qui ſuorum conatuum aliam non habuerunt rationem, quàm quod Tyran-*

nide

nide premi neſcirent. Quid enim Scanderbegium contra violentiã Amurathis II. everberavit, niſi heroicus animus, in corporis quoq; lineamentis oſtenſus. Marin. Barlet. in hiſtor. Scanderb.

Deniq; cum ſervi ſæpiſſimè lapſuras Reſp. conſervarint, quid facturos putemus, ſi liberi omnes fuerint, cum certum ſit, quod Polyb. lib. 6. de exercitib. Romanor, *ſcribit, eos propterea fuiſſe fortiores, quod cives illic pro libertate depugnarent, cum è contrario Carthaginenſium imbecilliores extiterint, quod conſtarent ex mercenarijs, pro aliena ſalute militantibus. Ita ſi ſervi in civium numerum reciperentur, eò pugnarent animoſius, quò ſciunt certius, ſe pro utilitate propria pugnaturos. Cleomenes, cum Lacedæmonij uſq; ad 1500. deleti eſſent, ex ſervis exercitum recollegit,* Plutar. in Cleom. *quod jam antea fecerant Lacedæmonij, cum bello Meſſeniaco exhaurirentur.* Iuſtin. lib. 3. *Ita Athenienſes contra Chios, Chiorum ſervis pugnarunt*, Thucyd. 8 lib. *& Romani ſecundo bello Punico exhauſta civitate, lacunas ſervis Volonibus expleverunt. Nam Scipio poſt Cannenſem cladem, 300. ſervos manumiſit.* Plutar. in Scip. Florus *verò* Epit. 32. & Macrob. 1. Satur. c. 21. *octo millia manumiſſa ſcribunt, & ad bellum decreta, quod in bello civili repetitum uterq; teſtatur.*

Satius igitur eſſet, ut ſervitus omninò tolleretur, ſicut Bodin. 1. de Repub. c. 5. *auctor eſt, Hiſpano in Gallijs, abjudicatum eſſe ſervum, quem eò induxerat: Et cum Carolus V. in ſervitutem damnaſſet omnes Americanos, Paulus III. interceſſit, ijsq; per bullam libertatem reſtituit:* Boter. 4. Coſmo. *imprimis cum injuriâ fortunæ non parum multi ſerviant, qui prudentia ſua Reip. inſignitè prodeſſe poſſint, ſicut Diogenes Cynicus, rogatus à Xenide licitatore, quid ar-*

tis calls

tis calleret: Novi, inquit, hominibus liberis imperare: Eubolus in li. qui inſcribitur: venditio Diogen. *& Micetas ab Anaxilao Meſſenio, liberis tutor relictus tam prudenter adminiſtravit regnum, ut illud gratioſiſſimum hæredibus apud ſubditos efficeret,* Macrob. *1.* Satur. c.21. *Quid? inquit Canuleius* apud Liv. lib. *4 nonne Servius Tullius captiva Corniculana natus, patre nullo, matre ſerva, ingenio & virtute regnum tenuit. Præterea philoſophos ſummos, ex ſervis natos, quos apud* Macrob. 1. Satur. c.21. Gell. li. *2.* c. *18. legere quisq; poteſt.*

Caput V.

De Patre & Liberis.

De officio & reverentia liberorum erga parentes.

D*E ſervis hactenus: Cætera ad OEconomicam pertinent, cum de iis,* dicente Cicerone 2. de offic. *commodius à quibuſdam ad medium Janum ſedentibus, quàm ab ullis Philoſophis ulla in ſchola diſputari poſſit. Parentum adhuc & liberorum ſocietatem ſubjungemus, quippe, in qua ijus Politicum magis locum habet. Eſt autem inter parentes & liberos ſocietas vel amicitia regia, 1.* Polit. 8. *1.* Oecon. 3. *quam* Ariſtot. 8. Eth. c. *11.* & *12. vocat ſecundum excellentiam, in qua inferior perſona ſuperiori debet reverentiam. Hanc enim lex divina* Exod. *22.* Deuter 5. *cum ſingulari Emphaſi liberis inculcat: Imò Turcæ inter 8. ſua vitæ præcepta, tertio loco jubent colere parentes, fortaſſe, quod ex* Platone 9. & *11.* de ll. Plutar. de frat. am. Hierocl. de off. lib. *ſciant, Deos nihil exaudire facilius, quàm imprecationes parentum, quippe, quas juſtiſſimas eſſe putant, cum liberi parentibus maximum honorem debeant.* Menavin.

in re-

in relat. hiſt. Turc. *Vide prolixè* Gruter. diſc. 3. ad Tacit.

Unde non immeritò Solon rogatus, quare parricidiis pœnam non deſtinaſſet, reſpondit: Neminem adeò deteſtabilem fore, quem id facturum putaret. Cicer. pro Roſc. Amer. *Nullum enim ſcelus parricidio comparandum venit, quia nemo eſt, cui plus honoris debeamus, quàm parentibus. Unde* Horat. 2. lib. Od. 13. *ſceleſtiſſimum hominem deſcripturus: Illum, inquit, parentis crediderim ſui Fregiſſe cervicem, quaſi ſceleſtius dicere nil potuiſſet, &* Iuſtin. lib. 16. in pr. *cum ſcripſiſſet, Antipatrum matrem ſuam interemiſſe, id factum, ait, eò gravius fuiſſe viſum omnibus, quod nullum maternæ fraudis veſtigium fuit, quanquam in parricidio nulla ſatis juſta cauſſa ad ſceleris patrocinia prætexi poteſt. In parricidio enim omnia ſcelera complexa eſſe videntur,* ut ait Cicero pro Roſc. *& hoc ſcelus aſperrimum vocat* Imper. §. Alia, Inſt. de public. judic.

Apud Feſtum *antiqua Romanorum lex ſcribitur: Si parentem puer verberit; aſt olle ploraſſit, puer Divis ſacer eſto. Et meritò. Si enim rectè ſcriptum eſt à* Macro. l. Milites. 13. §. 4. ff. de re milit. *Irreverens miles non tantum à tribuno vel centurione, ſed etiam à principali coërcendus eſt. Nam eum, qui centurioni caſtigare ſe volenti reſtiterit, veteres notaverunt: ſi vitem tenuit, militiam mutat: Si ex induſtria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur: quantò magis idem filio capitale futurum putandum, qui longè magis ſubjectus eſt patri, à quo & vitam & omnia ſua accepit. Et hoc ita ſtatuit* Vlpianus l. etiam 1. §. ſi filius. ff. de obſeq. par. *Si filius matrem & patrem, quos venerari oportet, contumeliis afficit,*

ſpiciat, vel impias manus ijs infert, Præfectus urbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo ejus vindicat. Hodie carcere, relegatione, vel manus, qua verberavit, amputatione punitur. VVeſemb. in parat. ad l. Pomp. de parricid. n. *12.* in fin.

Hinc idem. Vlpianus l. Honori. 2. de obſeq. par. *honori parentum ac patronorũ tribuendũ putat, ut quamvis per procuratorem judicium accipiant, nec actio de dolo, aut injuriarum in eos detur. Licet enim verbis edicti non habeantur infames taliter condemnati, re tamen ipſa & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam. Interdictum quoq; unde vi non eſt adverſus eos reddendum, quod repetitur* l. parens. 5. l. 6. l. 7. §. 2. ff. Eod. l. non debet. de dol. mal. l. 2. C. de in jus voc. l. 3. cum ſeq. ff. Eod. *Parentis enim & patroni nomen ſemper debet ſacroſanctum eſſe,* l. Liberto 8. ff. de obſeq. par. juncta gl. ibid. & Cicero pro Cluentio *contra matrem Saſſiam dicturus, ſollicitè ſe excuſat prius: Non me, inquit, præterit, cujusmodicunq; mater ſit, tamen in judicio filij de turpitudine parentis vix dici oportere.*

Pœna parricidarum.

Quin etiam ingraveſcentibus delictis coacti fuerunt legumlatores in parricidas pœnam ſtatuere, ut quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ij magnitudine pœnæ, maleficio ſummo arcerentur. Cicer. pro Roſc. Amer. *& ſi* Modeſtino *credimus.* §. 9. ff. ad l. Pomp. de parricid. *pœna parricidij more majorum, hæc inſtituta eſt: ut parricida virgis ſanguineis verberatus, deinde culleo inſuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera & ſimia, deinde in mare profundum culleus jactetur. Et ſic primùm Publius Malleolus, matre interemta, interfectus eſt.* Liv. 48. Cujacius in paratit. C. ad t. de ijs, qui par. vel lib. occid.

exſen-

ex ſententijs Adriani refert, cum impijs animalibus, impios homines inſutos culleo, ſolitos plauſtro juncto bobus atris in mare deportari, & abijci in profundum.

Poſtea Cornelius Sylla quæſtiones dedit de parricidio, l.2. §. 31. ff. de orig. juris *ſed punivit parricidas tantum pœna l. Corneliæ de ſicar. quæ pœna per l. Pomp. de parricid. relicta fuit,* ut refert Marcian. l.1.ff. ad l. Pomp. de parric. *Hadrianus deficiente aqua, damnavit parricidas ad beſtias.* l Pœna. 9. ff. eod. *Conſtantinus verò* l. unic. C. de ijs, qui par. vel lib. occid. *pœnam antiquam revocat, eamq; retinet* Iuſtinianus §. Alia. 6. Inſt. de publ. jud. *niſi, quod eam l. Pompejæ aſſcribat.*

Si rationem iſtius pœnæ petieris, ipſe Iuſtin. §. 6. Inſt. de publ. iud. *propterea culleo inſeri & ſubmergi parricidã, ait, ut omnium Elementorum uſu vivus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, & terra mortuo auferatur.* Cicer. pro Roſc. *Viperam & ſimiam addiderunt, ob ſimilem impietatem, quia vipera perrodit uterum matris:* Nicander in verſ. Herod. lib. 3. Galen. de Theri. ad Piſon. c. 11. Plin. lib. 10. c. 62. *Simia exoſculando & comprimendo fœtus necat.* Plin. lib. 8. c. 54. *Sanguineis virgis cædebatur prius antiquitus parricida, quam exacerbationem ſuſtulit, Conſtantinus. Sanguineum autem flagellum, ſicut* Virgilius 8. AEneid. *vocat, decerpebatur ab infelici arbore, cujus ſæpè meminit* Plinius lib. 16. c. 18. lib. 24. c. 10. Liv. lib. 1. &c. *de qua vide* Budæum libr. 4. Miſcell. c. 6. Macro 3. Satur. Cœl. Rhodig. lib. 10. lect. antiq. cap. 7. Turneb. libr. 4. adu. c. 3. Godoleu. ad 1. libr. Liv. *Sed* Corraſius 1 Miſcel. 5. legit. *Virgis ſagmineis, quem refutat* Turneb. 2. adu. c. 23. *quod ſagmina, quæ ſunt herbæ ſacræ, nunquam corpore Parricidæ contaminaſſent Romani,*

cum Cicero pro Roſc. Amer. *ſcribat propterea in ſui parricidam corio bovis*; ut Iuvenalis loquitur, ſat. 13. aut ut Cedrenus, δέρματι βοείῳ νεοδάρτῳ, *ne corpore ſuo inquinet undam, qua ſolent omnia cætera expiari. Plura ſupplicia vide* apud Toloſ. 36. ſyntagm. 14.

Nec tantum parricidas acriter caſtigarunt homines, ſed eos ultrice pœna per totam vitam proſecutus eſt Deus, & proinde rectè ridet Lactant. lib. 1. c. 16. *Jovem Ethnicorum, quod ipſe patrem Saturnum in exilium egerit, cum tale facinus ſeverè punire debuiſſet. Quis Serviæ Tulliæ & Tarquinij exitus fuerit, ex* Liv. lib. 1. *notum eſt. Quis obitus exceperit Neronem, cujus* ut ait Iuvenalis, *ſupplicio non debuit una parari Simia, non ſerpens unus, non culleus unus*, apud Tacitum *legere eſt, imò Burrhum & Senecam ex vindicta divina, ab ipſo Nerone interemtos creditum fuit, quod matricidium Neronis excuſarent.* Gruter. in vita Senc. *Nec melius finiverunt vitam Theodatus, Athalarici filius, qui matrem in balneo ſuffocarat.* Diaco. in Inſti. *Conradus rex Italiæ*, Sigo. 9. hiſt. Ital. *ejusq; frater Henricus V.* Car. lib. 4. *& Johannes Maria vicecomes Medio. Anno 1410.* Volater 4. Geogra.

Quando exemti ſint liberi à poteſtate parentum.

Propterea liberorum prima cura debet eſſe, ut parentes debito obſequio colant, niſi ſuperiores parentes, ut Deus & natura, dehortentur. Imò, nec in ijs, quæ Gellius lib. 2. c. 7. μέσα *ſeu* ἀδιάφορα *vocat, ſemper liberis obediendum eſt, quia* Ariſt. 9. Eth. c. 2. *oſtendit filium non teneri patri febrienti, contra ſententiam medici, vinum nociturum ad ipſius juſſa porrigere. Propterea ab obedientia liberatur filius per officium publicum*, Vlpianus Inſt. tit. 10. §. ult. *quod tum ſuſtineat vicem totius Reipublicæ quæ privata poteſtate patris procul dubio ſuperior eſt. Quod cum*

cum ignoraret Laurentij Celſi, Venetorum ducis, pater, erravit, dum filio, recens duci creato obviam ire recuſavit, ne filio cogeretur caput aperire, & patriam poteſtatem vilem facere. Volat. 4. Geogr.

Rectius Fabius Gurges, qui cum Conſul eſſet, & patrem proconſulem ſibi obvium haberet, juſſit patrem equo deſcendere, & pro more peditem ad conſulem venire. Plut. in Fab. Max. *Hunc enim laudavit optimus pater, hortatus, ut iſtac autoritate pergeret autoritatem populi Romani tueri. Videbat enim in publica perſona volui autoritatem totius Reip. Et hoc ipſum* Taurus Philoſophus apud Gell. lib. 2. c. 2. *cum controverſum eſſet inter patrem privatum & filium prætorem, ita determinavit, ut in publicis locis & congreſſibus Magiſtratus præferretur, non habita ratione juris domeſtici: in privatis verò, jus domeſtis cum obſervaretur.*

Imò JCti dederunt filio in parentem imperium & jusrisdictionem, ſi in tali conſtitutus fuerit officio. Ita Vlpianus l. Ille à quo. §. 5. ad SC. Trebell. *ſcripſit patrem poſſe à filio magiſtratum gerente cogi, &* ex Hermogeniano l. Nam quod ff. Eod. *additur ratio: Nam, quod ad jus publicum attinet, non ſequitur jus poteſtatis paternæ. Ita &* Africani *verba ſunt* l. 77. ff. de judic. & ubi quiſque. *In privatis rebus pater filium, vel filius patrem habere poteſt judicem, cujus rationem ſubdit* Paulus l. ſeq. eod. *Quia judicare munus publicum eſt.*

Quia verò obedientia refertur ad imperantem, conſequens omnino eſt, ut pater in liberos habeat poteſtatem, ſeu, ut Plin. ſec. in Panæg. *ditionem. Lex, inquit, & vis naturæ, ſemper in ditione parentum eſſe liberos juſſit; nec uti inter pecudes, ſic inter homines poteſtatem & imperium* Quanta ſit poteſtas parentum in liberos.

valentioribus dedit. Vnde & Caſimirus M. irritos vult eſſe cōtractus cum filijsfamilias initos, ex hac ratione, quod, cum ſint in poteſtate paterna conſtituti, non habeant dominium, vel alicujus poteſtatis traditionem. Lib.1.Stat.Polon. cap. 21. a. 2. *Nec enim,* ut Iuſtinianus ſcribit. §. 2. Inſt. de patr. pot. *nulli homines tantam in liberos poteſtatem habuerunt, quantam cives Romani. Sed & de Gallis ſcribit* Cæſar. lib. 6. de bel. Gal. *quod in liberos & uxores æquè, ut in ſervos jus vitæ & necis habuerint. Thracem quendam ſex filios excæcaſſe refert* Herod. lib. 8 *quod invito patre Xerxen erant in bellum ſecuti.*

Sed ad Romanos redimus, quorum lex curiata à Romulo lata, deinde in ll. 12. tranſumta, fuit, ut qui ex patre matreq́; familias ejus naſceretur, in patrisfamilias ſui manu, poteſtate, mancipioq́; eſſet: haberetq́; paterfamilias jus in eum vitæ & necis, terq́; eum venundandi poteſtatem. Halycar. lib. 2. Cicero pro Cæcin. Hottoman. in com. Petrus Pellitar. ibid. in fin. *Sed addit* Vlpianus. t. 10. §. 1. Inſt. *Si ter filium pater venundarit, filius à patre liber eſto. Et licet* lex. 12. *nunquam illud diceret, ex hiſtorijs patent ſeveritatis iſtius plurima exempla. Horatius, Horatij tergemini pater, in deprecatione pro filio, ait, ſe judicare filiam jure occiſam: alioquin privata poteſtate in filij vitam adverſurum fuiſſe.* Liv. lib. 1. *Caſſius pater Caſſium filium fertur à nonnullis occidiſſe ſecreto in ædibus, & bona ejus Cereri dicaſſe, ea de cauſſa, quod cum conſul eſſet, agrum Hernicis ademtum, diviſiſſet Latinis & non Romanis.* Liv. lib.2. *C. Flaminium trib. pleb. pater de roſtris detraxit impune.* Cic. 2. de Inv. *& A. Fulvium parens interfecit, quod Catilinam ſequeretur.* Saluſt. in Catil. *Hinc illa vox* Cicero pro dom. *Credo te, Clodi, interrogatum, autorne eſſes, ut*

ſes, vt in te P. Fontejus vitæ necisq́ poteſtatem haberet, vt in filio.

Cæterum quicquid Bodin. 1. de Rep. c. 4. *pro hac vitæ & necis poteſtate diſputet, iniqua eſt. Vindictam enim privatam nemini concedi tutum eſt.* l. 10. ff. de jurisd. *Unde* Adrianus l. 5. ff. ad l. Pomp. de Parricid. *in inſulam deportavit patrem, qui in venatione filium interfecerat, ob adulterium cum noverca commiſſum; quia, inquit, id eſt latronis in modum interficere: & addit: Poteſtas patria debet in pietate, non in atrocitate conſiſtere.* Vlpianus l. 2. ff. ad l. Corn. de ſic. *jam tum cenſuit, inauditum filium patrem occidere non poſſe, ſed accuſare eum apud præfectũ, præſidemq́ provinciæ debere: Et Dioclet. poſtea reſcripſit: magiſtratui eſſe inter parentem & filium judicandum.* l. ſi filius. de pat. pot. *quod conſonat cum l. divina,* Deuter. *21. ubi jubentur contumaces filij ad judicem duci, vt ab eo ad arbitrium patris condemnentur.*

Alioquin præ ira plus aget pater, quàm debeat, ſicut Plato in ira noluit ſervum caſtigare, ſed Speuſippo verberandum tradidit. Quia ego, inquit, iraſcor, plus faciam, quàm oportet. Senec. 3. de ira c. 12. *Non enim prodit ad puniendum filium pater, niſi oppidò graviter læſus, & ad maximam iram concitatus, quam juſtus dolor adauget, inde conceptus, quod putet minimè omnium læſionem ſibi à filio expectandam fuiſſe.*

Nec effugit, Bodinus, *quando objicit, majorem parentum in filios amorem eſſe, quàm vt crudelius quicquam in eos tentare poſſint. Annon Brutus ſine affectu & perturbatione filiorum cædes ſpectavit?* Liv. libr. 2. in pr. *& T. Manlius pater, deprecante univerſo exercitu, filium ad mortem decrevit? in quos* Auguſt. de civitat. Dei,

propterea

propterea invehitur. Omitto Lyſimachum, qui Agathocli filio venenum propinavit: Iuſti.lib. 17. *Solymannum* Buſbeq. Ep. 1. *Conſtantinum, quem* Zoſimus & Victor *à cæde filij nequaquam liberant: Irenen Imperatricem:* Zonar. in Ire. *Laodicem reginam, Cappad.* Iuſti. libr. 37. *Machæum ſaltem, Carthag. ducem, ſpectet aliquis, quàm levi ex cauſa filium præ ira in crucem egerit.* Iuſti. lib. 18.

Eſt quidem & liberis & parentibus invicem maxima innata ſtorge, quam Pſammenitus rex Ægypti patefecit, quando amicorum infortunijs illachrymavit quidem, ſed liberorum cædes ſicco obtuto aſpexit, Herod. lib. 3. *quod putaret domeſtica mala graviora eſſe, quam, quæ lachrymæ exhaurire queant,* Herod. lib. 3 *cujus vocem & affectus imitatus fuit Mauritius Imp. cum primum amicos, mox etiam liberos ad ſupplicium rapi videret.* Zonar. in Maurit. *Sed quo impenſius amarunt anteà, eo oderunt gravius læſi, ſicut & fratrum odia propterea tenaciora eſſe comperimus, quod antea conjunctius inter ſe vixerint. Minimè enim æquo animo ab ijs nos lædi patimur; à quo non tantum nihil mali, ſed ſumma beneficia meriti ſumus, ſicut &* Cicero *conquerebatur, ſibi nihil accidere moleſtius, quam quod deceptus fuerit ab ijs, à quibus ſe decipi nefas putaſſet.*

Propter has rationes, & alias, utpote, quod liberi ſint partes parentum, ſuis autem membris nemo debeat vim inferre, l. 13. ff. ad l. Aquil. *non tantum Valent. & Valens modum patriæ poteſtati poſuerunt.* l. in corrig. C. de Emend. propinq. *dum placuit, ſi atrocitas facti jus domeſticæ emendationis exceſſerit, enormis delicti reos potius judicum notioni dedi, quod & Alexandro placuerat.* l. Si filij. §. 1. C. de patr. pot. *ſed poſtea Conſtantinus M. cæteras ll. de ſum-*

de ſumma iſta poteſtate omnino antiquavit, & filiorum interfectores, ut parricidas, puniri voluit. l. Si quis C. de his, qui par. vel lib. occid. *Reliqua* Bodini *argumenta poteſt quis refutata legere in* Idea Polit. Melandri.

Nos cætera brevibus ſubjiciemus, quid ſcil. parentes liberis, & hi illis præterea debeant. Naturalis ratio ſuadet, ait Vlpian l. 5. de agnoſc. & alen. lib. *ut pater educet liberos pro modo facultatum, quod præcipiunt etiam Impp.* l. 3. & 4. C. de al. lib. *eosq́; imitatum* Land- recht art. 21. lib. 1. n. 3. gl. *& ita jus naturale, quod eſt notitia tantum,* ut ait Carol. Molin. in addit. ad Dec. l. 8. de R. I. *deducunt ad neceſſitatem, quò à judice compelli poſſit pater ad præſtandum alimentũ filio, niſi ob aliquam cauſam jure negari queat.* l. 5. §. Si vel parens. ff. de Agnoſc. l. nec filium jun. gl. C. de patr. pot. *per alimenta autem intelliguntur omnia onera, & vitæ neceſſitates,* l. 5. §. ſi parens. ff. de agnoſc. l. Verbum victus. de V. S. l. legatis. l. fin. de alim. legat. De alimentis præſtandis.

Ariſtot. 1. Polit. c. ult. *ex natura illud ita diducit, quia unumquodq́; naturaliter ex eo alimentum accipit, ex quo generatum fuit, alioquin ſine alimento interiturum, cui conſonat* tex. l. 4. Necare. ff. de Agnoſc. *Quamdiu igitur, impotentia iſta ſeſe nutriendi liberos comitatur, tàm diu debent parentes illis nutritionem: poſtquam ſuis ſe poſſunt ſuſtentare operis, jam non ulterius obligantur parentes,* l. Si quis à lib. §. ſed ſi fil. de lib. agn. *quia pigris & negligentibus jura non ſubveniunt.* l. Non enim 16. ex quib. cauſ. maj.

Econtrariò filios quoq́; natura obligat ad alimenta reddenda parentibus, juxta illud Eccleſiaſt. 3. *Fili, ſuccurrito patri ſeneſcenti. Unde & ἀντιπελαργία præcipitur*

l. 5. de agn. l. 1. & 2. C. de al. li. *& Solon infames voluit eſſe, qui parentes non alerent.* Laert. in Solo. *Exceptis ijs, qui artem à parentibus non didiciſſent.* Plut. in Solo. *Admonent hujus rei filios quoq; beneficia paterna, de quibus* Senec. 3. Cont. 4. *Etiamſi filius patri benefaciat, non benefacit, ſed benefactum rependit. Qui enim dat aliquid, ſi prior accipit, non obligat, ſed reddit.* Plat. 4. de ll.

Sed quia huic naturali juri neceſſitatem legis induxit jus civile, de quo diſputat Decius ad l. 8. de R. I. & VVeſembe. in parat. ff. de agn. lib. *non eſt abſurdum, ſi ex conſtitutione illi viciſſim detrahatur, ſicut Pericles Xantippo filio, ſumtus ſubtraxit ob prodigalitatem*, Plut. in Peri. *& Neocles pater Themiſtocli.* Prob. in Thea. *& ICti. concedunt exhæredationem ingratorum liberorum, cum Severus & Anton.* l. ult. C. de al. lib. *tum demum teneri patrem ad præſtanda alimenta filio cenſeant, ſi patrem debito officio promeruerit. Cæterùm de cauſis exhæredationis: Item de Adoptionum jure, adeantur libri ICtorum, ne nimis diligenter hanc materiam perſequamur, quam aliquo ſaltem modo, ut ſubjectum, explicare debemus, ὡς ἐν τύπῳ,* ut Ariſt. loqui ſolet.

CA-

CAPUT VI.

De Civitate & Civibus.

HActenus primordia civitatis explicavimus, videlicet familias, ex quibus ſucceſſu temporis naſcitur civitas. Poſtquam enim ex prima ſocietate naſcuntur liberi, qui novas viciſſim inſtituunt familias, eò quod emancipati non ſint ulterius in poteſtate patris, l. pronunt. V. S. *hinc multiplicantur familiæ, quæ ſi ſparſim habitent, ſicut olim Athenienſes, priusquam à Theſeo* Plut. in Theſ. *& Cretenſes, priusquam à Minoe cõgregarentur,* Thucyd li. 1. *pagorum nomen habent. Ita dicebat* Cæſar 1. bel. Gal. *Quælibet civitas Helvetiæ conſtat ex quatuor pagis. Sed quia non eſt neceſſe, ut, priusquam familiæ coëant in civitates, præcedant pagi, & imprimis, quia aut parum à civitate differunt pagi, aut parum diverſi, & peculiaris juris habent,* Ariſt. in pr. li. 3 *pergit ad civitatem, quæ eſt adæquatum ſubjectum Politices, illamq́ue, quantum ſubjecti cognitio exigit, breviter explicat, cujus veſtigia nos quoq́ue ſequamur.*

Principio verò ſeparandum eſt nomen civitatis ab urbe & habitaculis, ne decipiamur cum Carthaginenſibus, qui de civitate promiſſam ſalutem, interpretabantur de urbe: Appia. in Lybi. *ſed potius cum Pompejo dicamus, cum 200. ſenatores & meliorem civium florem ſecum ex urbe deduxiſſet: non eſt in parietibus Reſpub.* Dion. in Pomp. *& cum Themiſtocle ſciamus, civitatem poſſe urbe exire, ligneisq́ue muris circumcingi,* Iuſt. li. 2. Aemil. in Themiſt. *Urbis n. appellatio muris finitur,* l. urbis 2. ff. de V. S. Diſcrimen urbis & civitatis

Quod ſi cohabitatio facit civitatem, ut ſentit Speuſip. in definit. Platon. *rectè procedit argumentum* Ariſtot. 3. Polit. cap. 1. *quod multi cohabitent, qui non ſunt*

cives, ut incolæ, ſervi, & cives honorarij. *Imò multi extra mœnia habitant, qui cives tamen eſſe non deſinunt. Nam Quintius, ad conſulatum,* ut vult Halycar. lib. 10. *aut ad dictaturam,* ut Liv. libr. 3. Cicer. in Læl. Plin. lib. 3. c. 18. *vocatus eſt ab aratro. Item Seranus,* Plin. d. loco, *Cato ſenex,* Cicero in Læl. *Lucullus,* Plut. in Luc. *& infiniti alij traduxerunt familias in villas, quo fit, ut* Halycarnaſſeus *univerſos cives Romanos dividat in urbanos & ruſticos.* Sigon. 2. de jur. civ. Roman. c. 6. *Quin & Athenienſes in* Demoſthenis orat. *ſæpè leguntur ex agris ad ſuffragia citati. Et Elienſes totam vitam ruri exegerunt,* Polyb. libr. 4. *qui tamen unius civitatis cives erant.*

Muri igitur civitatem non faciunt, cum Sparta, quam Xenoph. in lib. de laud. Ageſ. *in Græcia inprimis florere ſcribit, ſine mœnibus fuerit,* Liv. lib. 34. *uſq; ad expeditionem Caſſandri in Peloponneſum.* Iuſt. lib. 14. οὐκ εἶναι ἀτείχιστον πόλιν, ἥτις ἀνδράσι, καὶ οὐ πλίνθοις ἐστεφάνωται, *dixit Lycurgus, & Ageſilaus oſtendens Spartanos armatos: Hæc ſunt, inquit, Spartæ mœnia.* Cœli libr. 26. c. 32. *Hos imitati ſunt Tarentini, eorum coloni.* Polyb. lib. 7. *Quin de ipſa Roma ſcribit* Zoſim. in Aurel. *quod Aurelianus eam muro circumdederit, ſed id de amplificatione interpretatur* Vopiſcus, *cum jam Tarquinius Priſcus, ut exerceret militem, ejus mœnia poſuerit.* Liv. libr. 1. *Sic Caſimirus M. Polonorum,* Cromer. in fin. hiſtor. Caſim. *& Johannes Baſilius Moſchorum civitates mœnibus munivit, Anno 1416.* Sigiſm. Bar. in Moſc. *quæ tamen hactenus civitates, etiam abſq; mœnibus fuerant.*

Definitio civitatis.

Melius igitur Cicero in ſom. Scip. *attigiſſet naturam civitatis, cum civitates vocat concilia cætuſq; hominum*

minum jure ſocietatis, niſi collegijs & tribubus vel centurijs potius conveniret, cum civitas non tàm hominũ, quàm familiarum ſocietas ſit. Unde Ariſt. 3. Polit. c. 6. *optimè definit civitatem, quod ſit ſocietas domorum & generum, ſeu familiarum,* ut explicat Thomas, *vitæ perfectæ & per ſe ſufficientis gratia. Finis enim civitatis, ad quem ordinatur, eſt benè & beatè, quantum in multitudine fieri poteſt, vivere; ut* 4. Polit. c. 4. idem Thomas *ex* Ariſt. *docet, qui ibi diſputat contra* Platonem *contendentem, civitates, non propter benè vivere ſed ex indigentia & neceſſitate primùm inſtitui cæptas.*

Vulgariter definiunt civitatem, quod ſit multitudo ſeu conjunctio hominum, iiſdem legibus, vel eidem poteſtati ſubjectorum, ut Speuſip. in defin. Platon. Bodin. 1. de Rep. c. 6. Althuſ. in Polit. *Sed hi non diſtinguunt inter civitatem & Rempubl. ſicut nec* Thomas *dum* 1. Polit. c. 1. *ait: Civitas eſt principaliſſimum eorum, quæ humana ratione conſtitui poſſunt, quod de Repub. quidem accipi, de civitate minimè poteſt. Nam civitas eſt quaſi materia, in quam Reſp. tanquam forma inducitur. Unde* Iſocrat. in Panath. & Areop. *Remp. vocat civitatis animam,* Ariſt. 4. Polit. c. 11. *vitam* & Speuſip. in defin. Platon. *virtutem. Illud quomodo ſe habeat pulcrè explicavit* Ariſt. 3. Polit. c. 3. in fin. *ubi Remp. choris & harmonijs: civitatem perſonis & numeris comparat. Sicut enim iidem homines mox Tragicum, mox comicum poſſunt conſtituere chorum: ita civitas eadem varijs poteſt informari Rerumpub. formis, ſicut Hebræorum civitas nunc à judicibus, nunc à regibus, nunc à principibus, iterum à regibus,* Sigon. de Rep. Heb. *Athenienſium primum à regibus, mox à populo univerſo, tum à paucis, iterum à populo, à Tyrannis, à*

populo iterum, & conſequenter à varijs Rerump. formis gubernata fuit, Sigon. de Rep. Athen. Zuuing. 3. polit. c. 2. *eadem interim ſocietate manente.*

Verſor *tamen notat, civitatem dupliciter accipi: materialiter & formaliter, quam diſtinctionem inſinuat* Ariſt 3 Polit. c. 3. *uſurpatq́* Albertus M. *licet in paulò diverſo ſenſu. Ille enim civium congregationem per ſe ſpectatam, quia habet rationem indigeſtæ materiæ, intelligit nomine civitatis materialiter: ordinationem verò eorundem vocat civitatem formaliter, quia eo ſenſu civium multitudo jam forma ſua induta eſt. Sed cum in poſteriori ſenſu civitas dicat ipſam Remp. in priori à nobis hic accipi, & in abſtractione à Rep. definiri debet, prout eam definivit* Ariſt. *Summa enim poteſtas & leges ad Remp. pertinent, non ad civitatem.*

Quid civis. *Pari modo, ne confundatur ſubditus, qui à Rep. conſtituitur, cum vero cive, improbanda eſt vulgata civis definitio, quod ſit liber homo alterius poteſtati ſubjectus. Poteſtatis enim mentio hîc in civis definitione fieri non debet, cum ſubditum complectatur potius, dicatq́ reſpectum ad Remp. à qua civitas hîc abſtrahitur. Hinc fit, vt & ſubditis ijs competat, qui non ſunt cives, vt incolis, quippe, qui ſunt liberi homines, alterius poteſtati ſubjecti. Ne dicam, quod libertas, licet ſit conditio neceſſaria, ad civis tamen eſſentiam non pertineat: item, quod civis, qui in relatione ponitur, per abſolutum genus, videl. hominem, definiri non poſſit*, per reg. 2. Antepr. *Prædicamenta enim primò ſunt diverſa, nec inter ſe confundi poſſunt.* 1. poſt. & ibid. Thom. Cajet. Zabar. Crell. Ariſt. 9. Metap. c. ult. Paul. Ven. in Metap. c. 31 Anton. Ant. 5. Metap. q. 7. Iandu. 3. ph. q. 5. Fland 7. Metap. q. 7. a. 3 & alii.

Proinde

Proinde rectius definimus civem, quod ſit ſocius, qui cum ſua familia in ſocietate familiarum benè vivere intendit. Ariſt. 3. polit. c. 2. *in cive & hoc requirere videtur; vt habeat jus ſuffragiorum, qua de cauſa à recentioribus flagellatur, qui tamen non advertunt,* Ariſtotelem *loqui adhuc de cive, Reip. poteſtati nondum ſubjecto. Tum enim, vt cives omnes ſunt æquales, ita æquale jus habere debent in rebus communibus, quippe quod omnes tangit, ab omnib. debet approbari,* ſecundum Reg. 29. Iur. Can. in Sexto. *Hinc Lituani in Polonorum Remp. noluerunt fidem dare, priusquam ad communia comitia admitterentur, prout continetur in Diplomate tum Iagellonis* an. 1413. *tum Lituanorum,* an. 1401. *Nec Pruſſi citius quieverunt, licet jam antea cum Vladislao pacti eſſent, donec Magiſter Ludouuicus de Erlichauſen primus regis conſiliarius, cum commendatoribus primoribus fieret,* lib. 5. Stat. Polon. c. 3. — an civis habeat jus ſuffragii.

Alias confitetur Ariſt. 3. polit. c. 1. & *8. non eſſe idem omnium civium jus in omnibus Rebuſp. quoniam in Ariſtocratia & Monarchia, nequaquam patet jus ſuffragiorum omnibus civibus, quippe quod in certas perſonas depoſitum eſt, ſicut Romani omnem poteſtatem conferebant in X. viros.* Liv. li. 3. *& in Imperatorē l. Regia §.* Sed & quod Inſt. de jur. nat. *In ſola Democratia teſtatur* Ariſt *primam iſtā æqualitatem remanere: fruſtraq́ obijcit* Bodinus 1. de Rep. c. 6. *Remp. Athenienſium, in qua negat ad conciones univerſum populum admiſſum fuiſſe. Nam vel ipſe Theſeus coactis in urbem ſingulis curijs populo dedit licentiam conſultandi in foro, unde illud manavit: Huc adeſte omnis populus.* Plutarch. in Theſ. *Et jam ante* Thucyd. lib 1. *innuit antiquitus ſolitos fuiſſe Athenienſes, convenire circa regem ad ferenda ſuffragia. Nam*

Plutar.

Plutar. in Theſ. *propterea ſcribit compulſum eſſe populum Atticum in unam urbem, quod ad conciones difficulter potuerint congregari.*

Poſt Theſeum refert Demoſthen. contr. Neær. *univerſum populum porrectis manibus deſignaſſe regem, quem virtute reliquis anteſtare putabant. Hunc ſtatum non immutavit Draco, cum* Plutar. in Sol. *doceat, Solonem correxiſſe & hoc in ll. Draconis, quod pauperes admitterentur ad magiſtratus. Unde conſtat, non tantum ad comitia & judicia aditum patuiſſe omnibus civibus per ll. Draconis, ſed etiam ad magiſtratus, quod quamvis Solon tolleret, tamen à concionibus & judicijs plebem nunquam repulit.* Plut. in Solo. *Cliſthenes autem & poſt eum Ariſtides & Pericles populo magiſtratus reddiderunt.* Ariſt. 2. Poli. c. 10. Xenoph. in lib. de Rep. Athen. *Sic igitur, quoties Democratica fuit Reſp. Attica, toties æqualiter civibus patuit aditus ad generalia comitia.*

Civis Romanus plenus.

Talis in genere civis eſt, cujus tamen plurimæ adhuc ſunt differentiæ, quas ut breviter perſtringamus, oculos ad Remp. Romanorum advertemus, in qua verum & pleniſſimum, ut Imperatorem imitemur, l. 1. §. ſin a. ſocius. C. de com. ſer. ma. *civem definit* Sigonius 1. libr. de ant. jur. civ. Rom. *& eum ſecutus* Althuſ. in Polit. c. 5. *qui domicilium, tribum vel cenſum, & publicos honores adeundi poteſtatem habet. Domicilium requirebatur quidem, quia Ciceronis pater, & Cato non prius facti fuerunt cives pleni, quàm transferrent fortunas ſuas in urbem.* Cicero *enim confitetur* 2. de ll. *duplicem ſibi patriam eſſe, unam loci, in qua genitus, alteram juris, in quam tranſlatus ſit.*

Tribus quoque & cenſus neceſſariò requiſita fuerunt,

cum

tum ſine iis ad ſuffragia nemo admitti potuerit. Sed, quod ultimo loco requirit poteſtatem adeundi magiſtratus, nec ad civem requiritur, nec Romæ omnibus conceſſum fuit. Solon enim infimam claſſem civium à magiſtratibus repulit. Plut. in Sol. & Romæ ante Canuleij & Icilij rogationes nullus ex plebe ad eoſdem admiſſus fuit. Liv. libr. 3. Quin etiam liberti, qui cives ſunt, l. poſtlim. de capt. honoribus iis caruerunt, ſicut Claudius teſtatur ap. Tacitum, dum non libertis, ſed libertorum filijs ait, priſco populo ſolitos magiſtratus commendari: & tam malè habuit patritios, quod phaleras & annulos geſtari à Cn. Flavio ſcriba, libertini generis homine, viderent, cùm ædilis eſſet, l. 2. de orig. Iur. §. poſtea 7. ut ea ornamenta, omnes deponerent. Flor. Epit. 9. Liv. lib. 9. Pro hac igitur poteſtate ſubſtituimus jus ſuffragiorum, quod l. Valeria univerſo populo conceſſum eſt. Liv. libr. 2. Plut. in public. cum jam antea poſt mortem Romuli inter patres & plebem conveniſſet, ut patres autores fierent, & plebs cætera vellet, juberet. Liv. lib. 1.

Ab hac ſumma civis perfectione deficiunt, proximè, qui apud Romanos ſolebant abduci in colonias. Nec apud Romanos ſolum, ſed longis ante ſeculis mos fuit deducere colonias. Sic teſte Herodoto Cyrene, juſſu oraculi, tranſplantata fuit ex Græcia. Sic Alexandria in Ægypto, Seleucia in Aſſyria, Babylon in Meſopotamia, Macedonum coloniæ ſunt, Apollonia & Syracuſa Corinthiorum, Epidamnus Corcyreorum. Thucyd. lib. 2. Quin & Strabo refert lib. 5. ſuſpitionem nonnullorum qui putabant ipſam Romam eſſe coloniam Græcorum quod Cæcilius infirmo argumento probare niſus eſt: quia Græco more ſacrificant Herculi Civis colonus.

Cauſa deducendarum coloniarum non una fuit. Machiav.in lib.de princ. *propterea deductas putat, ut locis devictis imponerentur præſidia. Eum impugnat* Antima. li.3. Th.2. *cum tamen* Liv. li.4. *ipſe ſcribat; Fabium & Ebutium Coſſ. An. V. C.313. deduxiſſe coloniam Ardeam, ut eſſet præſidium contra Volſcos, &* Tacit.li. 19. *de Cremona memoret, quod numero colonorum aucta fuerit, ut eſſet propugnaculum contra Hannibalem, & ſi qua vis alia ex alpibus ingrueret. Expreſſè* Liv.lib 2 *In Norbæ montes novam coloniam, quæ arx in Pomptino eſſet, miſerunt: & de Pericle* Plut.in Peric. *Colonias deduxit, aut timorem adjungeret ſocijs, ne res novas molirentur. Quia &* Cic.pro Flac. *Græcos ait colonias deduxiſſe in Ioniam, ut eam obſeſſam tenerent. Sed hæc cauſa non fuit unica, quin aliam* Iſocr.in Panath. *tangit, videlicet ſeditioſæ plebis ejectionem. Cum, inquit, inter Athenienſes multi eſſent pauperes, & ſeditioſi, conſpirarunt inter ſe, ut æquales fierent ditibus civibus. Ideoq; ex inſulis & proximis Aſiæ littoribus barbaros ejecerunt, ex quibus factæ ſunt coloniæ Athenienſium. Ita* Livius *autor eſt* lib.10. *M. Valerio & Q. Appuleio Banſa Coſſ. quos* Onuphrius in Faſt. an. CDLIII. *conijcit in an. V. 454. ſeditionem plebis ſopitam eſſe, cum multitudo diſpergeretur in colonias. Eſt & alia cauſa ob multiplicationem populi, quam ob rem prima colonia Cæcinam,* Dion. lib.2. *ſecunda & tertia Antemnam & Cruſtumerium deducta eſt.* Liv.lib.1. Paterc.lib.1. Front. de colo. *Propterea Tarquinius Superbus, oportunitate loci ductus, Circeos miſit coloniam,* Dionyſ.lib.4. *quia in fertili loco cives magis augentur.*

Sunt autem, ſi cum Aug. de civi.Dei *latè loqui velimus, coloniæ civitates ex majoribus civitatib. tanquam po-*

pulo-

pulorum examinibus condita,& coloni, ut Petrus Pellit. in com.orat.pro Cæc.ait:*cives, qui ad incolendam urbẽ bello captam mittuntur. Sed ſic natura colonorum minimè exprimitur,quam rectius propoſuit*, Alc.li.3.diſpunct.c.5. lib.2.c.21.ex Gell.li.16.c.13. *Coloni, inquit, non veniunt extrinſecus in civitatem,nec ſuis radicibus innituntur, ſed ex civitate quaſi propagati ſunt, & jura inſtitutaq; omnia populi Romani, non ſui arbitrij habent. Differunt igitur à perfectis civibus, quod domicilium Romæ perdiderint: à municipibus, tum quod ex urbe explantentur, cum municipes in eam cooptentur, tum quod non ſuis, ſed Romanorum ll.magiſtratibus, & religione utantur, qua de cauſa Præneſtini,* ut Adrianus docet in orat. quã de Italicen. in ſenatu habuit,*à Tiberio Imper. maximo petiêrunt opere, ut ex colonia in municipij ſtatum redigerentur, id quod Tiberius conceſſit. Unde fortaſſe* Feſtus *Præneſte vocat municipium ſui juris, quanquam nomina municipum & colonorum poſt l. Iuliam & Pompeiam, quæ civitatis Romanæ jura omnibus Italis patefiebant, confundi & obſoleſcere cœperunt*, Vlp.l.1.ff.ad Munic.Manut.in com.orat. pro Amer.& Feſtus & Cicero pro Rull. *ſæpe municipia vocant,quæ* Paterc.lib.1. Plin.lib.3. Liv.paſſim & Frontin.de colo.*pro colonijs deducta referunt*.

Nec tamen omnium coloniarum eadem fuit ratio. Nam Aſconius in Piſon. *colonias duplices facit, Romanas, quæ utebantur jure civium Roman. & Latinas, quæ jure Latij. Eandem diviſionem licet ex* Livio *deſumere, qui* lib.37. *Bononiam ſcribit Latinam coloniam eſſe, &* lib.30. *duodecim colonias, quæ 2. bello Punico defecerant, gravius narrat punitas fuiſſe, quod* Diverſitas coloniarum.

latinæ fuerint. Non advertit hoc Melancht. pro Planco, *dum jus colonorum vocat jus Latinitatis. Latinorum enim multò deterior erat conditio* Caj. lib. I. Inſt. t. I. *quàm Roman. Vnde* Saluſt. in Iugurth. *cum narraſſet, Turpilium præfectum præſidij Vaccenſis, quod occiſo præſidio ſolus aufugiſſet, à Metello Conſ. verberatum & capite multatum fuiſſe, addit: Erat enim civis ex Latio: quaſi Metello idem in Roman. non licuiſſet. Et* Cicero pro Cæcin. in fi. *miratur, quod nonnulli ex civitate abeant in colonias Latinas, ex meliori conditione in deteriorem.*

Aliam differentiam inter 12. colonias, quæ ſecundum excellentiam propter penſionis immunitates ſic vocabantur, & cæteras vide ap. Cicer. pro Cæci. & Manut. in com.

Municipes. *Nos ad municipes pergimus, quos* Gell. lib. 16. c. 13. *in urbem recipi ſcribit, &* Cicero 2. de ll. *patriam juris vocat, in quam aſſcriptus eſt. Deinde municipes utuntur ſuis ll. & magiſtratibus, unde miratur* Adrianus, *quod Italicenſes & Vticenſes, cum poſſint ſuis ll. in municipio vivere, præoptent fieri coloni, ut vivant ll. alienis. Accipiebant enim coloni ll. à prætore Romano, & ex Decurionibus, qui Senatum Rom. repreſentabant, duo quotannis eligebantur, qui conſulum vice defungebantur: item ædiles, qui vias, & quæſtores, qui ærarium curabant.*

Vtuntur etiam ſuis gentilitijs ſacris, ſicut Liv. lib. 4. *Ardeatibus, ait, ſacra reddita ſunt: & Milo ſcribitur, pridie ejus diei, quo interfecit Clodium, Lanuvium profectus fuiſſe, ad prodendum illic pontificem. Lanuvium autem pro municipio cenſent.* Liv. lib. 8. Paterc. lib. I. Sext. Pomp. & Feſt. lib. II. *Vnde colligitur, illud municipium uſum fuiſſe peculiaribus ſuis ſacris, quæ* Feſtus *municipialia vo-*

lia vocat, definitq́, quæ municipes habuerunt ab initio ante civitatem Romanam acceptam, quæ eos obſervare voluerunt Pontifices, & eo more facere, quod feciſſent antiquitus.

Sicut autem colonorum, ita & municipum nonnulli gradus ſunt, & ne in intricata Feſti *diſtinctione laboremus,* ex Gellio & Livio *duo genera colligere eſt, cum ſuffragio & ſine ſuffrag. Cerites enim primos obtinuiſſe civitatem, ob cuſtodita ſacra bello Gallico,* Gell. lib. 16. c. 13. & Aſcon. Act. in Ver. *autor eſt, ſed ſine ſuffragio. Hinc tabulæ Cerites appellatæ, in quas Cenſores referri jubebant, quos notæ cauſa ſuffragijs privabant. Sed Tuſculanis, & quidem omnium primis, cum civitatem jam obtinuiſſent, Ceritum jure,* Liv. lib. 6. *adjectum fuit jus ſuffragiorum, ut in tribu Papiria,* Liv. lib. 8. *aut Popillia ferrent,* ſecundum Valer. lib. 9. c. 10. *Sic de Formianis & Fundanis teſtatur.* Liv. lib 38. *quod in ſuffragiorum acceperint, cum ſine iis civitatem jam diu poſſediſſent.* Liv. lib 8.

Alias diverſitates civium aſſignat, Plin. lib. 2. c. 1. & *3. dum ſcribit, in Hiſpania 400. urbes eſſe ſupra 68. ex quib. coloniæ 20. municipia 8. Latio antiquo donatæ 43. libertate 6. fœderatæ 3. ſtipendiariæ 388. His adde provinciales ſubditos,* l. 190. de V. S. *qui ſubjiciuntur imperio Romano, licet in civitatis communionem non recepti. Sed an omnes hi ſint cives, & quid inter ſe diſtent, quia fere ex dictis conſtare poteſt, operoſius non diſputamus, & ad modos, per quos jus civitatis obtineri poteſt, porrò progredimur.*

Vlpianus in l. Municipem. 1. ff. ad Municip. *primum modum obtinendi civitatem facit nativitatem. Si enim forum mulierum ex perſona maritorum ſtatuimus,* l. ult. C. de Incol. l. Mulieres. 13. C. de dignit, *multò magis* — Modi obtinendi civitatem.

liberorum ex perſona parentum. Sed hic ſtatim oritur dubium, an utrumq́ parentem, an alterutrum proles ſequi debeat, cum fieri poſſit, ut ex patre Campano & matre Puteolana aliquis naſcatur. Byzanthinorum Anſt.2.Dec.*& Athenienſium jus erat*, referente Plut.in Themiſt. *ut civis non haberetur, niſi ex utroq́ parente cive genitus, &* Demoſt.cont.Bæot.Neær.& paſſim alibi: *repetit l. Athenienſium: Spurium ſeu Nothum eſſe, qui ex alterutro tantū parente cive naſcitur. Ad hanc conſuetudinem fortaſſe reſpexit* Ariſt.3. polit.c.1. 4. Polit. c.4. *dum, ut civis aliquis naſcatur, utrumq́ parentem civem requirit.*

Sed Pericles, rogatione ad populum perlata, obtinuit, ut civis eſſet, qui ex peregrina matre naſceretur, ſi modò patrem civem haberet. Ipſe enim Pericles, cum duo eius filij peſte abſumti eſſent, non habebat, niſi filium ex peregrina genitum, Plutar.in Peri. *Apud Romanos ex Appij oratione*, apud Liv. lib.3. *colligere eſt, utrumq́ parentem civem requiri, ut ſoboles civitatem obtineat, ſed tamen* Vlpian. l. Aſſumptio, 6 §. filius, ff. ad Muni. *ſcribit: filius civitatem, ex qua pater eius originem ducit, ſequitur: &* l. Munic.1. ff. ad Munic. *ex patre Campano & matre Puteolana natum, Campanū eſſe judicat. Quin imò non tantum municipijs nonnullis indultum eſt, ut ſoboles etiam ad matrē referret originem, quod Ilienſibus, Delphis & Ponticis, beneficio Pompeij, conceſſum teſtatur* Vlpian. l. Municip. §. 2. ff. ad Munic. *ſed & SCtum, actore D. Adriano factum eſt, ut ſi uxor ciuis Romana ſit, & pater Latinus, partus quoq́ civis Romanus fiat*, Vlp. in Inſt. §. 2. de Latin. *quod in favorem partus conceſſum eſt, ſicut &* Imperat. Inſt. de ingen. §. uni. *ex matre libera & ſervo patre, juſſit partum liberum eſſe.*

Quan-

Quanquam verò hic conſuetudini & ll. ſingularum Rerump. ſtandum eſt, tamen ſatius videtur, ſi partus originem referat ad patrem. Nam ſi Poloni rectè ex patre tantum æſtimant nobilitatem, prout ſtatuit Alexander Anno 1505. in append. ſtatuti, quo à ſummis dignitatibus Eccleſiarum excluduntur plebeii, *multò magis civitatem aliter æſtimari non convenit. Abſolutè enim inquit Canulejus* apud Liv. li. *3. Patrem ſequitur ſoboles, &* l. 19. de ſtat. hom. ſcribit ICtus: *Filij ſequuntur conditionem patris. Pater enim caput familiæ eſt, & in ſua poteſtate habet filium. Alioquin, duæ ſæpe civitates diſceptabunt de cive, ex duarum civitatum civibus prognato, cum tamen, diſtinctarum civitatum, niſi ſubordinatarum, nemo poſſit ſimul civis eſſe.*

Nemo debet duarũ civitatum civis eſſe.

Domicilium quidem transferre quilibet poteſt, dummodò ſe patriæ civem agnoſcat, l. nihil eſt, ff. ad municip. *poteſtq́ incola fieri multarum civitatum*, l. incola. l. ſi quis. ff. Eod. *Sed de civibus ita ſentit* Cicero pro Cæcin. *Iure Romano neminem poſſe duarum civitatum civem fieri, amittiq́ civitatem, quando aliquis recipitur in aliam*: & pro Balbo *ait*: *O jura præclara, atq́ divinitus jam à principio Rom. nominis à majoribus noſtris comparata, ne quis noſtrûm plus quàm unius civitatis civis eſſe poſſit. Diſſimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat neceſſe eſt. Hinc Pomponius Atticus*, verba ſunt Cornel. Nepot. in vit. Attici, *noluit uti beneficio civitatis Athenienſium: quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam, alia aſcita.*

Non utar hic ratione Hotoman. & Petri Pellit. in orat pro Cæcin. *qui cives dicunt eſſe membra civitatis, duorum autem corporum non poſſe unum & idem membrum*

membrum eſſe. ſed ſi oſt... ium veri civis reſpiciamus, quod in iuramento civium Athenienſium, ab Heraclide in Polit. *relato proponitur, nequit fieri, ut aliquis in duas civitates diſpeſcatur. Tenetur enim civis corpore & bonis ſuæ patriæ prodeſſe. Iam, ſi inhabitet duas civitates, cogetur operas ſuas utrique dividere, ideoque neutri debitum poterit officium præſtare. Quin etiam, ſi vaſallus jurare tenetur, ſe nihil acturum contra dominum, nec hoſtium quidem conſilia taciturum.* c. uni. de nova for. fidel. *multò magis idem incumbet civi, quem natura ipſa cum patria conjunxit. Quod ſi jam diſcordia incidat inter duas diverſas civitates, qui utriuſque civis eſt, quantum opis vel per ſe vel per auxilia ſua affert uni, tantum impugnat alteram, & quia à conſiliis publicis civis abeſſe non debet, ſive detexerit ea, ſive non detexerit, ſimul ſit periurus, & proditor alterius civitatis.*

Quod dixi civem debere omnia ſua civitati, id ita eſſe nemo ambiget, cui officia parentibus debita cognita ſunt. Quo enim communior parens eſt civitas, eò plus colenda eſt, quàm parentes privati. Cicero 1. de Offic. *pro maximo vitio habet, patriam deſerere, quippe pro qua, ut* ait Horat. lib. 2 Od 2. *dulce & decorum eſt mori. Non habuere maius incitamentum ſuarum virtutum Romani, quàm amorem patriæ, nec magis quicquam cuiquam imputatum fuit, quàm Marco Coriolano, quod arma contra patriam uſurparet.* Plut. in Coriol. *Et ne Regulum & Scauros, animæq; magnæ Prodigum Paulum, ſuperante Pœno, ne Fabritium & incomtis Curium capillis, Vtilem bello ſimul, & Catonis nobile letum referam* Horat. lib. 1 od. 12 *leg ut. quis.* Valerium M. & Fulgoſ. utrumque. lib 5. c 6. & Sabell. lib. 8. c. 1. *Inveniet plurima exempla eorum, qui ultrò vitam pro patria*

patria profuderunt. Et hoc jus naturæ eſſe, vt parentibus & patriæ pareamus, dicebat Pompon. l. veluti 2. ff. de iuſt. & iur.

Hinc conſequitur, rectè conſtitutum fuiſſe l. origine. l. ſi quis, C. de municip. *ne alicui liceat patriam ſuam ejurare: cui l. pœnam adjecerunt* l. vnica, C. Si curialis, *&c. Arcadius & Honorius. Si enim* Cicero 1. de off. *rectè dixit: Cari ſunt liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere? ſi* Plato in Criton: *&* Hierocles, in ſerm. quales in patr. eſſe debeat: *rectè docuerunt, patriam debere parentibus potiorem eſſe: parentes autem nemini licet abjurare, multò minus licebit patriam.* Non licet cuiquam patriam mutare.

Hac ratione Eliſabetha regina Angl. Lenoxium Comitem cum filio ex regno Scotiæ revocavit, eundemq́, cum redire negaret, cum bonis omnibus proſcripſit: Bodin. 1. de Rep. c. 6. *nec potuit Alanus Rollandi fil. Scotus, regno Anglorum ſe prius ſubmittere, quàm Guilielmus rex Scotiæ conſentiret.* Buchan. li. 8. hiſt. Scot. *perinde, vt Dominus Barbarium ſervum, qui ad Urbanam præturam aſpiraverat, vendicare potuiſſet, niſi is pro libertate tranſegiſſet.* Suid. in voc. Barbar. *Sicut enim ſervus, invito Domino, nequit ſe ex poteſtate eripere, ita nec civis ex civitate, in cujus poteſtate eſt. Nemo enim poteſt plus juris ad alium transferre, quàm ipſe habet,* l. 55. de R. I. *Iam civis eſt in poteſtate ſuæ civitatis. E. ipſa invita, nequit alteri ſe mancipare. Quid? annon civis tenetur patriam defendere? Sed patriam qui deſerit, non tantum non defendit, ſed duplici via exhaurit, tum civibus, tum bonis.*

Propterea non tantum Vlpian. l. aſſumptio. ff ad Mu-

nicip. & Valent. in l. Curiales, C. de decurion *negant alicui licere patriam invitam mutare, ſed & Carol. 4. in* aur. bul. *niſi publica neceſſitas id exegerit, quam exceptionem addit* Vlpian. & Val. d. ll. *& Ferdinandus rex Rom. in comitijs Auguſt. Anno 1555. decrevit, licere ſubditos, propter religionem, patriam & dominum mutare*, Mich. Beuter 1. lib. hiſt. compl. *Sigiſmundus Vislic. ex triplici cauſa conceſſit villanis poteſtatem mutandi dominos: Si dominus opprimat filiam vel uxorem villani: ſi dom. maneat in excommunicatione per annum: ſi bona villani diripiantur ob delictum domini.* In ſtat. Polon. lib. 1. c. 17. a. 5. l. 1. *Alias apud Moſchos, ne quidem peregrinari, inſcio M. duce, licet, multò minus terram mutare.* Sigiſm. Baro in hiſt. Muſc. *Medíolanenſes arctius ferè patriæ aſtringuntur*, ut in ſtatut. Mediol. continetur. *Apud Hiſpanos autor eſt* Petrus Martyr in Indicis, *nemini licere in Americam traijcere, niſi nomen regi conſentienti profeſſus fuerit.*

Secundus modus.

Hi ſunt cives originarij, ut vocantur in jure civili, ſicut Atheni. αὐτόχθονες dicebantur, Thucyd. lib. 1. *Secundum modum obtinendi civitatem vocat* Vlpian. *per manumiſſionem. Quanquam enim Servius libertorum autor eſt, tamen* Liv. li. 2. *ſcribit, poſt Vindicium manumiſſum Romæ obtinuiſſe, ut, qui ita, puta per vindictam, liberati eſſent, in civitatem accepti viderentur.* Halycar. lib. 5. Ariſtot. 3. polit. c. 1. *improbat factum Cliſthenis, qui poſt ejectos Tyrannos, ſervis plurimis civitatem communicarat, cumq́; Demoſthenes rogationem reiteraſſet; ut liceret manumiſſis civibus eſſe, rogatio antiquata eſt,* Plutarchus in Demoſth. *ſive ex hac, ſive ex alia ratione, quod liberti ſuffragia & jura ſoleant civibus præripere, ut Romæ non ſemel*

mel factitatum eſſe, Liv.lib.9. Cicero pro Milon. *& alij referunt.*

Apud Roman. tamen abſq; controverſia liberti pro civibus reputabantur, l.poſtli.de captiv. l.ſi ut propo.C. de Municip. *ſed infimum civium gradum conſtituebant, interq; liberos & ſervos medij erant,* §. 1. Inſtit. de liber. *Nam licet per rogationem Canuleij* Liv.li.4. *promiſcua eſſent connubia patribus & plebi: tamen l. Iulia prohibentur ſenatorum filij libertinas ducere,* Vlpia. Inſt.tit.13.§.1. *libertinæ comparantur ijs, quæ corpore quæſtum fecerunt. Nec in ſuffragiis plurimum poterant, niſi quod vi & fraude reliquo populo calculos præriperent,* Liv.lib.9. *dum in omnibus tribubus ferebant, unde eos ſevocavit Fabius Max. Quam enim ibi factionem forenſem nominat* Livius, Zaſius in catal.ll. Rom. *rectè interpretatur turbam egentium hominum, ex libertorum genere. Cumq; procedente tempore in tribus omnes viciſſim arreperent, L. Æmilius Papus & C. Flaminius Cenſſ. eos viciſſim in 4. urbanas retraxerunt: cumq; Cn. Manilius clivum capitolinum obſideret, legemq; perferre vellet, qua liceret libertinis ſuffragia in omnibus tribubus ferre, à L. Domitio Ænobardo quæſtore repreſſus, & à ſpe ferendæ l. amotus fuit.* Cic. pro Milo *Donec Tiberius Grachus omnes libertos in unam tribum Eſquilinam conijceret.*

Non tamen eadem omnium libertorum erat conditio, quanquam à primis Romæ incunabulis, ut Cicero pro Balb. & Imper. Inſtit. de libert.§.ult. *loquitur, una & ſimplex libertas competebat, uidelicet eadem, qua gaudebat manumittens. Mox ſub annum imperij Aug. 46.* ſecundum Caſſiod.in chron. *Sex. Ælius & C. Sentius Coſſ. legem tulerunt, de iis, qui in dediitorum numero cenſebantur.* Diſcrimina libertorum.

Rectius enim ſic loqui videtur Cujacio, Vlpian. Inſtit. de liber. ſ. 1 & 6. de Teſtam. *quam* Trebon. in inſtit. de liber. ſ. ult. & Cajus Inſt. lib. 1. t. 1. ſ. 3. *qui vocant eos deditities, cum non ſic vocentur, quod ſe dedidiſſent*, ut Alciat. *diſputat.* 1. parad. c. 16. *ſed quod haberentur in numero dedititiorum, quorum erat deterrima conditio, ut oſtendit* Liv. lib. 9. *& in Campanorum deditione videre eſt.*

Qui jam ferro vel igne, ut loquitur Caj. Inſtit. t. 1. *ſ. 3. aut ut* Vlpian. Inſtit. t. 1. ſ. 6. *veſtigiis infamibus inſigniti erant, aut vincula portarant, &c.* Vlpian. lib. 1. ad l. AEl. Sent. l. verum 216. ff. de V. S. *indigni erant, ut civibus Romanis accenſerentur, à quibus* Cicero pro Rabir. *vult abeſſe omnem infamiæ notam, ideoq; ſi mererentur manumitti, in infimo ordine civium relinquebantur, qui ſub viliſſimis conditionibus Romano imperio implantati erant.*

Poſtea ſub an. Tiberij 5. ſi rectè computat Caſſiod. *Coſſ. M. Iunio Silano & L. Norbano, l. lata eſt de Latinis libertis ſeu Iunianis* Vlpian. Inſt. t. de Lat. de Teſtam. ſ. 7. & 13. *qui ſic vocabantur, quod non integram civitatem, ſed jus Latij tantum obtinerent*, l. uni. C. de Lat. liber. toll. *Nam nec teſtamentum condere, nec ſibi ex teſtamento aliorum aliquid dimiſſum, poterant ullatenus vendicare, prout* Cai. *ſcripſit* Inſt. lib. 1. tit. 1. *ſ. 4. & cum ſpiritu ſimul & vitam & libertatem amittebant.* ſ. Sed hæc. 4. Inſt. de ſucceſſ. liber. *Nec ſucceſſione legitima gaudebant, cum edictum Trajani, Latinum ad plenam civitatem, invito vel ignorante patrono feſtinantem, poſt mortem in jus Latinorum retraheret.* ſ. ſed hæc, 4. Inſt. Eod. *Poterant nihilominus jus Quiritium acquirere, beneficio prin-*

cipali,

cipali, libero, iteratione, militia, nave, ædificio, piſtrino. Vlpian. tit. de Lat.

Cæterum ſummus hujus generis fautor Iuſtin. §. 1. de ſerv. cogn. Inſt. Nov. 22. c. 8. *cum intellexiſſet, Latinorum & Dedititiorum nomina jam deſueviſſe,* Inſt. de libe. *eorum conditiones omninò ſuſtulit, ut ſolidum haberent ſervi ex manumiſſione beneficium,* l. Vni. C. de Lat. lib. toll. l. vni. C. de dedit. lib. toll. Inſtit. de liber. §. ult. de ſucceſſ. liber. §. 4. *Quin etiam libertis omnibus jus ingenuitatis reſtituit,* Inſt. d. t. & Nov. 78. l. 1. C. de bon. liber. *ut eorum eadem eſſet conditio cum filiis libertorum, quibus jam olim licuit magiſtratus adire, ut Claudius teſtatur* ap. Tacitum.

Tertium modum obtinendi civitatem facit Vlpianus *cooptationem, vel donationem.* Machiavellus lib. 1. diſs. c. 6. *cauſſam maximam ſtabilitatis Reip. Romanæ cenſet eſſe, quod alienigenas non receperint in civitatem, cujus contrarium ſentit* Cicero pro Balb. *multum videlicet ad imperii augmentum profuiſſe, quod civitas etiam hoſtibus aperta fuerit. Eo enim modo Romulus Romam,* Plutar. in Rom. *Theſeus Athenas,* Plut. in Theſ. *Alexander M. Alexandriam in oſtiis Nili,* Ioſeph. 3. bell. Iudaic. *Richardus rex Angliæ Londinum brevi ampliavit, dum peregrinis, decennium illic habitantibus, jura civitatis attribuit.* Polyd. Virg. in hiſt. Rich. *Et* Cromer. li. 12. *licet Germanis aliàs minus æquus ſit, cogitur tamẽ cõfiteri, Caſimirũ M. Poloniam frequentiorem & cultiorem effeciſſe, quod Teutonas eò cum jure ſuo induxerat.* Tertius mod9

Et ne longè exempla petamus, primum augmentum rebus Romanis attulerunt Sabini, quas Numa ll. confirmavit, Tarquinius & Appius Claudius ſuis divitiis auxerunt:

runt: Vindicius ſervus à proditione præſervavit. Ita Manilius Tuſculanus Capitolium liberavit à ſervis: Hermodorus Epheſius ll. 12. tab. autor fuit. Sic etiam Pomponius Atticus plurimum juvit res Athen. ſuis opibus, quantumvis hoſpes. Cornel. Nep. in vita Atti. *Sed tamen, ſi promiſcuè quibuscunque civitas aperiatur, periculoſum illud ſimul eſt & indecorum.*

An tacite inter cives cooptandi peregrini.

Metus enim eſt, ne pro civibus recipiantur proditores, ſicut Demaratus Laced. à Xerxe receptus, conſilia ejus in patriam perſcripſit. Iuſt. lib. 2. & *Amilcar. Carthag. ex caſtris Alexandri M. omnes ejus conatus Carthaginenſibus patefecit,* Iuſti. lib. 21. *Ita Zopyrus Babilonios,* Herod. li. 3. *& ſi narratio vera eſt,* apud Virg. 2. Aeneid. *Si non Trojanos perdidit. Et* Ariſt. 5. polit. c. 3. *longum catalogum recenſet civitatum, à peregrinitate perditarum.*

Indecorum verò eſt, civitatem adeò vilem habere, ut dignis ſimul & indignis proſtituatur. Qua de cauſa Cicero 1. Philip. *meritò ridet Cæſarem, quod non ſingulis hominibus, ſed integris nationibus civitatem aſſignarit. & Auguſtus indignatus eſt ſuper Antonio, quod Siculis civitatem vendiderat.* Sueton. in Aug. *Idem exprobrat Claudio,* Seneca in ioco de mort. Claud. *Putat enim non debuiſſe eum mori, antequam omnes Græcos, Gallos, Hiſpanos, Britannos, Sauromatas, & ſi qui ultra glacialem Boream incolunt barbari, ut conſtituerat, inter cives aſſcriberet. Deinde Antoninus dedit civitatem omnibus, qui in orbe Romano vivunt,* l. in orbe de ſtat. hom. *Vnde* Modeſtinus *ſcripſit* l. Roma. ad Munic. *Roma communis noſtra patria eſt. Et* Vlpian. l. nec non §. ſi cum, ff. Ex quibus cauſ. mai. *quemvis Romæ putat conveniri poſſe, quia, ut* in ſumma ait Salicet. *Qui in communi patria eſt, præ-*

ſens

ſens eſſe videtur. Iuſt. Nov. 78 c. 5. *approbat non tantum, ſed & ampliat conſtitutionem Antonini.*

Populares autem Reſp. meritò caras habuerunt Reſp. ſuas, ſicut Corinthiorum legati Alexandro reſpondent: Nemini unquam civitatem dedimus, quàm tibi & Herculi. Seneca 1. de benef. c. 13. *Lacedæmonij ante tempus Herodoti tantum Tiſamenum cum fratre receperunt,* Herod. li. 9. *ſed poſtea etiam Helotas,* Thucyd. lib. 5. *quos tamen iniquiore conditione uſos refert* Athen. lib. 6. *Solon, non tantum non recepit, ſed & ab urbe repelli voluit peregrinos, exceptis exulibus.* Plut. in Sol. *Legimus nihilominus Platæenſes ab Athenienſ. in communionem civitatis receptos;* Ifoc. in Panath. *Lyſiam Thurium, & Pomp. Atticum,* Cornel. Nep. in Pomp. *ſed nonniſi ob magna merita.*

Romani propterea difficulter alienigenas receperunt, quia cives Romanos putabant majeſtate plenos eſſe. An quiſquam ampliſſimus Galliæ, cum infimo cive Romano cõparandus eſt? ait Cic. pro M. Font. & pro Rabir. in pr. *Poteſtas Quiritium proximè ad Deorum immortalium numen accedit. Hinc lex illa ſacrata, quam* Cic. 3. de ll. *his verbis ponit: De capite civis, niſi per maximum comitiatum, olloſq́, quos cenſores in partibus populi locaſſint, ne ferunto: eamq́ teſtatur ex ll. 12. detractã, repetitq́ in* orat. pro Sex. Pomp. §. 16. de orig. jur. l. 2. *exactis regibus teſtatur l. latam, ne conſules poſſint in civis caput advertere, injuſſu populi. Vnde* Plin. *procõſul Aſiæ Chriſtianos qui cives erant, Trajano in urbem remittit,* li. 10. Ep. *quod ſibi in eorũ capita advertere non liceret, & Felix abſtinuit Paulum damnare, quod ſe pro cive Romano venditaret. Nam Verrẽ propterea acriter accuſat* Cic. lib. 5. in Ver. *quod Gavium Coſſanum, civem Romanum in Sicilia damnaſſet.* Privilegia civium Roman.

Facinus

Facinus, inquit, eſt, vinciri civem Romanum, ſcelus verberari, propè parricidium necari, quid dicam, in crucem agi? Hac ratione ſolebat & L. Cotta oſtendere, Ciceronem injuſtè damnatum fuiſſe, quia in centuriatis comitijs judicatus non erat. Cicero 3. de ll. & in orat. pro Sext.

Quin etiam Ciceronem, Cæſar & Clodius propterea reum egerunt, quod Lentulum & Cethegum carnifici tradiderit, cum ipſe pro Rabir. *teſtetur, rogatione Portia,* Valer. lib. 8. *& ll. Sempronijs, à Gracho latis, vt* lib. 7. in Ver. notavit Manut. *virgas quoque ab omnium civium Rom. corpore amotas fuiſſe, libertatemque civium lictori ereptam. Vnde* Iacobus Ræuardus c. 27. ad ll. 12. tab. *propterea putat Horatio perduellionem judicatam, quod ſecundum leges horrendi criminis puniri debebat. Erat autem lex horrendi criminis :* Liv. lib. 1. *Caput obnubito, infelici arbore reſte ſuſpendito, verberato vel intra pomærium, vel extra. Has voces* ait Cicero pro Rabir. *impijſſimum eſt de civis capite audiri. Proinde vt l. poſſent duumviri exequi, coacti fuerunt Horatium prius perduellem judicare. Perduellis autem eſt, qui hoſtili animo adverſus Remp. vel principem ſuum animatus eſt* l. fin. ff. ad l. Iul. Mai. *Verùm, quia virgæ demum rogatione Portia à tergo civis amotæ ſunt, vt* Franciſ. Silv. lib. 3. in Ver. *notat :* Manutius in lib. de ll. Roman. *aliam ejus rei aſſignat rationem: aliam* Sigon. c. 18. de jur. ant. Rom. *quod ſcilicet majeſtatis reus fuerit Horatius, quoniam in præſentia regis & univerſi populi parricidium patraverat.*

CA-

CAPUT VII.

De Rebuſpublicis in genere.

CVm omnis diſciplina practica reſolutivo ordine tradi debeat, eò quod ſic facilius addiſcatur, meritò, poſt explicatum ſubjectum Politices, de interno ejuſdem fine agit Ariſt. *qui eſt Reſpub. Multitudo enim civium, quantam obtinere poteſt, proximè obtinet felicitatem in Rep. Oſtenſum verò nuper eſt. Rempub. eſſe formam civitatis, quam idcircò* Ariſtot. 3. polit. c. 6. *definit, quod ſit* τάξις πόλεως, τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων: *aut explicatius* 4. polit. c. 1. *quod ſit* τάξις ταῖς πόλεσιν, ἡ περὶ τὰς ἀρχὰς, τίνα τρόπον νενέμηνται, καὶ τί τὸ κύριον τῆς πολιτείας καὶ τί τὸ τέλος ἑκάστης τῆς κοινωνίας ἐστί. Definitio Reipub.

Rectius hoc modo definit Ariſt. *Politiam quam* Speuſippus in definitionibus Platonicis & Bodin. 1. de Repub. c. 1. *qui loco generis cœtum ponunt & multitudinem. Hæc enim licet materiæ Reipub. & civitati quodammodo competant; Reipub. tamen, quatenus forma civitatis eſt, genus eſſe nequeunt, quippe quod ab ipſa ejus eſſentia petendum eſt, & à forma, quam Reſpub. civitati ſuperaddit. Illa verò eſt* τάξις, *quia per Rempub. cives in ordinem coguntur, cum multitudo ſine ordine confuſiones pariat, & felici concordiæque vitæ obſiſtat. Nihil autem intereſſe putamus, ſive* τάξιν *interpretemur cum* Sepulved. & Stapul. 4. polit. c. 1. Victor. tum hic, tum 3. polit. c. 6. Aretin. 3. polit. c. 4. Caſo ibid. Piccol. gr. 10. c. 7. Lipſ. 2. polit. c. 1. *per ordinem, ſive per ordinationem, cũ* Thom 3. polit. c. 4. & Lambin. c. 6. *Vtrumque enim vocabulum deſignat legiti-*

gitimam conſtitutionem civitatis, in ordine conſiſtentem.

Quia verò ordo refertur ad unum primum, à quo cætera dependent, vt ait Aver. 5. Meta.t 13. *in Reip. quoq; ordine caput & principium eſt, ſumma poteſtas, quæ cætera omnia ſibi ſubordinat. Sine imperio enim, ait* Cic. 3. de ll. *nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus, poteſt. Sed ab hoc principio ita dependent cætera, vt ab eo regantur, & leges accipiant, quod ſine adjutoribus ſumma poteſtas efficere non poteſt, quia, dicente* Paterculo lib. 2. *magna negotia magnis adjutoribus egent. Hinc magiſtratibus opus eſt, (* verba ſunt Cic. 3. de ll. *) ſine quorum prudentia, ac diligentia civitas eſſe non poteſt, quorumq; deſcriptione omnis Reip. moderatio continetur. Quæcunq; igitur eſſentiam Reip. conſtituũt, rectè complexus eſt* Ariſt. *in hac definitione, quando Remp. dicit ordinem eſſe totius ciuitatis conſiſtentem in regimine ſummæ poteſtatis per medios Magiſtratus.*

Per quod diſtinguantur Reſp.

Cæterum in diſtinctione Rerump. neſcio, an omninò ab errore liberari poſſit Ariſt. *qui cum 3.* polit. c. *5. à numero ſummam poteſtatem gerentiũ deduxiſſet ſpecies Reip. mox in fine capitis ſententiam corrigit, aſſerens per paupertatẽ & divitias diſtingui, Ariſtocratiam & Democratiam: accidere verò, vt, qui ad imperij gubernacula ſedent, multi ſint, vel pauci. Ita ſecundum mentem Ariſt. ſi civium tria ſint millia, & duo millia divitum obtineant imperium, erit ſtatus Ariſtocraticus: ſi tercentum tantum pauperes regant Remp. erit popularis vel Democraticus.*

Verùm, vt oculatiùs paulò in rẽ præſentem intueamur, avocanda nobis eſt Rerump. eſſentia, à bonitate vel vitio earum. Nam cum Polyb. *6.* li. *ſex ſpecies. Rerump. enarrat,*

& Patric.1.de Rep.tit.4. *divid it Reſp. in popularem, optimatum, & paucorum, confundunt veras & bonas cum prolapſis ſeu vitioſis, non attendentes, Reip. eſſentiam priorem eſſe, & ab ijs abſtractam.* Sicut enim Cic.1.de ll. *non tantū leges juſtas (ſic enim potius cum* Gothofr.& Lamb. *legimus, quam cū* Turnebo *legis juſſa) ſed & iniquas, nuncupari leges vult, qualis eſt, quam inter rex tulit, ut Dictator, quem vellet civium, indicta cauſa poſſit impunè interficere, aut quam L.Flaccus de Sylla, ut omnia quæcunq; ille feciſſet, eſſent rata, in quo ſenſu etiam deſcribit legem, quæ ſcripto ſancit, quod vult, aut vetando, aut jubendo: ita corpus ipſum Reip. ſeparandum eſt, ab accidentibus, quæ qualem quidem, & vel bonam vel malam faciunt Remp. ejus tamen eſſentiam non conſtituunt.*

Hæc compara-tio deſumta eſt ex 3. p lit. c. 11. in fin. ſecundum diui. Victor.

Hæc eſſentia Reip. non conſiſtit in paupertate & divitijs, ſed in perſonarum numero, quæ ad poteſtatem ſummam admittuntur. Quia enim Reſp. eſt gubernatio ſummæ poteſtatis, hæc autem requieſcit in perſonis, quando perſonæ variātur ſecundum numerum, Remp. quoq; variari neceſſe eſt, quia gubernandi poteſtas aliter uni ſoli ineſt aliter diffunditur in aliquos ſaltem, aliter in univerſos. Paupertas verò & divitiæ in communicatione majeſtatis nullam important diverſitatem. Sive enim pauper ſit rex, quales Tyrannos priſcorū fuiſſe ſcribit Herod.li.8 *ſive ſit dives, ſemper unam & eandem ſpeciem Reip. conſtituit. Nec enim minus rex erat Emathion, anguſtis incluſus pagis,* Iuſti.li.7. *aut cui uxor cibaria coquebat, ap.* Herod.li.8. *quā Alexander M. qui videbatur ſibi totū debellaſſe orbem. Vlyſſes rex erat parvi ſcopuli. Nec enim eſt aptus equis Ithacæ locus, ut neq; planis porrectus ſpacijs, neq; multæ prodigus herbæ,* Horat. 1. epiſt.7. *ſed regis titulo tam gaudet, quàm Artaxerxes,*

In quo cōſiſtat eſſentia Reip.

 cujus

cujus 127. provinciæ nominantur in lib. Eſther cap. 2. *&* *Evander non minus rex vocatur, quantumvis parvi palatij, quam Trajanus, aut Diocletianus, qui aquilas imperij ultra Cteſiphontem protulit,* Zoſim. & Pompon. Læt. in Dioclet. & Galer.

Refutat Ariſt. 3. polit. c. 12. (ſecundum diſtinct. Victorii) *eos, qui diverſitatem magiſtratuum æſtimabant ex opibus, quod talia bona ad magiſtratus officia nihil attineant. Nam Phocion de induſtria volebat pauper eſſe,* Plutarch. in Phoc. *& Ariſtidi data fuit pecunia publicè ad emendum pallium,* Plut. in Ariſt. *& filiabus decreta dos ex publico,* Æmil. prob. in Ariſt. *Nota eſt Lyſandri, Pelopidæ, Epaminondæ pauperies, & aliorum, quorum catalogum ſcribunt* Valer. Max. lib. 4. Bruſon. lib. 5. Sabell. lib. 8. c. 5. *Verum, propterea æquè fuerunt Imperatores, atque Cimon, Pericles, &c. Quid apud Romanos Publicolam,* Liv. li. 2. *Æmilium Paulum,* Plut. in Æmil. *Scipionem, Fabriciumve referam? Hunc & incomtis Curium capillis, Utilem bello tulit, & Camillum ſæva paupertas, & avitus apto cum Lare fundus.* Horat. 1. od. 2. *Nec enim credo futurum qui hos alios conſules fuiſſe putet ob paupertatem, quam fuerunt Lucullus, Craſſus, Sulla &c.*

8 *Sicut igitur in magiſtratibus non pariunt opes & pauperies diverſitatem, ita nec in ſumma poteſtate, quæ magiſtratuum caput eſt, & principium regiminis. Æquè enim Democratica fuit Reſpub. Romanorum; cum ferreis adhuc præ inopia uterentur annulis, & legatis loco precij offerrent annulum aureum,* Pancirol. in par. 1. memor. *atque tum, cum devicta Carthagine magna vis luxus Aſiatici in urbem migraret. Pauper fuit Maſſilia, Phocenſium colonia,* Strab. lib. 4. *quam* Cicero *Rerump. optimam vocat:* 2 ... *e*

eſt. c...

offi. & pro Flacco. *Pauper etiamnum Rhaguſia, cujus imperium ferè terminatur in muris, & quæ libertatem annua penſione admercatur: adhuc tamen Ariſtocratiam alit, perinde ut Veneti in maximis divitijs.*

Et ſanè ſi paupertas & divitiæ varietatem efficiunt Reipub. quid obſtat, quominus idem concedendum ſit de rebus alijs, quæ eadem ratione ad Rempub. pertinent, ut alia ſit forma, quando prudentes, alia, quando imprudentes ſummæ poteſtatis participes ſunt. Sic enim & ipſe Ariſtot. *argumentatur* 3 polit. c.12. *contra eos, qui magiſtratus conferebant, ob divitias. Quanquam enim Andreas Doria in conſtituenda Genuenſium Ariſtocratia, ditiſſimos quoſq; allegit, quod putaret ſecundum conſilium T. Flaminij proconſ. eam partem in civitate potiorem faciendam, cui ſalva tranquillaq; omnia magis eſſe expediat:* Liv. lib. 34. *tamen divitiæ primariò non ſunt ſpectandæ magis, quam cætera dona, quæ magiſtratum magis conſpicuum efficiunt. Quoniam enim illarum eadem eſt ratio, quando ad Remp. conferuntur, ſi unum variat Reip. ſpeciem, ad idem ſufficiet & alterum.*

Idem eſt argu. Ariſt. 4. polit. c. 12.

Et hoc modo nunquam eadem manebit Reſpub. imprimis, ubi poteſtates eliguntur. Pono enim Alcibiadi propter verſutiam: Ariſtidi propter juſtitiam: Pericli ob facundiam: Cimoni ob divitias, alijs ob alias cauſſas rerum ſummam committi. Si hæc diverſitatem inducunt, quot modis quoq; Reſpub. immutabitur? Monarchicum manſiſſe imperium Perſarum, docent Plato 3 de ll. Plut. in lib. ad princi. indoct. Strabo lib. 15. Athenæ. li. 12. Dipnos. *Sed Cyrus illud obtinuit per virtutem, Cambyſes jure ſucceſſionis, Smerdis fraude & mendacio, Darius ſorte, Xerxes, Artaxerxes, iterum jure hæreditatis &c. Imperium*

verò Romanum, quoties mutatum eſſe dicemus? in quod Iulius Cæſar ſeipſum vendicavit, ſicut Cyrus in Perſarum & Ottomannus in Turcarum poteſtatem ſe ingeſſerunt. Ex adoptione ſucceſſerunt, Auguſtus, Tiberius, Claudius, Caligula, Nero, Trajanus, Adrianum provexit aſtutia Plotinæ: Pertinacem autoritas: Nervam, Probum, Marcianum, Decium pietas: Galbam, Ottonem, Severum, Leonem Iſaurium, Nicephorum, Romanum Diogenem ſcientia militaris: Didium Iulianum, Iuſtinum, pecuniæ: Maximinum robur corporis: Maximum & Balbinum autoritas ſenatus: Gordianum favor plebis. Ita per varias cauſas plures ad imperium aſpirarunt, adeò vt milites aliquando Mitium elegerint, quod eſſet in caſtris pulcerrimus. Diaco in Conſtantio. *Iam olim quoque Meroës incolæ robuſtiſſimum*, Mela li.3. Alex. ab Alex. gen. di. li.4. c.23. *Æthiopes maximum*, Herod. li 3. quod & Camerarius 4. polit. c.4. citat ex Diodo. Sicul. *Gordij & Gothi pinguiſſimum elegerunt regem:* Lanterb. 1. de Repub. & Oneſicratus *autor eſt, apud Catheos Indos pulcerrimum obtinuiſſe regnum.* Strab. 16. Diod. Sic. li. 17. *Vnde* Curt. li. 6. *ait: plurimis gentibus in majeſtate corporis veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie natura dignata eſt donare.*

Ridiculum autem ſit, qui ex ijs & pluribus alijs rebus diverſitatem Rerump. petere velit: & tamen propius ferè attingunt Regentes, quam divitiæ, & paupertas, quæ bona ſunt externa tantum, imò à Stoicis & Platonicis pro bonis non numerantur, vt patet per Senec. ep. 119 & 88. Cic. 3. de fin & in Tuſc. Plato in Lyſid. Plotin. En 6. li. 7. Alcino: de doct. Plat. c. 30. Camut. 1. de amo. & felic. *Sicut enim infinitus ferè eſt illarum rerum, quæ in poteſtate ſpes*

Elari

ctari ſolent, numerus ita Rerump. non poterunt certæ ſpecies aſſignari: Vbi videmus Plat. 3. de ll. 8. de rep. & in polit. *quiq; ejus veſtigia ſequitur in politicis.* Aver. tract. 3. polit. *manifeſtè hoc vitium incurrere, dum mox duas, mox tres, mox quatuor, imò etiam octo ſpecies alicubi enumerant, nullibi tamen certum & definitum numerum aſſignantes, eò, quod veram rationem diſtinguendi Reſp. neglexerint.*

Deniq; premitur ſententia Ariſt. *hoc quoq; incommodo, quod cogatur confiteri, unius, paucorum, & omniũ imperia non differre ſpecie. Vbi enim eſt eadem ratio conſtitutiva, ibi eadem ſpecies. Iam paupertas, quam ponit* Ariſtoteles *rationem conſtitutivam popularis ſtatus, poteſt inveniri in Monarcha, ſicut de Habudum regibus ſcribit* Solinus in Polyhiſt. c. 35. *eos paupertate exerceri ad juſticiam: poteſt inveniri in optimatibus, ut ſi Pelopidas, & Epaminondas cum ſui ſimilibus regant Ariſtocratiam Thebanorum: itẽq; in toto populo, qualis erat Athenienſium, cum Themiſtocles urbem cingeret ligneis muris, aut Lacedæmoniorum, quos volebat Lycurgus æquali pauperie ab avaritia, & contentionibus ſuper meo & tuo abducere. Omnes igitur illi ſtatus erunt ejusdem ſpeciei & populares, quia paupertas in imperantibus ubiq; invenitur. Eadem ratio eſt in cæteris, quæ præter numerum imperantium ad Rerump. conſtitutionem adhibentur, quia poſſunt tribus ſpeciebus communia eſſe. Quæ verò communia ſunt, non diſtinguunt.*

Propterea, quod Cicero 2. de divin. *ſcribit, ſe à Platone philoſophiaq; didiciſſe, Reſp. tum à principibus teneri, tum à populis, aliquando à ſingulis, in eo putamus veras & primas ſpecies Rerumpub. proponi, quas &* Tacitus lib. 4. *his verbis expreſſit: Cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt. Latini enim ſic abſolutè*

Diviſio Rerump.

pag. 155.

ſolute ſpecies ſine vitiis & virtutibus Rerump. diſtinctè proponunt, ſed in Græcorum nominibus confuſio quædam oborta eſt inter autores, dum alij in melius, alij in deterius idem nomen uſurpant.

Quando enim unus imperat, tyrannis Aeſchini *vocatur, ſed* Plato in polit Plutar. de Monarch. Iſocr. in panat. Ariſt. 3. polit. c. 5. & Apulc. in fi. de philoſoph. *generaliori vocabulo unius dominatum vocant Monarchiam; eamq;* Plato & Ariſtot. *divident in* βασιλικὴν *&* τυραννικὴν. *Paucorum ſtatum adæquato nomine vocant Oligarchiam* Aeſchin. Herod. lib. 3. Plutarch. de Monar. Thucyd lib. 1. *Sed* Plato in polit. & Ariſtot. 3. polit. c. 5 4. polit. c. 7. ὀλιγαρχίαν *accipiunt pro corrupto, &* ἀριστοκρατίαν *pro benè conſtituto ſtatu paucorum. Populi deniq; univerſi principatum ſub communi Democratiæ nomine comprehendunt* Aeſchines, Plato in polit. Plutarch. de Mon. Apul. de phil. *Verum* Polyb. lib. 6. *eo utitur pro popularis ſtatus virtute, &* Ariſtot. *ubique ferè pro vitio, quando benè conſtitutam populi Rempub. communi* πολιτείας *nomine intelligit, eò quod ibi æquale ſit jus omnium civium.*

Qui verò diſtinctè Rerumpub. ſpecies cognoſcere, nec prolapſas cum veris, exemplo Polybii li 6 *confundere velit, ibi nudè tres primi ſtatus ob oculos ponendi ſunt, quando unus, quando minor, quando major pars civium ſummæ poteſtati præeſt. Sed in ſingulis ſpeciebus, maxima porrò ſpectanda eſt latitudo, & diverſitas. Simile enim quippiam hic evenire neceſſe eſt, quod & alibi evenire videmus, ut in quovis genere, ſit aliquod primum, ad cujus proportionem cætera æſtimentur. Sic de amicitia docuit* Ariſtot. 8. Ethic. c 3 & 4 *quod prima & perfecta ſit ex virtute: quæ*

ex quæſtu dependent, & utilitate, eatenus amicitiæ ſunt, quatenus ad primam illam accedunt, & quò propius accedunt, eò dignius merentur nomen amicitiæ.

Sic in univerſa demonſtrationum latitudine, una eſt, quam Græci Κυρίως ἀπόδειξιν *Averroiſtæ & Latini potiſſimam vocant, & cui* Themiſt. 2. poſt. c. 2. *principatum totius Logicæ tribuit: cætcræ ab hac tanquam norma deficiunt, alia magis, alia minus.* Sic Alcinous de doct. Plato cap. 30. & Plotin. En. 1. lib. 8. cap 2. En. 6. lib. 7. *& paſſim alibi bonum contendunt ex diſciplina* Platonis *primo dici de ſummo & primo bono, quod* Diogenes *definiebat* apud Ciceronem 3. de fin. *quod natura abſolutum eſt, &* αὐτάρκειαν *ſuam in ſe habet: reliqua verò ajunt ad hoc bonum contendere, & eatenus bona eſſe, quatenus primum bonum æmulantur & ejus umbram aſſequuntur.*

Pari omninò modo ſtatuendum eſt, de generibus Rerumpub. cum Sebaſt. Eric. 1. diſc. de Repub. *in quorum ſingulis datur aliquod primum, perfectè & probè conſtitutum, à quo cætera vel propius vel longius abeunt, & defectum quendam important. De omnibus verò nomen generale dicitur analogicè, tanquam de uno ad unum. Monarchia enim de regno, dominatu ſeu deſpotia, & Tyrannide quidem dicitur, ſed prius & maximè de regno, poſterius de dominatu, & deniq; de Tyrannide. Regnum enim norma eſt omnis Monarchiæ, à quo proximè dominatus; ſed longiſſimè abeſt Tyrannis.*

Cum igitur debeamus omnium Rerumpub. conſtitutiones metiri ex illa, quæ prima eſt in unoquoq; genere, & norma cæterarum, ante omnia neceſſarium eſt, ſcire, quæ ſit virtus benè conformatæ Reipub. ſeu quid faciat Quæ ſit optima Reſpub. in genere.

perfectam Rempub. ad cujus proportionem cæteræ examinari debeant. *Cum enim hoc negligerent* Bodinus & Althuſius, *hinc factum eſt, vt alter* 4. de Repub. cap. 4, *alter* in polit. cap. 14. *varia coacervaret attributa ad deſcribendum Tyrannum, quorum maxima pars ad ejus eſſentiam nihil pertinent, quippe, quæ conſiſtit tantum in cura privati commodi, & ſubverſione publici, prout edocuit optimè* Averro. tract. 3. polit. ex Ariſtotele 4. polit. cap. 10.

Lydius autem lapis, ad quem omnes Reſpub. exigendæ ſunt, ab Ariſtot. 3. polit. cap. 5. & ſeq. *proponitur, quod ſit cura ſalutis & boni publici. Nam, quia poteſtas refertur ad totam Rempub. ſibi ſubjectam, æſtimanda eſt ejus virtus ex cura, quam gerit in regenda Repub. Tum verò benè adminiſtratur Reſpub. quando totius cura, & non unius vel paucorum habetur.* *Hinc enim* Plato *manifeſtiſſimè* 8. de Repub. *prolapſarum Rerumpub. originem facit, quando imperantes præpoſtera partitione, publica ad privatos uſus intervertunt.* *Primam enim legem vocat* 5. de ll. *civitatis totius ſalutem, ſicut &* Cicero 3. de ll. *conſulibus, inquit, ſalus populi ſuprema lex eſto: &* Averr. 3. tractat. de Repub. *ait: in optima Repub. civilia, id eſt, communia curantur prius. Oportet enim Rempub. quæ diu firma ſit, velle, vt omnes civitatis partes conſtent, atque in ſtatu ſuo permaneant.*

Ipſe Home. *ex quo* Dion *putat deduci poſſe omnia præcepta politica, ejus rei admonet imperantes, dũ regẽ vocat* ποιμένα λαῶν. *Paſtoris verò eſt, in omnibus proſpicere utilitati gregis, quia, dicente* Gregorio c. Quamvis de R. I. in Quinto, *non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit & paſtor neſcit.* *Et hoc eſt, quod* Seneca

de

de Clement. *ab imperante cogitari vult: non ſuam eſſe Rempub. ſed ſe Reipub. quodq;* Claudianus *Honorium docet: Tu civem, patremq; geras, tu conſule cunctis, Non tibi: nec tua te moveant, ſed publica damna.* Plinius ſecundus, *qui in* Panægyr. *Ideam boni principis abſolviſſe creditur, in Trajano id quoq; commendat. Alij, inquit, ſe ſuperſtites Reipub. optabant faciebantq;. Tibi ſalus tua inviſa eſt, ſi non ſit cum ſalute Reipub. conjuncta, nihil pro te pateris optari, niſi expediat optimatibus, omnibusq; annis de te in conſilium Deos mittis, exigisq;, ut ſententiam ſuam mutent, ſi talis eſſe deſieris, qualis electus es.*

Si enim Cicero 1. de ll. *rectè ſcribit: ut quisq; maximè ad ſuum commodum refert, quæcunq; agit, ita minimè eſt vir bonus: ſi Athenienſium cives olim rectè jurabant, ſe imprimis laboraturos de ſalute boni publici:* Heraclid. in polit. *ſi duo Spartiatæ jure ſe obtulerunt Xerxi, prompti ultrò vitam pro patria profundere.* Herod. lib. 7. *ſi duo juvenes Carthaginenſes paſſi ſunt, ſe jure vivos ſepeliri, quo limites imperij ſuis ſepulchris teſtatos facerent.* Saluſtius in Iugurth. *quanto magis pro ſalute publica laborandum erit illi, quem Reſpub. in eum uſum ſibi præfecit, ut ejus prudentia & virtute ſalva ſit: quod quidem Iulianus Imperat. conſideravit, cum Rempub. ſibi commiſſam adeò caram haberet, ut per eam juraret: ita Reſpub. ſalva ſit: ita quaſſatum recreem orbem Romanum:* Ammian. lib. 25. *& principes noſtri, dum pro ſymbolo uſi ſunt: Alijs inſerviendo princeps conſumitur, imitati Alphonſum, cujus ſymbolum refert* hiſtor. Alphonſ. *Pro lege & pro grege.*

Oſtendimus ſupra, homines natura appetere Rempub. vt in ea benè ac beatè, quantum fieri poteſt, vivant. Is enim Reipub. finis eſt. Iam tum demum res perfecta eſt, quando finem, ad quem deſtinatur, aſſequi poteſt, 5. Metaph. cap.17. & ibidem Comment. *Perfecta igitur & illa Reſpub. eſt, in qua cives benè ac beatè vivunt. Cæterum, ubi omnia trahuntur ad commoda privata, cives benè non vivunt, qui tum demum arbitrantur ſe felices eſſe, ſi eorum ſalus univerſim procuretur. Laudandus igitur Tacitus, qui ad imperium evectus omnia ſua bona, quæ propria habebat, vendidit, ne eorum cura à curis publicis avocaretur.* Flavius Vopiſcus in Tacit. *Et Antoninus Pius dixit: Poſtquam ad imperium tranſivimus, etiam, quæ prius habuimus, perdidimus,* Capit. in Anton.

CA-

CAPUT VIII.

De mixta Republica.

CÆterum priuſquam particulariter ſimplices Rerump. formas pertractemus: videndum eſt, an ex earum confuſione, tertia quædam nova & mixta forma poſſit contemperari, quam nullo ſimplicium nomine rectè dixeris. Ad numerum enim Rerumpub. hæc quæſtio omninò pertinet. Et quidem in tantis turbis, tamq; crebris mutationibus actionum humanarum vix poteſt adeò ſimplex & inconfuſa Reſpub. reperiri, in qua non ſit aliquid alieni admiſtum; cæterum, ſicut Elementa non ſunt mixta, niſi perdiderint ſpeciem, & penè æquali proportione ſeſe mutuò contemperarint: ita nec judicanda eſt Rèſp. mixta, niſi formæ ita inter ſe temperatæ ſint, vt nullius ſimplicis nomine jure nominari queant, 4. pol. c 9.

Errat enim Iſocrat. in Areopagit. *dum propter ſenatum Areopagiticum credit, Athenienſium Democratiam fuiſſe temperatam Ariſtocratia, cum* Xnophon. in li. de Repub. Athenienſ. *omnium popularium eam primam faciat. Iura enim Majeſtatis penes populum reſederunt, cujus ſenatorij Magiſtratus erant Areopagitæ. Similis erroris arguuntur* Iunius Brutus in Vindic. contr. Tyran. Hotto nan. de antiq. Iur. Gallo. Althuſius 14. c. pol. *qui Galliarum regnum ex Monarchiarum numero eximũt, quod prima lex regni ſit, referente* Hottoman. 1. de antiq. Gal. Iur. c. 23. *vt ne quid, quod ad ſtatum Reipub. in univerſum pertineat, Regi ſine publici conſilij autoritate ſtatuere liceat. Nam quia reges volentibus utuntur ſubditis, æquum eſt, vt de conſilio univerſorum, & imprimis,* Mixtio apparens

 qui

qui præ ſua prudentia ſtatum imperij rectius cognoſcunt leges ad univerſos attinentes promulgent. Cum qua indulgentia, regia authoritas ſalva adhuc ſtare poteſt, prout ſentiunt Bodinus 1. de Repub. cap 8. & 2. de repub. & Franciſcus Sanſovinus de rerumpub. gubernatione lib.1.

Nam & in Anglia conciliorum maxima eſt authoritas, ut oſtendit Eman. in hiſt. Bel. in hiſt. Mar. Stuartæ. *ex quo opinatur* Caſus lib.3. polit. c.5. *regnum Angliæ quoq; miſtum eſſe: & de regibus Scotiæ ſcribit* Buchananus, *quod à conciliorum conſenſu dependeant. Nam licet Iacobus 4. Petro Varbeco, ſuppoſititio filio comitis Eboracenſis, præſumto regi Angliæ, auxilia promiſiſſet, coactus tamen fuit promiſſa reijcere ad conſenſum concilij:* Buchan. lib. *13. & Romachus, cum traheret in comitijs ſententiæ dicundæ jus ad ſe ſolum, tertio anno regni, à conjurata nobilitate occiſus eſt,* Buchan. lib.4. *perinde, ut olim Hieronymus Syracuſ. rex à ſuis interfectus eſt, quod de ſua ageret omnia ſententia, longè ſecus, quàm fecerat Hiero pater,* Liv. li.24. *Quanta ſit authoritas conventuum in Hiſpanijs, notum eſt, & tamen utrumq; regnum in ſtatut. Hiſpa. Monarchicum vocatur. Et de Caſtellano expreſſa res eſt* ex l.2.5. 6. 7. & 8. tit. 1. partita 2. l.18. tit.4. l.18.19. 20. tit.23. part.3. rurſus l.9.t.4. part. ead. item l. 4. tit. 1. li.2. & l.1.t.1. li.3. ordinat. *Quando enim quis iuriſdictionem ſuam probare non poteſt, præſumitur pro rege, quod ad illum pertineat,* l.2. & 8. tit.1. part.2. l. 1. t.1. li.2. Ordin. *& rex idem poteſtatem habet ſpeciali jure nobilibus juriſdictionem & imperium concedendi. De Arragonenſi idem probat* Petrus Belluga in Specul. & Oldradus in Conſil.

Verùm

Verùm licet leviter ita aliquid admiſceatur ſimplici formæ Reip. ſicut in mutationibus Rerump. ſæpius fieri videmus, aut quando novæ primum ſubſiſtunt, tamen, quia tota ſpecies non immutatur, nõ propriè dicitur Reſp. mixta. Nam & Romulus, autore Dionyſio, *populo reliquit, ut leges per curias approbaret, quæ inde curiatæ dictæ ſunt, ut notant* Zaſius & Cujac. ad l. 2. de orig. jur. *ubi* Pomponius *idem teſtatur, & tamen addit: omnia à regibus gubernata fuiſſe, quia per ſententias patrum ipſe rex rem ſuam expediebat.*

Hîc verò diſputatio eſt, de vera mixtione, in qua, quæ miſtionẽ patientur, Reſp. ita contemperari debent, ut ſingulæ à ſua majeſtate aliquid remittãt, ſicut Elementa remitti neceſſe eſt, quando perfectè miſcentur. Plato in 3. & 6. de ll. item 8 de Rep. *non tantum conſentit talem Remp. dari, ſed & cæteris omnibus prælatam cupit,* & 3 de ll. *ſtabiliſſimam eſſe demonſtrat, quæ ſententia quoq; eſt* Iſocrat. in Areopag. Polyb. li. 6. Machiavel. 1. li. diſc. c. 2. *Eandẽ proponit & explicat Ariſt.* 4. polit. c. 9. *concedunt & alij* Apule. de phil. in fi. Cic. in 3. d. ll. & fragm. de reſp. Contar. 1. de rep. Venet. Morus in Vtop. Caſ. 4. polit. Turneb. in 3. de ll. Picol. gr. 10. c. 9. *Contra hos & multos alios diſputat* Bodinus *prolixè* 2. de rep. c. 1. *eorumq; ſententiam improbant etiam* Tholoſ. 5. de rep. c. 1. et Iunius 1. part. qq. Polit. *Qua de cauſa operæpretium fuerit, in hujus rei veritatem diligenter inquirere.* Vera mixtio.

Quod ut diſtinctè faciamus, triplicem poſſumus mixtionem excogitare, eò quod triplici modo jura majeſtatis poſſint dividi. Quia enim jura majeſtatis ſunt ſigna & argumenta ſummæ poteſtatis, penes illa debemus notare, qua ratione poteſtas ſit diviſa.

Modus I. miſcendi.

Primum igitur fingamus, totam majeſtatem, vel univerſa jura, ad ſummam poteſtatem pertinentia, communicari ſingulis tribus, vel etiam duobus tantum ſtatibus, vt regi, optimatibus, & reliquo populo, cujus mixtionis exemplum invenire non poſſumus, niſi fortaſſe per ſeditionem ſimilis ἀναρχία naſcatur, quam ſtatim peſſum ire neceſſe erit.

Si enim æquale ſinguli ſtatus habeant imperium, quale erit ibi obedientium & imperantium diſcrimen? Poteſtatem definit Vulteius 1. de iuriſpr. Roman. c. 11 *quod ſit jus perſonæ in perſonam, quo altera ſubeſt, altera præeſt. Cum autem in tali confuſione nemo ſubſit, vana erit poteſtas, quæ in neminem habet imperium. Nec verò, duæ æquales & diſtinctæ poteſtates ulla in Repub. conſiſtere commodè poſſunt: dum altera alterius legibus perpetuò intercedere poteſt, proinde prudenter videntur ſtatus Scotiæ Reginæ Angliæ reſpondiſſe petenti, vt Mariæ Stuartæ matri liceat unà cum filio regnare: omnem imperij ſocietatem periculoſam eſſe:* Buchan. lib. 19. *& Alexander M. Dario ſcripſit, quod* Seneca in Thyeſt. *poſtea imitatus eſt: Regnum non duos capit, nec mundus duos ſoles:* Arrian. in hiſt. Alex. *quodq́ Severus reſpondit Iuliano*, Herodian. in Sever. & Iuli. *Philippus Gordiano*, Capitol. in Gordia. Iuni. *cum uterque peteret tantum in parte imperij relinqui.*

Summæ enim & plenæ poteſtatis ea ratio eſt, vt aliam ſecum non compatiatur. Sicut enim Imperator dicebat, §. Nos verò. de concept Digeſt. *quod primum eſt, aliud ante ſe habere non poteſt: ita quod ſummum eſt, non patitur ſecum aliam poteſtatem, quæ in ſe imperium habeat. Si enim mutuò in ſe poſſent ſtatuere duæ poteſtates, neutra eſſet*

eſſet ſumma, quo argumento rectè utuntur, Algazell. diſput. 5. dub. 1. & 2. ibidemq; Aver. & Sueſſanus cum Iandu. 8. Phyſ. q. ult. *imò ipſe* Damaſcenus 1. fide. Orth. c. 5. *contra eos, qui plures uno DEOS comminiſcuntur, eosq; ſimul infinitos,* ut Iamblychus facit in pr. lib. de myſter. AEgypt.

Alterum modum fingamus, quando idem jus majeſtatis pluribus ſtatibus diviſim communicatur, ſed alio atq; alio modo, ſicut Cicero 3. de ll. *civitatem ſuam ita vult moderatam eſſe, vt poteſtas in populo, autoritas ſit in ſenatu. Reſpicit hic ad Rempub. Roman. de qua ſcribit* Liv. li. 1. *Cum ſenſiſſent ea moveri patres, offerendum ultrò rati, quod amiſſuri erant, ita gratiam ineunt, ſumma poteſtate populo permiſſa, vt non plus darent juris, quam detinerent. Decreverunt enim, vt cum populus regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres autores fierent. Hoc decreto majeſtas fuit inter patres, plebemq; diviſa, ſed apud patres conſtitit in autoritate, apud populum in poteſtate.* Secundus modus.

Errat enim, qui quod Victorinus *ſcribit, ſine autoritate ſenatus nullam olim legem perferri potuiſſe, accipit de gravitate Senatus. Nam* Dion. li. 43. *cùm Græcæ hiſtoriæ vocabulũ autoritatis immiſcuiſſet, talem addit vim eſſe ejus nominis, vt* ἐξελληνίσαι αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατον *ſit.* Paul. l. etiã ſi ff. de Autor. & conſ. tutor. *videtur explicare, dũ ait: Etiamſi non interrogatus tutor autor fuerit, valet autoritas ejus, cum ſe id probare dicit, quod agitur. Hoc enim eſt autorem fieri.* Cicero in 3. de ll. *dum ait: Imperia, poteſtates, legationes, cum ſenatus creverit, populus juſſit, ex vrbe exeunto, autoritatem ſenatus exprimit per decernendi poteſtatem. Sicut enim præconſultorum ſenatus Athenis decernebat prius, quod in deliberationem populi mitti de-*

 bebat.

bebat, ita vult Cicero, *vt patres autores fiant, id eſt,* quomodo explicat Budæus in annotat. ad ff. & Hotoman.in orat. pro Cæci. *vt SCto decernant prius, quod à populo jubendum eſt. Sic enim Interrex poſt mortem Romuli: Quod bonum, fauſtum, felixq́; ſit, Quirites, regem create. Ita patribus viſum eſt.* Liv.li.1.

Verùm, quia talis majeſtatis diuiſio admittit omnes cives, licet alia atq́; alia ratione, mixtionem non efficit, ſed popularem ſtatum relinquit. Vnde apud Romanos & hoc jus manſit, cum maximè Democratica eſſet Reſp. Nam Livius lib.1.*teſtatur, eum morem in ll. magiſtratibusq́; rogandis obſervari ſolitum uſq; ad ſua tempora. Ejus enim mentionem facit Quintius Conſul, dum confitetur ſe futurum in poteſtate tribuni:* Liv.li.2. *& Tribuni iterum, dũ promittunt ſe futuros in autoritate patrum.* Liv.li 3. *Item cum patres nollent autores fieri, vt crearetur conſul ex plebe, non potuerunt tribuni plebeium conſulem jubere, & Ap. Claudius Sextium & Licinium trib. pl. increpat, ne patribus autoritatem eripiant.* Liv.li.6. *Quin &* Florus Epito.40.*&* Dio.li.45. *ejuſdem patrum autoritatis mentionem faciunt, ex quo patet, dictam majeſtatis diviſionem populari ſtatui nequaquam obſtare.*

Tertius modus.

Reſtat igitur tertius modus, quando jura majeſtatis ſeparantur, & diverſa diverſis ſtatib. attribuuntur. Quod enim Bodinus *obiicit, majeſtatem conſiſtere in indiviſibili, niſi de ſumma & perfectiſſima majeſtate intelligat, falſum eſt. Plura enim ſunt capita & jura, quorum concurſus efficit maieſtatem perfectam, quam quidem totam & in univerſum pluribus communicari impoſſibile eſt: ſed partes eius nihil prohibet disiungi, & pluribus attribui, ita quidem, vt in ſingulis ſit particula maieſtatis: in toto vero*

corpore

corpore ſumma & plena maieſtas, ex concurſu partium, ſuas maieſtatis particulas in unum comportantium reſultans.

Non ſunt autem jura maieſtatis ad eum modum dividenda, quem fingit Bodinus, ut populus magiſtratuum creandorum, ærarii publici, vitæq; ius & necis habeat: nobilitati ll. ferendarum, belli, paciſq; ac tributorum imperandorum ius tribuatur: regi verò tum univerſi, tum ſinguli cives iureiurando obſtringantur ad fidelitatem, obſequiumq;, ſine cuiusquam exceptione præſtandum. Nam ſingulis partibus talia iura concedit, quæ trahant ſecum univerſam maieſtatem, quod fieri non poſſe, paulò ante diximus. Legum enim de omnibus rebus ferendarum poteſtas nulli parti ſoli committi poteſt, quia cum illa coniungitur imperium omnium rerum: ſed neq; ad omnia regi poſſunt ſubditi obligari in mixta hac Rep. quia & hoc modo omnium rerum ſumma deponitur in ſinum regis.

Sed, quia leges, aut ad ſtatum Reip. pertinent, cuius conformatio ad omnes partes ſpectat, aut de rebus aliis feruntur, illas oportet, aut iam ante fundationem Reip. conſcriptas eſſe, aut conſenſu omnium conſcribi, electis ad hoc prudentiſſimis viris cum ſufficienti poteſtate. Sic Athenienſes Soloni, Lacedæmonii Lycurgo id negotii dederunt, & ad eorum leges ſuis iuramentis ſe obligarunt. Plutarch. in Solon. & Lycurg. Sic Terentillus Arſa trib. ple. quinq; viros nominari voluit, qui ll. omnib. æquas, ſine præiudiciis ferrent. Cum autem patres id recuſarent, inter utroſque conventum eſt, ut legumlatores & ex plebe, & ex patribus, qui vtriſque utilia ferrent, quæq; æquandæ libertatis eſſent, ſinerent creari, miſſiq; ſunt triumviri Athenas, ad ll. deſcribendas, Livius lib. 3 Quin

interdum dicebatur dictator, vt legem perferret. Halycar. lib.5. *& Florentini octo aut Xuiros creare ſolebant, emendandæ Reip.* Bodin.2.de Rep.c.3.

Si quis verò commodiorem miſcendi modum deſideret, licet unus omnino non ſit, ſed pro ratione Reip. diverſus, vel hac vel alia quavis ratione liceat eum ſine abſurditate inſtitui. Summa dignitas ſit penes regem, cui ad præſtandam reverentiam omnes obligentur. Quam enim Curtius lib. *3. nonnullis gentibus erga reges ait inſitam venerationem, ea promovenda eſt, quia maieſtas imperij ſalutis eſt tutela,* vt idem Curt. ſcribit li.9. *Sed ne in ſola dignitate majeſtatem regis locemus, poterit adjungi poteſtas conſcribendi exercitum, bellum gerendi, & paciſcendi cum externis ad ſalutem Reip. quod ipſum ſcribit* Herod.lib 6. *conceſſum fuiſſe legibus Lacedæm. In bello enim maximè requiri unitatem Imperatoris Fabius Maxi. & Minutius oſtenderunt.* Plutarch. in Fab. Liu. lib.22. *Prætcrea cum gratioſum maximè munus ſit, & legibus non alligetur, diſtributio præmiorum, & hæc regi concedi poteſt: nec obſtat, quo minus jus imperandi tributa & cudendi monetam eidem tuto permitti queat. Senatus ijs præficiatur rebus, quæ maximè indigent prudentia, vt ſunt judicia publica, & leges de rebus extra ſtatum Reipub. ferendæ. &c. Plebs verò ærarij publici curam, & magiſtratuum creationem habeat.*

Sed quia Ariſtot.4. polit. c.1. *monet, non eſſe ideam Reipub. fingendam, qualem* Polyb.lib. 6. *confitetur eſſe Rempub. Platonis, ſed reſpiciendum potius ad exempla, utrum conditio hominum patiatur ſibi talem Rempub. induci, operæ precium fuerit, formas Rerump. quas pro mixtis autores venditant, examinare, & experiri, an ullibi, vel*

talis

talis, qualem propoſuimus, vel alia mixtio inventa fuerit. Laconicam Rempub. à Lycurgo plerique ex tribus formis temperatam credunt, de qua ſcribit Iuſtin. lib. 2. *Lycurgus adminiſtrationem Reipub. per ordines diviſit, regibus poteſtatem bellorum, magiſtratibus judicia & annuas ſucceſſiones, ſenatui cuſtodiam ll. populo ſublegendi ſenatum, vel creandi, quos vellet, magiſtratus, poteſtatem permiſit: fundos omnium æqualiter inter omnes diviſit.*

Verùm, quanquam Plato 3. de ll. Polyb. lib. 6. Iſocr. in Areop. & Panath. Iuſtin. lib. 2. Machiavel. 1. lib. diſc. c. 2. *ex tribus formis confundunt Rempub. Lycurgi: tamen rectius judicavit* Ariſtot. 4. polit. c. 9. *Solam Democratiam & Ariſtocr. ibi componi. Reges enim nulla maieſtatis jura vſurparunt, vt* AEmil. Prob. in Ageſil. *rectè dixerit, reges Lacedæmon. nomine magis fuiſſe, quàm imperio. Crearunt & Romani, ejectis regibus, regem ſacrificulum, ad ea ſacrificia, quæ, niſi à regibus, fieri non poterant,* Haly. li. 5. Liu. li. 2. Gell. li. 15. c. 27. *& reginam ſacrorum, cuius meminit* Macrob. 1. Satur. c. 15. *ſed præter nomen & dignitatem regiam, regium nihil habuerunt. Quod enim* Machiavellus cap. 2. lib. 1. diſc. ſcribit, *Apud Spartanos Lycurgus ll. ita inſtituit, vt regibus ſua dignitas, optimatibus ſua potentia, & populo legitima libertas conſervaretur, minimè facit ad regium aliquid, in regibus Laconum demonſtrandum, cum dignitas regem non faciat, ſed poteſtas & imperium.*

Reſpub. Lacedæmon.

Nec verò dignitas eorum prolixa fuit, cum Xenoph. de Rep. Lac. *ſcribat, & ex eo exſcribat* Sanſovin. li. 16. de Rebuſp. admin. *Regum honores parum admodum privatorum honoribus antecelluiſſe. Quæ enim* Herod. li. 6. Thuc. li. 5. Xenoph. in li. de Rep. Laced. Pauſan. in La-

coni. Ariſt. 3.polit.c.10. *recenſent, Iovis ſacerdotes eſſe, in phiditijs primo loco accumbere, duplum cibi accipere, publico planctu ſepeliri, levem quidem honorem deſignant, ſed ſine poteſtate. Quod vero* Herod.li.6.& Iuſt. li. 2. *addunt, reges habuiſſe jus belli, in quamcunque libuerit regionem inferendi, vt id nulli Spartiatarum prohibere fas ſit: alioquin piaculari crimine teneatur: nec cæteris autoribus, nec hiſtorijs congruit. Nam* Ariſt. 3. polit.c.10.*tum demum reges, ait, habere imperium in exercitus, cum extra regionem egreſſi fuerint, ſive in caſtris, quod omnibus belli ducibus ſemper conceſſum fuit. Imò* Xenophon *expreſſè teſtatur* in lib. de rep.Laced. *reges duxiſſe bellum eò, quo civitas deſtinaſſet, idemque ait: Ephori per præconem denunciant, quibus annis educendæ copiæ ſint. Et cum Archidamus rex diſſuaſiſſet bellum adverſum Athen. Sthenelaidas Ephorus obtinuit contra regem, vt inferretur,* Thucyd.lib.1.

In cæteris ſubjecti fuerunt Ephoris & legibus, quia ſingulis menſibus jurabant Ephoris, ſe ſecundum leges gubernaturos, Xenoph.d.lo. *Vnde* Ariſtot.3.polit.cap.10. *maximè vocat eos ſecundum leges: at idem* 3. polit. c.11. & 12. *regem ſecundum leges, negat abſolutè regem eſſe. Ephororum autem imperium abundè declarat* Xenoph. de laud. Ageſ. & AEmil. Prob. in Ageſ. *qui cum narraſſet, Ageſilaum juſſu Ephororum revocatum fuiſſe ex Aſia, addit: Ageſilaum maluiſſe imperium domi pati, quàm in Aſia maximum eſſe. Vnde non immeritò per potentiam Ephor. ſcribit* Ariſtot. 2.polit.c.7.*regiam poteſtatem eviluiſſe. Nam Agidem conjecerunt in carcerem, ibique ſuffocarunt,* Plut.in Agi. *nec Cleomenes quicquam auſus eſt aggredi, priuſquam Ephoros ſuſtuliſſet.* Plutarc. in Cleom.

Thucyd.

Thucyd.li.1. *cum narraſſet, Pauſaniam ex Helleſponto revocatum, illiq́; ab Ephoro imperatum fuiſſe, ne à caduceatore abſcederet, addit,* ἔξεστι γὰρ τοῖς ἐφόροις τὸν βασιλέα δρᾶσαι τοῦτο, *id eſt, ut* AEmil.Prob.in Paul. *vertiſſe videtur: Licet legibus eorum cuivis Ephoro hoc facere regi, & eum conijcere in carcerem.*

Hanc tantam Ephororum poteſtatem ſi reſpicias, non abſurdè dubites, cum ijs, quorum mentionem facit Ariſt 4. polit. c. 9. *qui Lycurgi Remp. popularem credebant, ſicut & Nabis Tyran. Laced. expreſſè confitetur* apud Liv.li.34. *Lycurgum voluiſſe Rempub. popularem inſtituere. Ephori enim* ait Ariſt.2.polit.c.7. *omnes magiſtratus alios corrigunt: &* Xenoph. de repub.Laco. *Ephori quæcunq; velint, poteſtatem mulctandi habent, & extemplo exigendi, nec non in magiſtratu conſtitutos interim abrogandi, & in carcerem conijciendi, ac de vita certamen inſtituendi. Sunt autem Ephori magiſtratus plebis, ut Coſmi apud Cretenſes, aut trib. pleb. apud Romanos; quos* Herod.li.2. *ab ipſo Lycurgo inſtitutos*: Plutarchus *verò* in Lycurg. *an. 130. demum poſt Lycurg. ſub Theopompo rege introductos fuiſſe teſtatur.*

Quia tamen jura nonnulla ſenatui relicta fuerunt, 2. polit.c.7. 4. polit. c.9. *utpote poteſtas per totam vitam decernendi, largiendi, gratificandi, in nonnullis quoq; de vita & morte judicandi, & cætera, idcirco eum Democratia, cujus potiſſimæ partes fuerunt Ariſtocratiam tempertatam ſtatuimus. Qui verò Rempub. illam purè Ariſtocraticam dixerunt,* ut Maximus Tyrius in orat. 3. Thucyd.lib.1. & Plutarch.in lib. de Monar. *ad externam ſpeciem & ſplendorem tantum ſenatorum reſpexerunt, non*

non ad rem ipſam. Nam ſenatoribus maximum exhibitum fuiſſe honorem, Xenophon, in Repub. Lacedæ. *teſtatur, & nota eſt vox illius, qui dixit: in ſola Sparta expedit ſeneſcere.*

Reſpublica Roman.

Alterum exemplum ponit Polyb. lib. 6. *in Rep. Romanorum, quam ut rectè dijudicemus,* cum *Pompon.* l. 2. de orig. jur. *varia mutationum tempora nobis diſtinguenda ſunt. Nam ſub regibus florebat Monarchia,* ſicut Pompon. d. l. *§. 1.* ſcribit, *omnia à manu regis fuiſſe gubernata. Quod enim M. Fabius Papyrio dictatori obijcit,* apud Liv. li. 8. *Hoſtilium ceſſiſſe provocationi ad populum, id ille fecit non de jure, ſed remittens de ſua poteſtate, ut crudelitatis, ſi damnaret, injuſticiæ, ſi abſolveret Horatium, notam effugeret. Sic & Valerius Publicola faſces populo ſubmiſit,* Plutarc. in Publ. *& Iulius Xvir Sextio collegæ diem dixit ad populum,* Liv. lib. 3. *licet Xviri ſine provocatione creati eſſent.*

Ejectis regibus, jus majeſtatis recidit ad conſules. Ita enim Liv. lib 2. *Libertatis originem inde magis, quia annuum conſulare imperium factum eſt, quam quod diminutum quicquam ſit ex regia poteſtate, numeres. Omnia jura, omnia inſignia primi conſules tenuêre. Sed ſtatim Publicola communicavit poteſtatem populo, cum, ut* loquitur Diony. *leges ferret de provocatione à conſſ. ad populũ, & de imperio à populo accipiendo.* Plutarch. in Public. Liv. li. 2. *Nam his ll.* ait Liv. lib. 4. *diſſolutum eſſe imperium conſulare, quia hinc plebs cepit occaſionem patribus ſe opponendi, & jura majeſtatis ijs eripiendi. Hinc natæ ſunt conciones Tribunorum pl. in patres & patrum in tribunos, cumq́; conſul mitteret lictorem ad tribunum, tribunus miſit viatorem ad conſulem, adeò ut inter Ariſtocratiam &*

am & Democratiam Reſpub. videretur ambigere & mutare, nitentibus tribunis pleb. omnia jura populi facere, patribus verò ea ſibi retinere volentibus, donec in puram Democratiam degeneraret, & SCta, niſi juſſu populi, non valerent.

Antea verò primis poſt reges ejectos annis, peculiaria majeſtatis jura ſenatus uſurpabat. Nam præmia & honores decernebat, ſicut cum Icilius trib. pleb. negatum à patribus triumphum Valerio conſ. decerneret, refutavit eum Claudius: Ne ita omnia tribuni poteſtatis ſuæ implerent, ut nullum publicum conſilium ſinerent eſſe. Ita demum liberam civitatem fore, ita æquales ll. ſi ſua quisque jura ordo, ſuam majeſtatem teneat: nunquam ante de triumpho per populum actum, ſemper æſtimationem, arbitriumque ejus honoris, penes ſenatum fuiſſe, Livius li.3. *Paulò poſt ait ab inſectationibus tribunorum ſervatam eſſe majeſtatem patrum. Et Quintius in concione queritur, jura patrum opprimi, ſi cogantur plebiſcitis obedire. Ex quibus patet, diſtinctam maieſtatem, diſtinctaque iura patribus competiſſe.*

Polybius lib. 6. *ſcribit, ſenatum decreviſſe de provinciis, iudicaſſe de civitatibus, deque coniuratis pœnas ſumſiſſe. Nam Sabinis bellum & inducias decrevit ſenatus:* Livius li 2. *& Circeienſibus ſenatus verbis reſponſum eſt: Faceſſerent propè ex urbe, ab ore, atque oculis populi Romani, ne nihil eos ius legationis, externo, non civi, comparatum tegeret,* Livius lib. 6. *Hinc etiam ll. tulit ſenatus, ut legem de petitione hæreditatis,* l. item, §. præter hæc, ff. de petit. hæred. *legem Iuliam & Papiam,* l. illæ. 71. de hæred. inſtit. l. Filio 48. de ritu nupt. *Hinc SCta, quæ nihil aliud ſunt, quàm, quod Senatus iubet & conſtituit:* §. 2. Inſtit.

 de iur.

de iur. nat. *vtpote Macedonianum*, l.1. ff. ad Sena. Mac. *Syllanianum & Claudianum*, ff. ad SC. Syll. *Vellejanum*, C. de SC. Vell. *& antiquum SCtum, ne ſervi torqueantur in caput domini*, Cicero pro Milo. Tacit. 2. Annal. *Quapropter* Vlpianus dixit l.9. de ll. *Non ambigitur, ſenatum jus facere poſſe. In magiſtratibus quoq́ creandis, ex inſtituto Servij, plus poterant patres, propter auſpicia comitiorum centuriatorum, & Anno V. 286. cum plebs à comitijs abeſſet, ſoli patres crearunt conſules*, Livius lib. 2.

Tribuni enim, dicente Gellio lib. 13. cap. 12. *ab initio creari ſolebant, non juri dicundo, nec cauſis querelisq́ de abſentibus noſcendis, ſed intercesſionibus faciendis, quibus præſentes fuiſſent, vt injuria, quæ coram fieret, arceretur. Hinc* Varro lib. 21. rer. human. *Ego, ait, triumvir, vocatus à Portio, Trib. pl. non ivi, autoribus principibus, & vetus ius tenui: Et* Labeo Antiſtius, *à Gelliano ad tribunos citatus, iuſſit eum redire, & Tribunis dicere, ius eos non habere, neq́ ſe, neq́ alium quemquam, in cauſa vocandi, cum moribus maiorum Trib. pleb. prehenſionem haberent, vocationem non haberent*, Gell. d. lo. *Sic &* Cice. pro Quintio, *Tribunorum magiſtratum, ait, auxilij cauſa conſtitutum eſſe. Imò ipſi patres, cum Tyrannis Trib. inciperet vires ſumere, idem cum Trib. expoſtularunt. Nam Martius Coriolanus ita defendit ſe: auxilii, non pœnæ ius datum eſſe poteſtati tribunitiæ, plebisq́ non patrum tribunos eſſe*, Livius li. 2. *Hoc amplius dicit Martius: non eſſe tribunis poteſtatem in patritios. Nam cum Luctatius trib. patritios iuvenes, viatori minimè cedentes, prehendi iuſſiſſet, obſtiſtit Ap. Claudius Conſ. negans ius eſſe tribuno, in quenquam, niſi in plebeium*, Liv. li. 2. *Crediturq́ iure occiſus fuiſſe Genutius trib. pl. quod L. Furium & C. Manlium*

magi-

magiſtratu conſulari abeuntes, prehendiſſet contra ius patritiorum, Liv. lib. 2.

Verùm tribuni mox tranſgreſſi ſunt ſui iuris limites, dum Martio diem dixerunt, & venire recuſantem damnarunt. Q. quoq; Conſidius & T. Genutius T. Menenio, qui à conſulatu primum abſceſſerat, diem dixerunt, & multam irrogarunt, Liv. lib. 2. *Pari ratione traxerunt ad ſe ius decernendi de provincijs. Nam Ardeatibus ab ſenatu reſponſum eſt: iudicium populi à ſenatu reſcindi non poſſe*, Liv. lib. 4. *& ipſe ſenatus princeps confitetur, per ſenatum de Campanis iniuſſu populi agi non poſſe*, Liv. lib. 26. *Cumq; ſenatus Numidiam Metello decreviſſet, populus decretum irritum fecit*, Saluſt. in Iugurt. *obtinuitq; contra ſenatum, vt l. Manilia Pompeio bellum contra Mithridatẽ, provinciæq; omnes circumſitæ, cum copijs Luculli decernerentur.* Plut. in Luc. *Hinc rogatio Sempronia C. Gracchi, vt eo anno ſenatui eſſet poteſtas iudicandi de provinciis, ſine tribunorum interceſſione*, Saluſt. in Iug.

Quin & eò progreſſi ſunt trib. pl. vt cum plebiſcita ſolã plebem tenerent, poſthac & iis patres ſubiicerentur. Ita n. Liv. li. 3 *Omnium primùm, cum veluti in controverſo iure eſſet, tenerenturnè patres plebiſcitis, legem centuriatis comitiis tulére, vt quod tributim plebes iuſſiſſet, populum teneret, qua lege tribunitiis rogationibus acerrimum telum datũ eſt. Idem repetiit Philo. An. V. 416. vt plebiſcita omnes Quirites tenerent*, Liv. li. 8. *& Hortenſius, cum populus ad Ianiculum abceſſiſſet*, Plin. li. 16. c. 10. §. 4. Inſt. de iur. nat. *His legibus effectum eſt, vt quam hactenus tanquam ſuam uſurparant patres, poteſtatem cogerentur toti populo committere. & tũ facta fuit Reſp. popularis, quæ inter Democr. & Ariſtoc. antea ambigua fuerat.*

Quod verò Monarchiæ veſtigium in conſulibus notent Polyb. lib. 6. Machiav. 1. lib. diſc. c. 3. & Didacus ſcribat c. 1. pract. qq. *Rempub. contuliſſe ſummam poteſtatem in conſules, nihil eſt, cum conſules imperium tantum precariò habuerint, & tanquam Reipub. totius vicarij. Imò* Pompon. l. 2. *§*. 16. de orig. iur. *negat conſules habuiſſe ius gladij in cives, quia de capite civis non licebat cuiquam, niſi per maximum comitiatum, cognoſcere.* Cic. pro Rabir. pro Sext. 3. de ll. 5. lib. in Verr. Cicero *quidem in* 3. de ll. *conſulum poteſtatem ita ordinat: Regio imperio duo ſunto: Nemini parento. Sed vel ex unico hoc loco poſſet* Sigonius *oſtendere, quod* Ciceronis *leges examuſſim non reſpondeant legibus Romanorum. Nam lege Valeria provocationis terminus à conſulibus ad populum transferebatur.* Plutarch. in Public. *& decreta conſſ. invitum populum non obligabant. Ita enim Sp. Poſthumius ſponſione ſua ait populum non teneri, quia iniuſſu populi facta erat.* Livius li. 9. *Quin etiam ſenatus autoritati cogebantur conſules cedere, ſicut Fulvius propterea literas ſenatus in ſinum abdidit, ne ijs vetaretur in Campanos ſeverius advertere. Præterea abducebantur in carcerem conſſ. à tribunis, & ſuorum actorum, poſtquam à magiſtratu abierant, rationem iiſdem reddebant, quæ omnia declarant, regiam poteſtatem in conſulibus non fuiſſe.*

Rebuſp. imperii Romani.

Poſtquam Democratia Roman. per factiones Syllæ & Marij, Pompeij & Cæſaris in Monarchiam viciſſim abijt, ut ſcribit Dion. in Auguſt. *indulgentia Impp. fecit, ut nonnulli, ad externam tantum formam intenti, crederent primorum Impp. maieſtatem non fuiſſe regiam vel abſolutam, cum principes tantum vocarentur, non reges. Sciebant enim Domini & regis nomen, in libera civitate odij*

& pe-

& periculi plenum eſſe, ſicut Octavius, cum ipſi ſerò in ſenatum venienti ob partum uxoris, Nigidius Figulus acclamaſſet: Nobis, Octavi, dominum genuiſti, cogitavit puerum interficere, ne ex ſua domo libertati periculum crearetur. Dion in Auguſt. *ideoq; talia nomina refugiebant omninò. Nam cùm in Sibyllinis legeretur, Parthos vinci non poſſe, niſi à rege, & propterea Cæſar rex ſalutaretur, ipſe reſpondit, non regem ſe, ſed Cæſarem vocari.* Plutar. in Cæſ. *Sic &* Ovidius *de Auguſto ad Romulum ait: Tu domini nomen, principis ille tenet. Tiberius, à quodam Dominus indigetatus, rogavit, ne ſe contumeliæ cauſa ulterius ita appellaret.* Sueton. in Tiber. c. 27. πρόκριτος γὰρ τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ὠνομάζετο. καὶ πολλάκις γε ἔλεγεν, ὅτι δεσπότης μὲν τῶν δούλων: αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρατιωτῶν; τῶν δὲ δὴ λοιπῶν πρόκριτός εἰμι. Dion in Tiber. *Hinc &* Sueton. in Tiber. c. 31. *formam Reipub. vocat principium, ſi rectè locum explicat* Lipſius, *cum &* Tertull. adverſ. Hermog. *principij vocabulum ſcribat accipi ſolere pro principatu poteſtativo, &* Alciatus de V. S. *ex* Vegetio lib. 2. cap. 7. *principia accipiat pro tabernaculis principum, ſenſu non prorſus alieno, de quo vide* Lazium de rep. Rom. & Covar. c. 24. lib. 4. var. reſolutio.

Verùm, licet regios titulos repulerint Impp. iſtac tamen ſimulata modeſtia, jus & poteſtatem omnem ad ſe trahebant. Nam, quod Cæſar reijciebat diadema in capitolium, paſſus eſt, ſtatuis ſuis imponi, quod cum Flavius & Marullus detraherent, Flor. Epit. 126. *amovit eos à tribunatu,* Plutarch. in Cæſ. Dion, *etiam addit, Cæſarem perfeciſſe, quanquam civibus invitis, ut publico decreto, in conventibus, regia veſte indui, coronaq; laurea ornari perpetuò ſibi liceret, cujus rei, quod calvus eſſet, cauſam*

 aſſere-

afferebat. Hinc illa regia eiuſdem vox ad Metellum trib. pleb. Quod ſi hæc, inquit, quæ ago, te offendunt, faceſſe in præſentia. Ferocia verba bellum non admittit. Vbi patefacta arma depoſuero, tunc age populariter. Atq; hæc dico de iure meo remittens. Nam & tu, & omnes alii, quos ex adverſariis meis cepi, in arbitrio eſtis meo, Plut. in Cæſ. Sic de Auguſto ſcribit Tacit. 1. Anna. quod contentus conſulis & tribuni nomine, ſenatus & populi iura ad ſe traxerit: & Caligula, cum reges apud ipſum de ſplendore regum diſceptarent, verſiculum Homeri de ſe recitavit: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη &c. & parum abfuit, inquit Sueton. in Calig. quin diadema ſumeret, & ſpeciem principatus in regnũ converteret.

Quod igitur Thucyd. li. 2. de Pericle ſcribit: Eum titulotenus fuiſſe curatorem Reip. reipſa verò principem, idem de primis Impp. dicere poſſumus. Regem enim non ex nomine æſtimamus, ſed ex ſumma unius poteſtate. Nam cum imperio ſubiectus eſſet Bretzelius rex Bohem. non magis rex fuit, quàm Archiduces Auſtriæ, qui & ipſi ad regiam dignitatem elevabantur, nec tamen minus manſuri erant ſub fide imperii, quàm nunc ſunt, quando Archiducatus Auſtriæ regio titulo non gaudet. Sicut enim Quintilianum Rhetorem ſcribit Auſon. in grat. act. ad Grat. conſularia ornamenta ſortitum, honeſtamenta nominis potius, quàm inſignia poteſtatis habuiſſe: ita & de regibus judicandum, qui cum poteſtati alterius ſubjecti eſſent, regium titulum adhuc uſurpabant, qualis erat Perſeus Livius lib. 45. & alii, qui ſolebant diadema à Repub. Romana petere.

Regem enim ſumma & abſoluta facit poteſtas, ſicut Saluſtius ait in Iugurt. impunè quidvis facere, id demum eſt,

eſt, regem eſſe, & Martial. *Qui rex eſt, regem, Maxime, non habeat. Ita magni duces Muſcoviæ, ad quos Monarchia Muſcoviæ rediit, licet plus quàm regia uſi fuerint poteſtate, regium tamen titulum ſibi non arrogarunt, ante Baſilium Ioannis filium. Nam quod* Paulus Iovius in pr. Muſc. *putet, Moſchum ſperaſſe ab Imp. & Pontifice regium titulum:* Sigiſmundus Baro in hiſt. Muſcou. *refutat, quod Moſchus utroq; ſe putet ſuperiorem. Nec errandum eſt, cum* Frideric. in conſt. quomod. in læſæ maieſt. crim. proced. *dicente: Omnem animam ſubiectam eſſe Romano Imperatori, aut cum* quadam glo. c. in Apibus, 7. q. 1. Itemq; in c. venerabilem. de elect. *Imper. habere ius inaugurandi reges omnes, cum is demum verus rex ſit, qui ſuum honorem non habet à ſuperiori. Sic Agathocles, ſe ipſum pro rege venditavit, cum tantam ſuam potentiam eſſe adverteret:* Diod. Sicl. lib. 20. *& Alexandri M. duces ſibi ipſis diademata impoſuerunt.* Appian. in Syri. Iuſtin. lib. *15. nec Præmislus, cum ad ſummam poteſtatem regni Poloniæ perveniſſet, Pontificis aut Imperatoris reſcriptum ulterius expectavit, ſed ſua autoritate diadema ſumſit,* Crome. lib. 11. *ratus, ſolam poteſtatem ſummam & liberam ad regem ſufficere, qua cum uſi fuerint Impp. primi, regibus eos annumerare non veremur, licet regium nomen alia ex cauſa repudiarint.*

Summam enim in eos depoſitam fuiſſe poteſtatem Tacitus *ſcribit* lib. 1. hiſto. lib. 1. & 11. Annal. & Strabo li. 15. Plutarch. in Cæſ. Dion. in Auguſt. *fuitq; hoc caput legis regiæ, cuius mentio fit* l. *1.* ff. de conſtit. princ. l. uni. ff. de offic. præf. præt. l. *2.* §. Noviſſimè, de orig. iur. l. 1. §. ſed in hoc. 7. C. de veteri iure enucle.

Eadem

Eadem vocatur lex imperij l. ex imperf. C. de teſtam. *& maieſtatis* apud Tac. 4. Annal. *Quando autem & quibus verbis prolata ſit, qua occaſione regia dicta, cũ regis nomen exoſum omninò fuerit, alij aliter diſputant:* Covarr. c. 1. qq. pract. Corraſ. lib. 6. Miſcel: c. 8. Borcholt. ad §. conſtat. Inſtit. de iur. nat. gent. *Vtut ſit, quod hac l. principi facta fuerit omnium rerum poteſtas, ab Imp.* Iuſtinia. *aſſeritur,* §. ſed &. Inſtit. de jur. nat. *nec ullam difficultatem habet, cum principes ea liberaliter uſi fuerint, ſicut in Nerone oſtendit* Seneca 1. de clem. c. 1. *Ego, inquit Nero, ex omnibus mortalibus placui, qui in terris Deorum vice fungerer. Ego vitæ necisq́; gentibus arbiter: qualem quisq́; ſortem, ſtatumq́; habet, in manu mea poſitum eſt. Quod cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronunciat, &c.*

Objectionis præoccupatio.

Nam quod Cæſar comitia diviſit cum populo, Plut. in Cæſ. Suet. ibid. *& Tiberius, cum è campo comitia tranſtuliſſet ad patres,* Tacit. *1.* Annal. Dio. lib. *58. juſſit per SCta patres cauſas decernere, alijs ex cauſis factum eſt. Primum, quod nulla Reſpub. tam ſubitò mutari poſſit, quin aliquid præcedentis formæ retineat, vt* docuit Ariſtot. 4. pol. 5. in fi. *Quod enim ex* Meſua Conciliat. diff. 111. *ſcribit. Omne ſubitum eſſe naturæ inimicum, etiam de imperijs verum eſt. Nam Agis propterea perijt, quod repente leges priſtinas revocare vellet.* Plutarch. in Agi. *Vnde* Dion. de Auguſto refert: *Non omnia ſtatim, vt decretum erat, executus eſt, veritus, ne parum ſuccederet, ſi ſimul homines transferre, & invertere vellet: ſed quædam ex tempore diſpoſuit, quædam rejecit ad tempus. Deinde conditio naſcentis Monarchiæ ſuaſit, ſæpe populo indulgere aliquid, & fucum aſpergere, ne ſentiret jura à ſe auferri. Quæ verò ex adula-*

adulatione, vel indulgentia concedũtur, non debent trahi ad exemplum, prout docet Reg. Can. 74. in 6to. *qua in parte maximè antecelluit calliditas Tyberij, quem cum narraſſet* Tacitus lib. 1. in fin. *plurima ſenatui indulſiſſe, ſubdit: Hæc omnia ſpecioſa verbis, re inania ac ſubdola: quantoq́ majore libertatis imagine tegebantur, tantò eruptura ad infenſius ſervitium.*

De Trajano ſcribit Plinius in Panæg. *Imperator, Cæſar, Auguſtus & Pontifex M. ſtetit ante conſulem ſedentem, juravitq́ & expreſſit verba, quibus domum ſuam, caput ſuum, ſi ſcienter fefelliſſet, Deorum iræ conſecraret. Pariter & Alexander Sev. nullam promulgavit l. quam ſenatus prius non approbaſſet,* Iamprid. in Alex. *& Probus Imp. conceſſit patribus, vt ll. imperatorias ſuis SCtis conſecrarent,* Vopiſc. in Prob. *nec tamen ex iſta Impp. indulgentia ſequitur, ſenatum poteſtatem ſummam retinuiſſe, quia jam tum ſcripſerat* Vlpiannus 1. de conſtit. princ. *in principem omnem fuiſſe amotam poteſtatem, & Antoninus de ſe dixerat, in* l. ἀξίωσις ad l. Rhod. de jact. ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. *Quin & Domitianus, cum procuratorum ſuorum nomine, formalem dictaret Epiſt. ſic cepit: Dominus & Deus noſter, ſic fieri juſſit,* Sueton. in Domit. *& vix biennio poſt Probũ Diocletianus apertè paſſus eſt ſe dominum vocari & adorari.* Aurel. Vict. in Diocl.

Tertia cauſa fuit ſocordia Impp. qui, quas ipſi noluerunt gerere, res ſenatui permiſerunt. Tiberius enim cum in Inſulam ſuam An. Imp. 9. abiret, vetuit edicto otium ſuum interpellari. Tacit. lib. 4. *Deniq́ & in ijs, quæ conceſſa rant ſenatui, ultimum jus ſibi retinebant Impp. ſicut de Cæſare* Plutarch. ſcribit in Cæſar, *quod maximos ma-*

giſtratus ipſe contulerit, ſed in ſpeciem magis, quàm vt vera magiſtratus munia exequerẽtur, & de Tyberio Taci. 4. Ann. *quod SCta pro libitu cohibuerit & correxerit, unde Cotta Meſſalinus ait: adverſarios meos tueatur ſenatus: me verò tuebitur Tiberiolus meus*; Tacitus 6. Annal. *& M. Terentius conceptis verbis profitetur: Tibi ſummum rerum judicium Dij dedere, nobis obſequij gloria relicta eſt*, Tacitus 6. Annal. *Hinc* Plinius in Panæg. *conqueritur: Senatores tantum ex pacto loqui, & in ſententiam principis cogi, quod innuit etiam* Tacitus lib. 6. *dum L. Piſonem pontificem laudat, quod nunquam ſervilis ſententiæ ſpontè autor fuerit. Nihil igitur obſtat quò minus etiam primos Impp. Monarchas vocare queamus.*

Reſpublica Germanorum.

De poſterioribus verò, item de Græcis, Francis & primis Germanorum Impp. dubium non eſt, quin Monarchicè imperarint: verùm hodie videtur aliquid poteſtatis tranſiſſe ad Principes, ubi meritò cum Carione & Philip. in Chron. *dolendum eſt, quod primam originem Electorum ignorare cogamur, unde conjecturam facere queamus, quo tempore Monarchia ſimplex temperari cœperit. Diſputent* Lupold. c. 2. de jur. Imp. Onuphr. 4. de comit. imper. Avent. 5. Chron. Bava. *& alij, de primo Electorum exortu: id conſtat, Othonem M. ſtatuiſſe, ne Imp. eligeretur, niſi ex Germanis & ab ijſdem, quod Otho III. Romæ repetijt, cum Creſcentium ſuſpendiſſet, & Placentinum de Capitolio præcipitaſſet*, Sigon. 7. Ital. Peucer 4. Chron. *Ibi quidem electionis fit mentio, ſicut & Conradus Salicus diu non potuit adire imperium, cum Principes nondum conſentirent, ſed 7. Electores nondum exprimuntur. Nec tantæ fuiſſent diſſenſiones inter Principes, de imperio & tutela Henrici 4. ſi Electorum autoritas in uſu fuiſſet.*

Propte-

Propterea Carolus IV. in aur. bul, & Innocent. III. c. venerabilem de Elect. *rationem eligendi Imp. vocant inveteratam conſuetudinem. Senſim enim & electionem & jura imperatoria in ſe tranſtulerunt Principes, donec ea propria ſibi facerent. Nam jam olim Fridericus I. legem de incendiarijs ita concluſit: Actum Nurenberg. in præſentia Principum, conſilio & conſenſu eorundem*, conſtit. Frider. de Incend. *& Carolus IV. conſtitutionē de ordine ſeſſionum ſic inchoat: Nos Carolus IV. &c. habita de liberatione cum omnibus principibus Electoribus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, & de ipſorum conſilio decernimus &c. Sed progreſſu temporis Electores & Principes in iſto jure ſe magis confirmarunt, ita vt Albertus Elector, Archiep. Mogunt. Marchio Brandeburg. in collegio Electorum anno 1519. imperium Germanorum contendat eſſe Ariſtocraticum*, Sleida. lib. 1. *quam ſententiam ubiq; propugnat* Bodinus.

Et revera abſolutam Imperatoris poteſtatem non eſſe, argumento eſt, quod in ſenatu Principum judicari poſſit, cum jam olim coram Palatino conveniri poterit, prout in aur. bul. rememorat Carolus. *Imò Adolphum Naſſovium, & Wenceslaum Bohemum removerunt Electores ab imperio, quod illud malè adminiſtrarent*. Cuſpin. in Cæſar. Æneas Syl. c. 34 hiſt. Bohem. *Hinc cogunt Electores electum Imperatorem, vt priuſquam imperiū adeat, juret, ſe omnia privilegia & honores ſtatibus ſeruaturum*. Lauterb. l. de Rep. c. 15. *Ipſum etiam juramentum, quia cogitur illud Imperator præſtare, arguit ſuperiorem collegij Principum poteſtatem. Alias enim inane ſit, ſubditos velle Principes ſuos ad juramenta cogere, quaſi eorum fidem ita vilem habeant, vt niſi juratis non credant,*

 cum

cum tamen Areopagitæ non paſſi ſint, Xenocratem pro judicio jurare, rati nefas eſſe, viro bono, etiam injurato, fidẽ non habere, Vives 8. de civ. Dei c.12.

Cætera quoq; jura majeſtatis ex parte tranſierunt ad principes, inter quæ poteſtas ferendi, aut abrogandi leges, caput eſt. Summum enim imperium ait Innocentius de Elect. *ejus eſt, qui ordinario juri derogare poteſt: Et Tyberij vox eſt: Non aliter conſtat ratio, quàm ſi nulli reddatur. Sed ea ſe privant Impp. dum* ex conſtitut. aur. bul. *immunitates, jura & privilegia ſe omnibus ſervaturos jurant. Carolos V. inter cæteros hi exhibiti fuerunt articuli: Leges omnes imperij & imprimis auream bullam non modò confirmet, ſed & de Electorum conſilio, cum res ita feret, amplificet. Item de rebus imperij fœdus & pactum nullum faciat cum externis, niſi de Septemvirorum aſſenſu.* Sleidan. lib.1.

Atq; has leges accepit Carolus, quod illud imperij jus eſſe ſciret, qui tamen ad Pontifi. ſcripſit. Non eſſe ex dignitate Auguſti longè Max. Principis leges accipere, nuſquam terreri, ab his maximè, qui imperio ſuo ſubjecti, Iov. in vit. Leon. X.

Fridericus in c. vn. quæ ſint Rega. *angariarum & parangariarum præſtationem regalibus immiſcet; ſed nec illa Imper. exigere integrum eſt. Lex enim eſt: Neque vectigal, neq; tributum imperet, niſi de conſenſu Electorum.* Ariſtot. *poteſtatem creandi magiſtratus accenſet,* & Polyb. lib.6. *vt oſtendat majeſtatis aliquid penes plebem fuiſſe, ex hoc ſigno id demonſtrat, quod plebs demandaverit magiſtratus: Sed eam quoq; poteſtatem in Carolo certis conditionibus circumſcripſerunt Electores,* Sleidan. lib.1. *Plurima tamen ejus arbitrio relinquentes, ex quibus*

majeſtas

majeſtas Imper. viciſſim arguitur. Poteſtatem enim conferendi feuda, & mandandi honores, Carolo V. principes omninò non ademerunt, & cum Landgravio à Granuellano objiceretur: Cæſarem è Germania ne tantillum quidem accipere, reſpondit Landgravius: Etiamſi forte non ita multum ad Cæſarem ex imperio redit: tamen, quod & in Turcam & Galliæ regem & in alios ei dantur auxilia, quod imperij dignitas autoritatem ei ſummam ad cæteros reges conciliat, quod copias perpetuò & exercitus maximos in Germania conſcribere poteſt, cũ id cæteris non liceat, quanti id eſſe putabitur? Sleid. li. 17.

Cæterùm [illegible] *litatem, quam ex imperio habet Imp. & honorem quidem hæc demonſtrant: poteſtatem verò, vt multa alia, ita potiſſimùm, quod votum Imp. colophonium ſit, cæterorumq́; ſuffragia compleat. Vnde illud: de imperialis poteſtatis plenitudine decernimus. Nam Carolus V. acriter objurgavit principes, quod in comitijs Norinbergenſibus ſe inſcio in cauſa Lutheri decreviſſent,* Sleid. li. 4.

4\. *Imò ipſi Electores, Principes & civitates Aquiſgrani Imp. fidem dant, quos Imp. non tantum imperij, ſed & ſuos fideles vocat. Cæterum hoc modo Monarchia, Ariſtocratiâ temperata videtur. Quibus imperij jura intimius cognita ſunt, rectius judicare poterunt, quorum ſententiæ noſtram libenter conjungemus.*

Similis videatur alicui conſtitutio regni Poloniæ, niſi quod ad Ariſtocratiam propius vergat. Quanquam enim primi reges abſolutiorem habuerunt poteſtatem, ut ſcribit Crom in lib. de magiſt. Polo. *poſterioribus tamen, evileſcente poteſtate in plures diviſa,* (Micho in Chron.) *plurimum imperij detractum, & ad nobilitatem translatum eſt, imprimis, cum Ludouicus,* [illegible] *ex filiabus con-* Reſpublica regni Polon.

tra ſolita regni jura, Lib. 1. ſtatut. c. 2. a. 1. *& Iagello, ut uni ex filijs regnum emereretur, multum de jure regis remiſerit*, Crome. lib 19. *adeò, ut Chriſtina, Cæſaris filia, Uladislai I. uxor, jam tum dixerit: Summum illud jus, & autoritatem Monarchiæ in Polonia umbratilem eſſe*, Crome. lib. 6.

Audiamus confeſſionem ipſius Stanislai Orichovii, *qui, licet ex tribus Rebuſp. regnum Poloniæ contemperatum putet*, in orat. tamen de Il. Polon. ad proceres: *Rex inquit, Poloniæ nihil aliud eſt, quàm os quoddam regni veſtri, vobiſcum conjunctum, libero ac legitimo veſtro ſuffragio, ut is prorſus nihil agat, nihil moliatur, ac ne loquatur quidem, niſi id, quod ex intimo ſenſu veſtro publicè ſit profectum. Senator autem, quem majores præſidem libertatis, atq; cuſtodem eſſe voluerunt, ea ratione Regi adjungitur, ut cuſtos is ſit & vindex illius cupiditatum: ac ut in ſententijs dicendis regi præeat, illumq; doceat, quid illi pro communi veſtra ſalute agendum edicendumvè ſit, &c. Quid multis? cum Sigiſm. Aug. Petri covia anno 1548. in ſe receperit, ſe nunquam commiſſurum, ut non communicato cum ſenatoribus conſilio, ulla de re quicquam ſtatuat*, lib 1. ſtatut. c. t. a. 4. l. 9. c. 3. a. 1. l 20.

Eo jure irritum factum eſt teſtamentum Caſimiri M. quod inſcio ſenatu conditum erat, Crome. li. 13. *& Iagello prohibitus fuit Anno 1398. Cruciferis bellum inferre, quod nobilitas diſſentiret*, Crome. li. 15. *cumq; idem in Lituaniam iter adornaret, additus eſt Sbigneus Cracov. Epiſc. comes, ne quid ex ſua ſolius ſententia ageret.* Crome. lib. 19. *Ita & Caſimiro III. quatuor adjuncti ſunt ſenatores, ſine quibus, quid ageret, irritum eſſet*, Cromer. lib. 22.

Atq;

Atque adeo ampliatum eſt hoc jus ſenatus, vt nec in rebus domeſticis, nec in ducenda uxore, rex liberum habeat arbitrium, prout Sigiſm. confitetur, lib. 1. c. 1. a. 4. l. 1. *Et cum Iagello tertium & quartum matrimonium, ſine conſenſu ſenatus contraxiſſet, perpetuis ob id laceſſitus fuit diſcordijs*, Crome. lib. 18.

Legum ferendarum poteſtatem ipſi reges à ſe amovent, dum jurant, ſe contra leges, privilegia, jura, immunitates Baronum, Magnatum, ciuitatum, oppidorum, nihil molituros. Ita jurarunt Ludouuicus Caſſoviæ anno 1374. Iagello anno 1422. Vladislaus III. anno 1434. Caſimirus III. anno 1454. Iohannes Albertus anno 1496. Alexander 1503. Sigiſmundus pro filio Sigiſmundo Auguſto an. 1530. qui pubes factus juramentum patris confirmavit an. 1537. lib. 1. ſtat. c. 2. a. 2. *Hoc amplius adjectum fuit in juramento, quod Henricus dux Andium præſtitit, vt ſi juramentum violaverit, incolæ ab obedientia liberi eſſent.* Bodinus 1. de Rep. c. 9. *Feruntur autem ll. in regni comitijs, prout Caſimirus 3. anno 1454. ex comitij Nyeſſou. ſcripſit: Pollicemur, quod novas nullas conſtitutiones faciemus abſque communi conventione: & Alexander Radom. an. 1505. addit rationem: Quoniam jura communia & conſtitutiones publicæ non unum, ſed populum afficiunt. Ad hoc ſcriptum reſpexit Sigiſmundus Petric. anno 1538. inquiens: Conſtitutiones novas, non niſi cū conſiliariorum & Nunciorum terrarū conſenſu ſecundū ſtatutū Alex. regis faciemus,* Lib. 1. ſtat. Polon. c. 2. a. 6. *Quin & Sigiſm. cum corrigeret Cracoviæ an 1507. nonnullas ll. addit, ſe id facere prælatorum, Baronum, & Nunciorum Terreſt. conſenſu, quod jam antea confeſſus erat Caſimirus 3. in corrigendis ll. Caſimiri 2. & Vladislai 2.* Lib. 1. c. 2. a. 5.

Præterea

Præterea provocatio, quæ ſummi imperij argumentum eſt, non tam ad regem, quàm conventus regni terminatur. Ita enim Sigiſmundus Cracoviæ anno 1523. A ſententia judicis terreſtris & Caſtrenſis, licet unicuiq; vel ad colloquia generalia, vel in defectu illorum, ad conventionem regni appellare, Lib.4. ſtat. c. 27. l.2. *Quod enim* li.1. ſtat.c.2. a.4. l.1. lib.4. c.27.l.4.§.Nihilominus. *ſcribitur, à terminis dari provocationem ad regiam majeſtatem, illud* Crome. 12. rer.Polon. Priluſ. in com. ſtat. li. 4.d.c. *ſic explicant, quod detur ad comitia, quorum rex caput eſt, aut ad regem, quò demandet controverſias Senatui expediendas. Nam & Sigiſmundus anno 1550. Petric. ſimpliciter ſtatuit: Ex colloquiis appellatio ad comitia regni fieri debet, nulla facta mentione motionis ad regem.*

Quin etiam jus ærarij à rege in Theſaurarium amovit Alexander anno 1504. Petric. Lib.1.ſtat.c.1.a.4.l.3. *qui Theſaurarius habet etiam jus cudendæ monetæ, ex conceſſione Iagellonis, anno 1422.* Lib.2.c.6.a.2.l.1. Iodocus *tamen* Ludovvicus Decius in lib.de geſt.Sigiſm.l. *officiorum regiorum, Palatinatuum, Caſtellanearum, Capitaneatuum collationem regij juris eſſe ſcribit, de quo videant alij: nobis oſtenſum eſt, pleraq; jura ad ſenatum tranſiiſſe, relicta interim regi ſumma dignitate, quippe, quem ubiq; ſcribuntur nuncij terreſtres ſuppliciter adire, & rogare, & in quem ſolum committitur crimen læſæ majeſtatis,* ut ſtatuitur, Li.1.c.1.a.4.l.6 *repetiturq; à* Thoma Dreſnero in proceſſu iudic.regni Polon.tit.1.de iudic. *Si quid ex ijs hodie mutatum fuit, aut indies mutatur, vt ferè fieri ſolet, ijs dijudicandum relinquimus, quibus intimius arcana eius regni ſcrutandi occaſio datur.*

Vltimum

Ultimum mixtæ Reipub. exemplum ponit Contaren. lib. 1. & 2. de Rep. Venet. *in Veneta politia, quam ex ducis imperio, ſenatuum ſecretiorum autoritate, & magni conſilij poteſtate, ad modum mixtionis conflatam putat, & jam antea ſcripſit* Thomas lib. 4. de Regim. princ. c. 8. *in partibus Liguriæ, Æmiliæ & Flaminiæ, quæ hodie Lombardia vocatur, nullus principatum habet perpetuum, niſi per viam tyrannicam, duce Venet. excepto, qui temperatum habet regimen. Sed rectius* Patritius 3. de repub. tit. 2. Ianot. de repub. Venetor. Picol. gr. 10. c. 9. & Bodin. 2. polit. cap. 1. *judicant, hodiernam Reipub. Venetorum inſtitutionem penitus Ariſtocraticam eſſe. Nam quatuor ſummæ poteſtatis capita, creationem magiſtratuum, deliberationem de bello & pace, introductionem legum, & provocationem, demonſtrat* Ianottus *eſſe penes M. conſilium, conſilium de Pregadi & collegium: ad quæ nemo admittitur, niſi ex patritijs familiis ortum ſuum aſciſcere queat.* Senſavin. lib. 20. de guber. rerump. in prin. *Sive enim cum* Sabellico *omnes Venetos dividas in patritios & populares, ſive cum* Ianotto *in patritios, Cittadinos & populares, id conſtat apud omnes, ad ſummum conſilium neminem admitti, niſi patritium. Qua de cauſa tota Reſp. Ariſtocratica eſt.* Reſpublica Venetorum.

Nam quod Ianottus *ducem cum ſuis conſiliariis, ubique intervenire ſcribit, honorem quendam & prærogativam arguit, ſed poteſtatem ſuperiorem non deſignat. Erat & apud Romanos in ſenatu princeps, quomodo* Cic. pro Rabir. *Scaurum vocat ſenatus principem: Erat apud Hetruſcos olim Larthes, ſeu primus inter regulos,* Maneto in ſupplem. Beroſ. & M. Cato in fragm. de orig. *quo ſenſu* Liv. lib. 2. *Porſenam Larthem nominat. Tolamnium*

Leſent regem lib.4. *Talis quoq; apud Venetos dux eſt, quem tamen* Contarenus *negat literas aliorum principum reſignare, aut ſuas ad eos mittere poſſe, aut ulla in re plenam poteſtatem habere, præter publicum honorem in publicis convivijs & ceremonijs.*

Ab initio quidem fuit ſolutior ducis poteſtas, cum ſolus ferè rerum potiretur. Nam Patritium, *cum ſcribit 3.* de Repub. lib.2. *Rempub. Venetorum in eodem ſtatu annos 1000. ſtetiſſe, &* Manutium, *qui & longius tempus nominat, hiſtoriæ ſatis refutant. Scribit enim* Volat. lib. 4.Geogr. in hiſt. Venet. *primos principes Venetiis fuiſſe tribunos, quos annos ferè 232. rerum potitos idem teſtatur. Succeſſerunt tres duces, quorum primum ex communi opinione* Ianottus *vult creatum An. V. 282. Poſt eos creati ſunt magiſtri militum, annis 4. donec res rediret ad duces, qui liberè ferè imperarunt, uſq; ad Sebaſtianum Ciani, cujus ætate collegiorum & conſilij M. mentio uſurpari cepit. Antea enim eligebantur ab omnibus, aut ſucceſſores ſibi dabant duces. Nam Candianus à ducatu ejectus, ipſum repetiit, & invito populo poſſedit. Dominicus verò Flabanicus primus tulit legem, ne dux ipſe ſibi ſucceſſorem deſignaret: Simul potentem Vrſeolorum familiam ejecit urbe, ne hæreditarium ſibi ducatum vendicaret*, Sabellic. in hiſt. Veneto.

Hinc etiam factum eſt, ut ſi res malè geſta eſſet, ira populi verteretur, non in Rempub. ſed in ſolum ducem, in cuius manu ſtetiſſe putabatur, ut ne accidiſſet. Ita Otho Vrſeolus Conſtantinopolim relegatus eſt: Dominicus Silvius anno 1067. exilio multatus, quod in expugnatione Dyrrachij infeliciter pugnaſſet. Vitalis Michaël à populo occiſus, vel quod peſtem in urbem induxiſſet, ut Volater.

vel

vel quod tributis cives gravaſſet, ut Ianottus ſcribit, & *decem vel plures numerat* Sabell. *duces à populo interfectos. Atq; hoc quidem ab univerſis factum fuit: quod ſi tum conſilio M. ſua autoritas fuiſſet, hujus certè erat ducem abdicare ſicut remotus fuit Marinus Falerius & Franciſcus Foſcarus: Nec tum culpa duci, ſed optimatibus imputari debuiſſet, ſicut factum eſt, tempore Reneri Zeni ducis 45. electi anno 1252. & Laredani anno 1509 quando ſalvo duce furor in totam Remp. converſus eſt.*

Ducis igitur poteſtas imminui cepit ſub Sebaſtiano Ciani, qui creatus eſt anno 1175 & ſubinde creſcente autoritate conſiliorum, ita decrevit, ut nulla ferè amplius ſit. Plebs verò, ut ſupra dictum eſt, à conſilijs prorſus excluditur. Unde nihil aliud colligere poſſumus, quam Rempub. Venetorum prorſus eſſe Ariſtocraticam.

CAPUT IX.

De Monarchia, Regno & Tyrannide.

Monarchia Rerump. prima.

POſtquam de Rebuſp. in genere egimus, nunc conſiderabimus eaſdem in ſpecie, facto initio, cum Ariſt. 3. polit. c. 10. à Monarchia, quod ſimpliciſſima ſit & cæterarum mater, teſte Plato, 3. de ll. Quin & prima origine dicitur Ariſtot. 1. polit. c. 2. 3. polit. c. 10. 4. polit. c. 13. Plat. 3. de ll. & Iuſtino in pr. lib. 1. dum ait: Principio, rerum, gentium, nationumq́ omnium imperium penes reges erat, quā ſententiam Auguſt. 4. de civit. Dei. c. 6. & Vives in com. ibid. ſuo calculo approbat. Audacius idem affirmat Iſocra. in Panath. Priuſquam Democratiæ & Oligarchiæ nomen notum erat, barbaricæ gentes & omnes Græciæ civitates regibus parebant. Adde Sic. 3. de ll. Caſten. li. 3. de off. rep. part. 2. c. 1.

Hæc teſtimonia adduco, vt oſtendam, Bodinum 2. de Rep. c. 24. li. cap. 1. ſine cauſa ſeſe opponere toti antiquitati, dum negat Monarchiam primam fuiſſe Rempub. cum violenter ſit inſtituta à Nimrodo, quod licet concedam: tamen non demonſtrat Bodinus ante Nimrodi dominatum, homines ſub alia Repub. vixiſſe, cum potuerint pagatim, & ſparſim ſine Repub. tam diu habitare. Sed nec eſt violenta omnis Monarchia, imprimis quam Ariſt. 3. polit. c. 10. Heroicam vocat. Natura, inquit Seneca 1. de clem. c. 19. commenta eſt regem, quod ex alijs animalibus, & apibus præſertim licet cognoſcere. De Ægyptiis teſtatur Herod. lib. 2. quod nullo tempore potuerint ſine rege vivere, quare de cauſa ſe illi libenter ſubmiſerunt. Primus enim ex longiſſima

giſſima memoria eorum rex nominatur Menes, Diodor. lib. 1. Polidor. Virg. 2. de Invent. rer. c. 2. Ioſeph. 8. antiq. cap. 1. *Eadem fuit apud alias gentes ratio. Græcorum primi reges* in hiſtor. ſacr. apud Homer. & Lactant. *celebrantur, Saturnus, Iuppiter, Cecrops, Lacedæmon, &c. Trojanorum* Trojus apud Meſſalam Corvin. in lib. ad Aug. de ejus progen. *Apud Garamantas, Cambyſes,* Herodotus lib. 13. *Apud Indos Alexander M.* Arrian. in hiſt. Alex. *Apud extremos Americanos, Colonus regulos invenit,* Mart. Dec. 1. lib. 1. *exceptis Parienſibus, qui annuis magiſtratibus uſi fuerunt. Vsq; adeò verũ eſt, quod* Ariſtot. *Monarchiam fuiſſe cæterarum Rerumpub. primam docet.*

Monarchiæ tradit Ariſt. 3. polit. c. 10. *quinq; diverſitates, non vt habeantur pro ſpeciebus, ſed, vt oſtenſa in ſingulis varietate, demum illas ſibi explicandas ſumat, quæ potiſſimæ ſunt. Primus modus vocatur ſecundum leges, quando Monarcha per omnia ſubijcitur legibus, vt Reges Lacedæm. quos teſtatur* Xenoph. in lib. de repub. Laced. *ſingulis menſibus jurare ſolitos, ſe ſecundum ll. imperaturos. Unde Demaratus* apud Herod. *cum aufugiſſet, rogatus cauſam ſui abitus, reſpondit: Quia apud Lacedæ. plus valent leges, quàm reges,* Lauterb. lib. 2. polit. cap. 9. *Sed hos* c. 12. *negat* Ariſt. *veros reges eſſe, quia poteſtatem regiam nullam habent.* Differentia Monarchiæ

Secundum modum tribuit Ariſt. *barbaris, de quo poſt. Tertius ordo Monarcharum eſt extraordinarius, quando creatur magiſtratus cum ſumma poteſtate extra ordinem. Æſymnetas Græci vocant, &* Ariſtot. *exemplum affert de Pittaco, cui Mytilenei ſummam rerum crediderant, ad compeſcendas turbas exulum.* Laert. in Pittac. & Vict.

in com. 3. polit. c. 10. in voce Aἰſymne. *Interpretatur Æſymnetarum vocē* Camerar. *3.* polit. cap. 10 *per Conſules, Iudices, Præfectos. Sed malè cum* Ariſtot. *Æſymnetis tribuat plenam poteſtatem, ſed extra ordinem, aut ad tempus.*

Vivum eorum exemplum licet intueri in Dictatoribus Romanorum, qui ſine provocatione cum ſummo imperio creabantur. Varro 4. de ling. Lati. Cicero 3. de ll. & Seneca alic. *Dictatorem vocant magiſtrum populi, propterea, quod ipſi fuerit indulta ſumma in accenſos poteſtas.* Suidas *eum putat Græca voce exprimi poſſe, quod ſit* εἰσηγητὴς τ̃ λυσιτελῶν *additq́, quod apud Romanos propter duplicatam poteſtatem* δισύπατος *dictus fuerit. Ap. Claudius, cum vulgi furores compeſcere aliter non poſſet: Agedum, inquit, dictatorem, à quo provocatio non eſt, creemus. Iam hic, quo nunc omnia ardent, conticeſcet furor. Pulſet tum mihi lictorem, qui ſciet jus de tergo, vitaq́ ſua penes unū illū eſſe, cujus majeſtatē violavit,* Liv. li. 2 *Ita M. Fulvius & mox T. Manlius creati fuerunt contra ſeditiones plebis,* Liv. li. 6. *Et cum Tribuni pl. paterentur ad ſe provocari à Fabio, Papyrius dictator acriter objurgavit tribunos, ne jus dictaturæ, quod ſine provocatione eſſet, ſua interceſſione extinguerent.* Liv li. 6. *Tenuerunt igitur dictatores ſummam poteſtatem, ſed ad tempus tantum, per quod à veris Monarchis diſtinguuntur.* Polyb. lib. 3. Suid. in voc. Dictat. Godoleu. ad lib. 2. Liv. Tiraq. q. 4. de jur. prim. Turneb. 3. de ll. Perion. Blond. Feneſtell. Lætus de Rom. Magiſt. & Antiq. *Nam Syllam ex dictatura Tyrannidem feciſſe* Cic. *judicat* in 1. Philip. *idemq́ eſt judicium* Plutarch. in Cæſ. *de dictatura Cæſaris, quod ultra terminum prorogarentur.*

Quartum

Quartum genus vocat Ariſtot. *Heroicum. Heroës autem derivat* Plato in Cratyl. *ab amore, quod eos populi præ ſingulari amore ſibi præfecerint propter divinas & eminentiſſimas virtutes, unde &* Iamblych. de myſt. AEgyptior. *paſſim poſt Deos Dæmonas, poſt hos collocat Heroas, quod &* Apuleius de philoſoph. Platon. *ſic explicat. Cæterum ſicut virtus Heroica* 7. Ethi. c. 1. *non aliter à moralibus diſtinguitur, niſi propter divinam quandam inclinationem: (Errat enim* Thomas *1.* p. 2. q. 54. a. 3. *dum ſpecie diſtinguit heroicam virtutem à morali) ita nec heroici reges diverſam Monarchiam à cæteris conſtituunt, ſed naturalem vel divinum quendam ad regnandum inſtinctum cæteris regibus ſuperaddunt.*

Vltimum denique genus, verum regem conſtituit, de quo priuſquam, ſicut & de ſecundo agamus, illud præmittendum eſt, quod ad omnes Monarchias pertinet: Non poſſe videlicet Monarchiam inter duos dividi, quia(verba ſunt Lucan. lib. 1. *) Nulla fides regni socijs, omniſq; poteſtas Impatiens conſortis erit: nec gentibus ullis credite, nec longè fatorum exempla petantur, Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.* Senecæ *dictum eſt* in Agamemn. *Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt, quod* Ovidius. 2. de arte aman. *ſic expreſſit: Non benè cum ſociis regna, Venuſq; manent. Si enim Pompeius & Cæſar, quos & poteſtas populi & autoritas patrum poterat cohibere, ſi Narſes & Belliſarius, ſine æmulatione nequiverunt vivere, quantumvis Imperatori ſubjecti, quid ſperemus de ijs, quibus tantum licet, quantum libet? Parciſſima fuit poteſtas regum Lacedæm. tamen de ijs ſcribit* Pauſan. in Laco. *quod in unica ſaltem re ſemel concorditer ſenſerint. Vnde, cum Agis proficiſceretur in Argivos, Pliſtoa-*

Monarchiam eſſe expertem ſocietatis.

Pliſtoanactes coactus fuit domi manere, ſicut & Demaratus, cum Cleomenes iret in Æginetas, Herod. li. 6. Thucid. lib. 5.

Romanus Fabius id quoq; advertit, qui cum Minutio noluit eadem caſtra figere, quod duobus Imperatoribus rarò conveniret. Liv. lib. 22. Plutarch. in Fab. *Qua de cauſa* Polyb *putat inter Romanos Coſſ. alternum fuiſſe imperiū, ne diſſenſio eorum periculum afferret Reipub. Nam Caſtor & Pollux, quanquam ovo prognati eodem, diverſis tamen ducti fuerunt ſtudiis,* ſi Horatio credimus. *Laudet* Mamertinus in Panegyr. *concordiam Diocletiani & Maximiani, nobis ſanè conſtat* ex Zoſim. Aurelio Vict. & Pomp. *non admodum unanimiter ab iis imperatum fuiſſe. Si tamen ulla neceſſitas cogit imperantes multiplicari, plures ſatius eſt præfici, quàm duos. Triumviratus enim Pompeii, Craſſi & Cæſaris,* Plutarch. in Craſs. *Item Lepidi Antonii & Auguſti,* Dion. in Auguſt. *tam diu ſtabilis fuit, quàm diu duorum ſimultates tertii autoritas repreſſit.*

Non aliter igitur conſtat ratio Monarchiæ, quàm ſi unus præſideat. De Regno. *Vt verò Monarchias rectè ordinemus, ab ea inchoandum eſt, quæ cæterarum norma eſt, utpote à regno. Regnum eſt Monarchia, in qua ſalus ſubditorum maximè procuratur, quod fit, quando Monarcha ſubditis, ſua cuiq; relinquens bona propria, ſecundum DEI, naturæ, ſuasq; ex juſto & æquo conditas ll. imperat. Et hic Monarcha rex eſt, quem à cæteris per virtutes diſtinguimus,* ſicut Caſtellanus ait lib. 1. de offic. reg. c. 1. *Id enim conſtat inter Philoſophos omnes, non eſſe regem, qui improbis infectus moribus dominatur. Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex,* ait Auſon. in Monoſyl.

Rectè

Rectè autem facit Rex, ſi ſecundum Polyb. lib. 5. *ſemper benefaciendo, cum clementia & beneficentia ſubjectos gubernet. Non requiruntur præcisè omnes ad regem conſtituendum virtutes, ita vt ſi earum quibuſdam deſtituatur, Tyrannus, aut minus rex ſaltem dici debeat. Negat*, Nicolaus Papa 2. q. 1. c. Scelus, *Lotharium verum regem eſſe, propter adulterium cũ Gualdrada commiſſum: &* Dion. Iſocrat. in Nicocl. Pontan. Priluſ lib. 1. ſtat. Pol. c. 1. a. 1. Patrit. de regn. Lipſi. in polit. Plinius in Panæg. Syneſ. in orat. ad Arcad. Machiav. de princ. & huic oppoſitus Antimachiav. Tholoſan. lib. 8. 9. 10. 12. de Repub. Caſtellan. de offic. reg. Thomas Morus, Matthias Agritius, Sambu. de Il. Imp. Ioh. Marian. 2. li. Inſt. reg. Simanca. *& infiniti alij, plurimas coacervant virtutes, quibus volunt regem ſtudere. Sed hæ maximam partem privatæ ſunt, & omnibus hominibus competunt, quibus rex non quatenus rex, ſed quatenus homo σπουδαῖος operam dare debet.* Virtutes regis.

Pulcrè hoc docuit Auguſtin. in Epiſt. ad Bonifa. comit. *Aliter, inquit, ſervit, quia homo, aliter, quia rex eſt. Quia homo eſt, ſervit vivendo fideliter. Quia rex eſt, ſervit, leges juſta præcipientes & contraria prohibentes, convenienti rigore, ſanciendo.* 23. q. 4. c. Si Eccleſ. in fi. *Rectè inſtituit* Dion. Pruſenſis in pr. præcept. regior. *reges: Deos, inquit, colant, & venerentur: deinde homines curent & ament, ſi & ipſi redamari cupiunt: Et* Ariſt. 5. polit. cap. 11. *addit rationem, quare principes pietati maximè ſtudere debeant, quia obedientiores habebunt ſubditos, quippe, qui putant Deos vindicaturos, ſi quid in pium principem peccaverint.*

Sicut Cromer. lib. 2. polit. *ſcribit, ſubditos abſtinuiſſe*

iſſe à rebellione, quod Pyaſti pietatem timerent, rati Deum ejus curam habiturum, ſuaq; in pium regem peccata punituros. Sed pietas amplectenda Principi eſt, quatenus Chriſtianus eſt, & non ad officium Politici, ſed Theologi pertinet, quam Politicus ſemper præſupponit, ipſe verò occupatus eſt in iis virtutibus, quæ regi inſunt, vt regi. Alioquin Cyrus, Darius, Alexander M. Auguſtus, Trajanus, qui Chriſtianos perſecutus eſt, & cæteri, vera pietate deſtituti, reges non eſſent: nec Conſtantinus M. Carolus M. Caſimirus M. qui partim homicidiis, partim ſcortationibus ſe conſpurcarunt.

Proprium autem officium regis ab ejus perſona deſumi debet, quæ publica eſt, & conſiſtit in gubernatione ſubditorum. Vnde pulcrè Iacobus VI. rex Britan. filio ſuo in pr. lib. 2. & in fin. lib. 3. Inſtit. reg. commendat verſus Virgilii ex 6. AEneid. in quibus officium regis ſeparatur ab aliis ſtudiis. Tu, inquit Anchiſ. regere imperio populos, Romane, memento, (Hæ tibi erunt artes) paciq; imponere morem. Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos. Imitatus eſt Seneca in Octav. ſed adjectis pluribus: Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera Cæde abſtinere, tempus atq; iræ dare, Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo. Hæc ſumma virtus, petitur hac cælum via. Sic ille patriæ primus Auguſtus parens, Complexus aſtra eſt, colitur & templis Deus.

Prima virtus Regis.

Porrò benè gubernat ſubditos rex, ſi regulam Trajani ſequatur: Talem me præſtabo Imperatorem privatis, qualem optarem ipſe privatus, cujus & Mecænas Auguſtum admonuit, vt nihil tentaret contra ſubditos, niſi quod ſibi ab iis præſtari vellet. Dion in Aug. Vellet autem unuſquisq; ſui rationem haberi, ſuaq; commoda in Repub. procurari.

curari. Ideoq; regis eſt omnia acta ſua ad omnium ſalutem referre. Summus cunctarum finis, ſupremaq; legum Regula, Rex, populi paxq; ſalusq; tui, ait Girard. Epigr. legal. 76. Scipionis *ſententiam* ex 5. lib. *refert* Cicero ad Attic. *Vt gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria, ſic moderatori Reipub. beata civium vita propoſita eſt. Idem dicit* Socrat. apud Xenoph. 3. de dict. & fact. Socrat. *Rex non creatur, vt ſe ipſum curet, ſed vt populi feliciter degant. Quid ni enim publica curet rex, cum rationem ſubjungat*, Plinius lec. in Panæg. *Principis enim eſt, quicquid eſt omnium: tantum ipſe, quantum omnes, habet. Vnde Alex. M. rogatus, ubi theſauros ſuos haberet, apud ſubditos reſpondit, quem Iulianus ob id valdè ſolitus fuit laudare*, ſi Ammian. Marcell. credimus.

An verò hoc ſuum officium rex cum clementia potius quàm ſeveritate exercere debeat, inter Machiavellum & cæteros diſputatur Cleon cenſuit: Tria eſſe ἀξυμφορώτατα τῇ ἀρχῇ, οἶκτον, καὶ ἡδονὴν λόγων, καὶ ἐπιείκειαν, Thucyd. lib. 3. *cujus ſententiam arripuit* Machiavel. lib. 1. diſc. c. 9. & in lib. de princip. c. 17. *ubi jubet imitari Cæſarem Borgiam, additq;: Metui tutius eſſe, quàm amari, quod* Antimachiav. *refutare voluit* Theor. 8. 9. & 13. lib. 3. Godeleu. ad lib. 8. Liv. *Solent quidem &* Plato & Ariſt. *regem metiri ex amore ſubditorum, ſicut è contrario Tyrannum, ex odio. Si enim omnia commoda à rege accipiant ſubditi, non poſſunt non eum amare. Trajanum ſcribit* Plin. in Panæg. *tãto amore proſecutos fuiſſe ſubditos, vt alij ſe ſatis vixiſſe ipſo viſo, alij ipſo viſo magis vivendum eſſe prædicarẽt &c. Et Nerva id ſibi putavit palmarium, quod nihil fecerit, quò minus poſſit tutò vivere, etſi privatus vivat & imperium deponat.* Dion in Nerv.

De clementia & ſeveritate Principis.

Et quidem eò magis ſubditorum favori ſtuaendum eſt principi, quod in eo ſciat fundari firmamentum Reip. Errat enim ex ſententia Terentii in Adelph. *qui imperium, vi quod fit, ſtabilius putat, quàm quod lenitate & clementia. Firmiſſimum longè imperium eſt, quo obedientes gaudent,* Livius lib. 8. *nec ulla poteſtas tuta, niſi benevolentia munita.* AEmil. Pro. in vita Dion. Cice. in Læl. *addit rationem: Quis enim eum diliget, quem metuat, aut eum, à quo ſe metui putet. Vnde* Xenoph. *1.* de dict. & fact. Socrat. *vetat unquam vim adhibere, cum perſuadere poſſis cum lenitate. Qui enim, inquit, coguntur, tanquam expoliati oderunt. Quibus autem perſuaſum eſt, tanquam gratum quid acceperint, amant, &c.*

Aſſequi autem videtur rex favorem ſubditorum, non per ſeveritatem, ſed per clementiam. Clementia enim, ſecundum Senec. 1. de Clem. *non tantum honeſtiores, ſed & tutiores præſtat, ornamentumq; imperiorum eſt ſimul, & certiſſima ſalus. Propterea Leonem I. putant imitandum eſſe, qui dicere ſolitus fuit: Vt ſol, quibus affulſit, ijs calorem impertiri ſolet: ita & ab Imperatore clementiam tribuendam ijs, quos aſpexiſſet.* Zona. in Leo. *Deſumſit ſententiam à T. Veſpaſiano, qui non tantum curavit ſe creari Pontificem Max. ne cogeretur cuiuſquam ſanguine manus cruentare, ſed & ſemper in ore habuit; Non oportere quenquam à facie principis triſtem diſcedere.* Sueton. in Veſpa. *Tantam clementiam in Antonino Pio,* Capitolinus in eius vit. *Antonino Philoſopho,* Dion in M. Anton. Vulcatius in Caſs. *Diocletiano,* Capitoli. in Anton. Pio. *Iuliano,* Marcellinus lib. *16. alij in alijs quoq; commendant, qui per illam tantum amorem ſubditorum captarunt.*

Sed

Sed quando regem à ſubditis amari volumus, juſtum intelligimus bonorum ſubditorum amorem. *Alias enim optimus princeps malis neceſſariò odio eſt, & iis, quos antea libertate ſua abuſos, recens ſibi ſubjecit.* *Quos enim viceris*, ait Curtius lib.7. *cave tibi amicos eſſe credas. Pari ratione à bono principe ſcelerati ſibi metuunt, dum ſciunt ſcelera ſua inulta non futura. Erga hos igitur ſeveritate: erga illos clementia principi utendum eſt, ſicut* Tacitus 11. Annal. *docet: Amorem apud populares, metum apud hoſtes, quærat.* *Quantum enim odii apud improbos contrahit, tantum favoris ſibi conciliat apud bonos, qui non tantum virtutem honorari, ſed & ſcelera puniri & extirpari volunt. Hinc Minos juſti nomen adeptus eſt, quod mare à piratis liberaſſet.* Thucyd. lib. 1. Limitatio.

Omninò enim duplex hominum genus facit Ariſtot. *1.* Eth. *Vulgus, ait, non ita natum eſt, ut pudori obſequatur, ſed ut metui, nec ut abſtineat à pravis ob turpitudinem, ſed ob ſupplicia & pœnam. Cum verò maximam partem tales ſint ſubditi, crebrò ſuppliciis & ſeveritate utendum eſt principi.* *Qua de cauſa Aurelianus judicatus fuit neceſſarius princeps, licet ſeverus, quod vitia Reipub. mitiorem principem non admiſiſſent:* Flavi. Vopiſ. in Aurel. *& Severum cenſuit ſenatus, aut non naſci, aut non mori debuiſſe propter ſeveritatem.* AEli. Spart. in Seu. *Iacobus VI. rex Britan. exemplo ſuo filium docuit,* lib. 2. *ne clementiæ laudem nimium affectaret. Hic, inquit, Phryx tibi ſum, qui & nimis ſerò & nimis magno pretio ſapere videar. Nam cum lenioribus principiis omnia prætexere in animo haberem, ut facilitate & clementia omnium animos ad obedientiam pellicerem, contrarium mihi prorſus uſu venit, & nullum aliud, quàm populum ingratum, imperium*

diſſolutum, lenitatis meæ præmium reportavi. Erga tales enim homines, qui virtute regi neſciunt, valet regula Theodoſii: Salutaris rigor vincit inanem ſpeciem clementiæ. Marcell. lib. 29. ex Cic. ad Brut. Ep. 2.

Qui enim iraſci nolunt & clementiæ laudem in omnibus affectant, Ariſtot. 4. Eth. *ad imperandum inidoneos putat, ſicut Diogenes, cum ipſi in os puer inſpueret, non:, ait, iraſcor, ſed dubito, an iraſci debeam: & Cato, cui cauſam agenti, cum Lentulus pinguẽ ſalivam in os projiceret: nihil amplius, quàm affirmabo, inquit, Lentule, falli eos, qui te negant os habere,* Seneca 3. de Ira c. 38. *Iraſcendum enim & ſeveritate utendũ, non tantum, quia Reip. intereſt, ne crimina maneant impunita, ſed ne, dum fertur vetus injuria, invitetur nova. Niſi enim Caſimirus I. Miezislao fratri peccata, contra ſenatus decrctum, condonaſſet, tot periculis ſe nõ implicuiſſet.* M chov. lib. 3. c. 24. Crom. lib. 6. *Hinc Otto M. cũ ſæpius rebellarent Romani, tandem Conſules relegavit, tribunos ſuſpendio necavit, Petrũ præfectũ ignominiosè in aſino per urbẽ duxit.* Sigon. 9. de hiſt. Ital.

Patet igitur clementiam ſeveritate temperandam eſſe, Pœnam, inquit Seneca 1. de Clem. *ſi tutò poteris, donabis, ſin minus, temperabis. Atq; hoc eſt, quod* Capitol. de Maximo *ſcribit: Rogatus ſemper ignovit, nec iratus eſt, niſi ubi eum iraſci decuit. Sed hæc prima regis virtus ex communi conditione omnium benè conſtitutarũ Rerump. deducitur.*

Secunda regis virtus.

Altera verò requirit, ut cæteros mortales nitatur virtutibus ſuperare. Honeſtas à quovis quidem homine exigit ſtudium virtutis: ſed in rege, ut antecellat virtutibus, aut quam minimè vitijs ſe inquinet, peculiares rationes requirunt.

Perſona enim regis talis eſt, ut minima quoq; vitia

pro ſummis oſtendat. Sicut in facie lens & verruca moleſtiores ſunt, quàm reliquæ corporis maculæ: ſic exigua peccata, ubi Principis cernuntur in vitâ, pro magnis habentur, Plutarch. in lib. de ger. Rep. *Nam omne animi vitium, tantò conſpectius in ſe Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur,* ut ait Iuvenal. *Vinum Cimonis Athenienſes, Romani ſomnum Scipionis culparunt, & Pompeio M. inimici vitio verterunt, quod caput uno digito ſcaberet. Lucullus malè audiebat, quod cœnaret ſumtuoſius* Plutar. in lib. philoſopho eſſe vers. cum princ. & in lib. ad princ. indoct. *Hinc Tiberius rectè dicit* apud Tacit. 4. Annal. *Cæteris mortalibus in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent, principum diverſa ſors eſt, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Nam omnia facta, dictaq; principis rumor excipit: nec magis ei, quàm ſoli, latere contingit.* Seneca 1. de Clem. *Et* Plutar. in li. de ger. rep. *Non tantum iis, de publicè dictis & factis ratio reddenda eſt, ſed & in vitam eorum inquiritur, & cubile, & matrimonium, & quicquid ſerij jocivè agunt, &c.*

Deinde ad ſummum virtutis enitendum eſt Principi propter exemplum, jubente Arrian. Epict. lib. 3. c. 4. *quia* Plato 4. de ll. *ait: Nemo nobis in animum inducat, neque citius, neq; facilius, quàm principum exemplo præeuntes, leges in civitate commutatum iri. Componitur enim orbis Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus Humanos edicta valent, quàm vita regentum* Claud. de 4. Conſul. Honor. *Hæc* inquit Quintil. 4. declam. *conditio Principum, ut quicquid faciant, præcipere videantur. Hinc* Seneca in Thyeſt. *Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. Rationẽ aſſignat* Plin. in Panæg. *Flexibiles, quamcunq; in partem ducimur à Principibus, atq; ut ita dicam, ſequaces ſumus. His cari, his probati eſſe cupimus.*

Ita cum Dionyſius Platonem audiret, tota aula repleta fuit Mathematicis, cum Auguſtus Poëtas, M. Antoninus venatores coleret, id genus homines in gratiam Principis plurimi prodierunt: cum Ioſina rex Scotorum Medicos in honore haberet, quò quis illuſtrior haberi voluit, eò impenſius dedit operam Medicinæ: Buchan. lib. 4. *cum Caſimirus I. cœnobia ubiq; excitaret, ejus pietatem nobiliſſimorũ quiq; imitati ſunt,* Crome. lib. 6.

Oſtendit hoc Herodianus in vita Marci. *Solus, ait, Imperatorum, non verbis aut decretorum ſcientia, ſed gravitate morum, vitæq; continentia ſtudium ſapientiæ uſurpavit. Quod factum eſt, ut magnum ſapientum virorum proventum ætas illa extulerit. Solent enim plerunq; homines vitam principis imitari. Hinc etiam* Nicolaus Papa *ad Lotharium Imp. ſcribit* c. præcipuè 11. q. 3. *deterius peccare prælatos, & magis puniendos eſſe, quàm privatos,* ſecundum Gregorium, *quia* dicente Cicerone in 3. de ll. *Vitia non ſolum ipſi principes concipiunt, ſed etiam in civitatem effundunt, pluſq; exemplo, quàm peccato nocent. Rectè igitur* Cicero in 3. de ll. *cum poſuiſſet legem: Magiſtratuum ordo vitio careto, addit rationem hanc: Cæteris ſpecimen eſto.*

Tertiam rationem aperit Iſocrat in orat. ad Nicocl. *ne videlicet deteriores habeant imperium in præſtantiores, ſtolidiores in prudentiores. Nam* Halycarnaſ. ait in præfat. orig. Roma. *Naturæ lex eſt, omnibus inſita, quam nullum tempus diſſolvit, deteriorib. ſemper imperare meliores. Vnde contemnere ſolemus regem, quem nobis indigniorem exiſtimamus, ſicut Dorieus Anaxandridæ regis Spart. filius, maluit exul vivere, quàm Cleomeni fratri hebetiori obedire,* Herod. lib. 5. *Iaſnutam verò Gedemini*

filij

filii à ducatu Lituaniæ removerunt, quod hebetior eſſet, & cæteris inferior, Cromer. lib. 14. rer. Polon.

In omnibus igitur rebus principi minus licet peccare, quàm cæteris, ſicut Iulius Cæſar, cæterorum quidem facto, ſuam verò familiam etiam ſuſpicione carere debere dicebat. Plutarch. in Cæſar. *& Scipio, cum capta Carthagine milites ipſi adducerent pulcram puellam: Libenter, ait, acciperem, ſi eſſem privatus, non Imperator. Intellexit enim minus licere Imperatori, quàm privato, quia &* Tacitus 4. Annal. *Malum vocavit, qui ex magna fortuna licentiam uſurpet tantum. Pericles, cum videret Sophoclem prætorem eleganti puero delectari: Prætorem, inquit, decet non tantum manus, ſed & oculos abſtinentes habere.* Plutarch. in Pericl. *Themiſtocles, cum inter cadavera obambularet, viſis armillis aureis, juſſit eas à famulo tolli. Nam ego, inquit, ut faciam, minimè convenit.* Plutarch. in Themiſt.

Deniq; ad ſtabiliendum regnum conducit Autoritas, qua injicitur ſubditis opinio magnificè de rege ſentiendi. Tertia virtus. *Quia enim majeſtas imperii, ſalutis eſt tutela,* dicente Curtio lib. 10. *rectè admonuit Alexandrum Sev. mater, ne nimia familiaritate autoritatem ſuam perdat & imperium diſſolvat:* Lamprid. in Alex. & Tacitus in Agric. *ait: Nec tibi, quod eſt rariſſimum, aut facilitas autoritatem, aut ſeveritas amorem diminuat. Reges Perſarum olim conſpectui hominum ſe ſubtrahebant.* Herod. lib. 3. Iuſt. lib. 1. Athenæ. lib. 4. Dipnoſ. *quod putarent,* dicente Liv. lib. 24. *homines minus, quod quotidianum eſt, revereri, quàm quod rarum, aut,* Tacito 1. Annal. *majeſtati majorem ex longinquo reverentiam eſſe, qua de cauſa hodie rex Abyſſinorum, vix ter quotannis faciem ſubditis*

aperit, ut Alvarel. & Damian. a Goes ſcribunt. *Continuus enim aſpectus minus verendos magnos homines ipſa ſacietate facit*, Liu. lib. 35. *Eadem de cauſa Sultanos Ægyptiorum narrat* Martyr. lib. 3 legat Babylo. *ſolitos uti graviſſimo capitis tegmine, ne facili nutatione gravitatem perderent: &* Xenoph. 8. lib. Cyrop. *laudat Cyrum, quod & in veſtitu magnificentiæ ſtuduerit & in ornatu corporis. Omnia hæc, inquit, putabat aliquid conſerre, ut minus foret ſubditis contemtui.*

Prolixum eſſet cætera coacervare, quibus regem inſtituere ſolent Politici: Nos ad modos pergimus, per quos conducibilius ſit regem aſcendere ad imperium. Plato 3. de ll. *ſortem præfert, quod illam Deus maximè videatur moderari. Ita Darius* Herod. lib. 5. *Leſcus II. apud Polon.* Michov. lib. 1. c. 8. *& Pyaſtus:* Decius in comp. hiſtor. Pol. *Gordius apud Phryges*, Iuſtin. lib. 11. *& Præmislus rex Bohem.* Albert. Crantz. lib. 1. Vandal c. 17. *ad regna devenerunt, ſed, quia & inter ſortes ſæpiculè regnat temeritas, nec Deus à cæteris modis abeſt, Platonis ratio non valet, rectiusq; ſana conſilia præferuntur, quibus Deus moderator adeſt perinde, ut ſortibus*, Iſoc. in Areop.

An ſatius ſit, eligi regem, quã ſuccedere.

Propterea Ariſtot. 3. polit. cap. 11. Baſil. M. 8. lib. Hexamer. Hieron. in c. Moſes 8. q. 1. ubi idem notat gl. Machiavell. lib. 1. Diſc. c. 10. *& alij anteferunt electionem. Alij ſucceſſionem potiorem faciunt, ut* Buridan. in 3. polit. q. 25. Auguſtin. de Anchon. in tract. de pot. Eccleſ. q. 35. a. 7. AEgyd. Roma. lib. 3. de regim. princ. cap. 5. Ciriecus lib. 2. de primogen. q. 14. Bodin. lib. 6. polit. cap. 5. Caſ. 3. polit. cap. 11. q. 2. Covar. c. 1. qq. pract. Tholoſan. lib. 7. de Rep. cap. 4. & 12. Cardinal. à tur-

à tur.cremat.c.Mol.8.q.1. Iohan.de ter.rub. in 1.tract. contra rebell.a.1.conc.4. Ioh.Marian. li.1.de reg.c.3. *Utri parti credendum ſit, quanquam res ardua eſt, & controverſiis plena, brevibus oſtendemus, ſi unicum modò præceptum Politicum præmiſerimus: Boni civis eſſe, præſentem ſtatum, quantumvis improbulum, boni conſulere, quoniam ſine majori malo mutari nequit.* Gruter.diſc.3.ad Tacit.

Ita dicebat Alcibiades apud Thucyd. lib. 6. τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τούτους οἰκεῖν, οἳ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι, καὶ νόμοι, ἢν καὶ χείρω ᾖ, ἥκιστα διαφέρω πολιτεύουσι. *Et Aug. ad ſenatum: Poſitas ſemel ll. conſtanter ſervate, nec ullam earum immutate. Nam quæ in ſuo ſtatu, eademq; manent, etſi deteriora ſint, tamen utiliora ſunt Reip. hiis, quæ per innovationem vel meliora inducantur.* Dion.lib.52. *Unde* Cicero in 1.Philip. *quædam Antonij ſtatuta retinet, licet mala, quod à Platone didicerat: præſentia eſſe ferẽda,* 2.de divin. *ſi ſine ſcandalo mutari nequeant. Ubi igitur ſucceſſionem confirmavit conſuetudo & diuturnus uſus ibi omninò obſervari debet, ſed* Ariſt. *loquitur de Monarchia abſolutè, quam nulli adhuc mores præoccuparunt, & quidem nõ de principibus, alterius poteſtati ſubjectis, ſed de ſumma poteſtate. Quia enim illi à ſuperioribus reguntur, non neceſſe eſt, examuſſim optimi ſint & perfectiſſimi.*

In regno enim electionem potiſſimum probamus: quod cum Rex à nemine cohiberi poſſit, aut ad rectè faciendum cogi, ex ſe virtutibus præditus eſſe debeat, alioquin Rempub. peſſumdaturus. Per electionem enim, ritè inſtitutam, ſemper poſſumus idoneum & optimum accipere regem: ſucceſſio ſæpiſſimè offert malum & ineptum. Utrumq; Pro electione.

patet, & prius, videlicet quod electio præſtet bonum regem, probatur à Crom. lib. 25. rer. Polon. *Nam Electores, quos præſupponimus prudentes & honeſtos viros eſſe, futuri regis vitam, mores & res geſtas probè percognoſcere poſſunt, vt non niſi digniſſimum eligant, inq́ eo minus periculi aut ſuſpitionis eſt, quando jurejurando promittere coguntur, ſe electuros tantum, quem judicent digniſſimum, prout fit in Electione Pontificis*, Sleidan. lib. 21. *& Imp. Germanici*, ex conſt. aur. bul. Carol. IV. *Quod ſi fortaſſe quinquennio Neronis decepti Electores, deteriorem elegerint, poteſtatem habent, eundem abdicandi, ſicut Wenceslaum & Adolphum dejecerunt ab imperio German.* Cuſpinian. in Cæſar. *& Miezislaum III. à regno Polon.* Cromer. lib. 6.

Hinc Alexander M. in agone rogatus, quem ſibi ſucceſſorẽ vellet, non de fratre Arideo, nec de Roxane prægnante, nec de Hercule filio reſpondit, ſed digniſſimum ſibi ſuccedere juſſit, Iuſtin. lib. 15. *& Lyſander Lacedæmonijs perſuadere voluit, ne proximum, ſed optimum pro rege acciperent.* Plutarch. in Lyſan. *Pari ratione, Antoninus Philoſ. Commodum filium ſuum voluit exuere regno, quod indignum eo ſe præberet, & meliorem ſubſtituere.* Dion in Marco. *Habet enim electio id commodi, vt ſucceſſionis vitia emendare, & ſi improbus ſperetur ex ſtirpe rex, eum prævertere poſſit. Ita enim Caſimiro I. proceres Poloniæ denegarunt regnum*, Crom. lib. 4. Michou. lib. 2. cap. 14. *& Mieſconi Boleslai impij filio*, Crom. lib. 5. *Item Leſco Boleslai Criſpi filio*, Crom. lib. 6. *quod in ijs pravam indolem, & paternorum vitiorum imitatricem timerent. Conradus I. Imperator, cum ex proximis agnatis non inveniret aliquem, ad molem imperij ſufficientem, Henricum*

Aucupem

Aucupem hoſtem ſuum ſucceſſorem relinquere maluit, tantum, vt imperio dignus praeeſſet Imp. Peucer. lib. 4. Chron.

Alterum, quod ex ſucceſſione non habeamus bonum regem, multis probari poteſt. Nam Cicero 3. de ll. & Seneca 2. de Ira ex Ariſtot. 3. polit. *dicit: Qui benè imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt: & Trajanus regulam ſui imperij vocabat: Talem me praeſtabo Imp. aliis, qualem optarem ipſe privatus. Turcae inter 8. vitae praecepta & hoc numerant: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* Menavin. in relat. hiſt. Turc. *quod Mecoenas* apud Dion in Auguſt. *pulcrè tranſtulit ad principem. Si omnia, inquit, quae alium quemvis imperantem in te facere velles, ea ipſe tua ſponte feceris, nec peccabis quicquam, & omnia ritè diriges, & vitam ex eo jucundiſſimam ſimul, & tutiſſimam vives. Vnde Galba* apud Tacit. 1. hiſtor. *utiliſſimũ & breviſſimum rerum bonarum malarumq́ dilectum vocavit, cogitare, quid ſub alio principe vel nolueris vel volueris. Sed qui in purpura natus, in delitiis educatus aetatem fuit, nec alterius imperium expertus, unde ſciet, quomodo erga principes affecti ſint ſubditi, aut quid ſibi ab ijs fieri velint.*

Sed quia haec interpretari poſſumus ſaltem de Magiſtratibus in libera Repub. experientiam intueamur, & videamus, quàm verè dictum ſit: Heroum filij noxae. Poſſem ex omnibus regnis longam ſeriem degenerum filiorum afferre, & catalogum AEliani de var. hiſtor. *complere: ſed, quid opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt. Nec enim ulla familia eſt, ex qua non* καθάρματα *(Sic vocabat Auguſtus filias ſuas,* Dion. in Auguſt. *) prodierint.* Caſus *alio argumento vult hoc argumentum tollere, dum putat,*

reges plus operæ collocaturos in inſtituendis filijs, ſi ſciant eos ſibi hæredes relictum iri, ita, vt, quod naturæ deſit, inſtitutione recompenſetur. Verùm, ſi ingenium ad vitium propendeat, Naturam expellas furca, tamen uſq; recurret. Horat. in Epiſt. *Quid profuit Neroni, habuiſſe Senecam præceptorem? Non,* inquit Auſon. in Grat. act. ad Gratia. *indolem ejus erudijt Seneca, ſed armavit ſævitiam. Poſtquam enim animus in libertatem ſe vindicavit, fertur equis auriga, nec audit currus habenas.* Virgilius 1. Georg.

Præterea in aulis principum & regum ita comparatum eſt, vt rarò patres animum ad rectam inſtitutionem liberorum convertant: quod Bodin. 4. de Rep. c. 1. *nocens volens confitetur, nec verò convertere poſſunt, in tot curarum myriades diſtracti. Oſtendit* Plato in 3. de ll. *exemplo Cyri & Darij, optimorum regum, quomodo, dum in bellis abſunt, aliisvè intricantur negotijs nequiverint educandis filijs operam impendere, qui interim aliorum fidei, incertum an ſatis fidæ concreduntur. Arduum enim & periculoſæ plenum opus aleæ ſubire eum, qui principẽ inſtituendũ ſumit,* Caſelius *docuit* in Paradox. *Porrò nec omnium principum ingenia, propter innatum aliquid ſuperbum, ita tractabilia ſunt, vt inſtitutionem admittere velint. Hercules Lino tabulam in caput impegit: & Arcadius Arſemio Theologo præceptori ſuo inſidias locavit, indignum quippiam ſua origine ſe pati exiſtimans, quod vilioris hominis diſciplinæ ſubijceretur.* Zona. in Theod.

Refutatur Objectio.

Bodinus *6.* de Rep. c. 5. *putat ſe totam argumenti vim effugere, ſi oſtendat plura incommoda comitari electionem, quàm ex bonitate regis expectentur commoda. In Repub. verò cenſendum eſt, perinde vt in amicitia dicebat* Horatius

Horatius: *Amicus dulcis, vt æquum eſt, Cum mea compenſet vitijs bona, pluribus hiſce, Si modo plura mihi bona ſint, inclinet, amari Si volet, &c. Illud enim præſtantius judicandum, quod cum minoribus incommoditatibus conjunctum eſt*, ut oſtendit Alex. Aphrodiſ. in 3. Topic. ex loco Ariſt. *Iam* Bodinus *in Electione notat primum incommodũ, tempore interregni, quod nos facilè averti poſſe oſtendemus, ſimulq́ plura adhuc incommoda in ſucceſſione demonſtrabimus.*

Nam apud Germanos negotium adminiſtrandi imperium, mortuo Imper. datum eſt Comiti Palatino & Duci Saxoniæ, §. Quoties in Aur. bul. *Apud Polonos univerſa nobilitas recepit defenſionem regni & Eccleſiarum, tempore interregni poſt Ludowicum anno 1382. in confœderatione, quæ dicitur Kaptur.* Lib. 1. Stat. Polon. c. *1*. a. 2. l. *3*. a 3. l. *2*. Lib. 6. c. 1. a. 1. *Nec ibi manet periculum, vt adminiſtrator regnum ſibi retineat, ſicut Guſtavus regnũ Sueciæ, quia non uni tantum, ſed pluribus aut omnibus conceditur poteſtas, & brevi quidem tempore. Sed & alia compendioſior via eſt, hoc malum præveniendi, ſi videlicet ante mortem regis novus ſucceſſor deſignetur, ſicut apud Romanos Impp. illi, qui ab initio Cæſares, poſtea Auguſti vocabantur, apud Gallos Delphini, apud Germanos Reges Romanorum, proximæ ſucceſſioni deſtinantur. Ea ratione petijt Carolus V. vt ſibi vivo Ferdinandus frater ſubſtitueretur*, Sleidan. lib. 17. *& Sigiſmundus, vt filio Sigiſmund. Auguſto, vivo adhuc patre, regnum à proceribus decerneretur.* Lib. 1. Stat. cap. 1. a. 3. l. 11. *cum jam antea Iagelloni adhuc vivo ſurrogatus eſſet filius Vladislaus, ne fratres poſt mortem patris diſſidiis regnum lacerarent.*

Cromer.

Crom.lib.20. *Idq́, cautum eſt in l. Perſarum, quam refert* Herod. lib. 7. *vt rex in bellum abiturus, prius ſibi ſucceſſorem deſignet, ne reſp careat capite.*

Verùm in ſucceſſione, ſi contingat, quod eſt frequentiſſimum, vt vel ſine poſteris moriatur rex, vel pueros relinquat impuberes, vel nepotes ex filiis, ibi infinitum, quot & quantæ oriantur turbæ. Si proles maſcula nulla ſit, ſuperſtite fœminea, inter hanc & patruos cognatos, naſcuntur controverſiæ: ſi nulla relinquatur ſoboles, graviores timendæ diſcordiæ à propinquis. Exemplum ſit in imperio Romano, quod, interfecto Maximino cum filio, quinq; ferè ſimul creverunt, Herod. & Capit. in Maxim. *Mortuo Michaële, Conſtantini Ducæ filio ſine liberis, duo proximi duces Nicepho. Botoniates & Bryennius, de Imperio tam diu diſceptarunt, donec alter ſuccumberet.* Zonar. in Niceph. *Graviora bella orta ſunt in Imp. Germano, cum Ludowicus IIII. in bello contra Hungaros occubuiſſet: Item inter Fridericum 3. Venetam Remp. & populum Mediolanenſem, cum Philippus Maria, ultimus Vicecomitum Mediol. ex gente Angleria mortuus eſſet.*

Si ſucceſſor puer ſit, & præ ætate ſceptri incapax, non minora ingruunt mala, adeò, vt Eccleſiaſtes *rectè exclamaverit: Væ vobis, quorum rex puer eſt. Cum David Bruſſius,* inquit Buchan. lib 9. *puer eſſet 10. annis, & ſub tutoribus viveret, Edvardus Balliolus ex pueritia regis ſumta occaſione, regnum invaſit & poſt multa civilia bella regem ſe fecit. Non enim tantum à ſubditis viles habentur pueri reges, vt in Leſco Albo patet,* Crom. lib. 7. *ſed & ab hoſtibus. Qua de cauſa Hiero rex Syrac. dicitur ultima ſenecta liberas voluiſſe Syracuſas relinquere, ne ſub dominatu puerili, per ludibrium, bonis artibus partum firmatumq́*

tumq; interiret regnum, Livius lib.24. *Nec ſatisfacit, qui tutores velit puero dari, quia nunquam tam habebunt curam aliarum rerum, quàm ſuarum. Cum Fridericus II. ab Henrico VI. puer admodum relictus eſſet, proceres Philippum, non tàm tutorem quàm Imperatorem fecerunt, ne ſine capite eſſet imperium.* Peucer. 4. Chron. *& Scoti tulerunt l. vt minorenni exiſtente filio ex cognatis proximus rex eſſet, quæ l. duravit uſq; ad* Kennethum *III. per an. 1025.* Buchan. lib. 4. *Ratio erat, quod inſtantibus periculis puer non ſufficeret, quo conſilio Vladislaum regem Poloniæ acerſiuerunt Vngari, quod infantia Ladislai non poſſet viribus Amurathis obſiſtere.* Crom. lib. 21.

Præterea periculoſum eſt, tutores cum plena poteſtate dari regibus, quia, cum ſuperiorem non agnoſcant, facilè ad ſe trahere ſolent poteſtatem. Ita Caſſander, Alexandri M. hæredes, quorum tutor erat, interfecit. Iuſti. lib. 15. *Wirtigornus Gevviſcorum comes, Conſtantem regem Britan.* Alan. ab Inſul. in prophet. Merlini. *Irene Conſtantinum filium.* Zonar. & Diacon. in Iren. & Conſt. *Alexander & Romanus Lacapenus Conſtantinum,* Zonar. in Conſtanti. *Andronicus Alexium,* Nicetas in Annal. Alexi. *Guido Luſignanus Balduinum regem Hieroſolym* Peuc. 4. Chron. *alij alios, tutoria poteſtate, ſimul à vita & principatu dejecerunt, cum quibus conſentit hiſtoria Dynaſtæ Athenienſis,* apud Melanch. de exci. Athen. *Qua de cauſa Vaſcones noluerunt Balduinum Flandriæ comitem tutorem concedere Philippo I. regi Francorum, ne tutelam pupilli ſuum regnum faceret.* Paul. AEmyl. lib. 3. *Vt interim taceam pugnas cognatorum de tutela, quæ quidem inciderunt circa tutelam Henrici IV. Boleslai Pudici Polo. Ladislai Ungari, &c.*

Sed obycit Bodinus *incommoda alia, ex contentionibus hæredum orta, adducens exemplum imperij Germanici, in quo non parum errat. Nam licet concedatur, in electione novi Regis incidere ſeditiones quaſdam, leviora tamen mala ſunt, quàm quæ expectantur à pravo rege. Breviter enim expediuntur & deſinunt in tranquillam pacem: ſub malo rege perpetuò malè vivitur. Vnde* Tacit. 3. Annal. *ſcribit: Miſeram pacem vel bello benè mutari. Sed nec comitantur electionem bella, niſi per accidens. Olim enim Hiſpani elegerunt regem*, ut conſtat ex Can. 3. concil. Tolet. Quinti. *Elegerunt & Romani* Livius lib. 1. *Veneti ducem, Dani, Poloni regem, ſed ſine magnis controverſiis. In Imperio autem Germanorum cauſæ aliæ fuerunt ſeditionum, quas Tyrannis Papæ non parum confirmavit.* Guicciard. com. pe pol. *novum proverbium retulerit: proprium eſſe Eccleſiæ, Cæſares timere & odiſſe. Adrianus enim IV. ſcripſerat ad Fridericum I. accepiſſe ſe coronam à Papa, tanquam beneficium.* Sigon. 9. hiſt. Ital. *& Innocentius III.* c. Venerabilem. de Elect. *putat ab Apoſtol. Sede Romanum imperium à Græcis translatum fuiſſe in Germanos, quod* ibid. *confirmat* gl. in Ver. Tranſtulit.

Potiſſima enim ſeditionum cauſa fuit inveterata conſuetudo ſuccedendi, quæ hæredum animos ita occuparat, vt non paterentur ſe ab ea repelli. Ita Conrado I. controverſiam moverunt Arnolphus Malus Bavarus, Giſelbertus Lotharingus, Burchardus Suevus, & Henricus Auceps propter Carolum Poſthumum, cui ex ſtirpe Carolina videbatur imperium jure hæreditario deberi. Eadem de cauſa idem Arnulphus poſtea oppoſuit ſe Henrico Aucupi. Henricus frater Ottonis I. fratri propterea bellum movit,

quod

quod putabat partem imperij ad ſe pertinere, cui in ea cauſa favebant Eberhardus Francus, Giſelbertus Lotharingus, & poſtea Ludowicus Tranſmarinus rex Franciæ, qui partem quoq; ejus ſibi arrogabat. Idem Henricus eadem de cauſa bellum contra Ottonem II. redintegravit. Ottoni III. negotium fecit Lotharius rex Franciæ, imperium Carolinæ ſtirpi repetiturus. Ita controverſiæ ortæ ſunt ob ſucceſſionem, quæ inveteraverat: nos verò Electionem in ſincera & nulla ſucceſſione præoccupata Repub. conſideramus, ubi à contentionibus hæredum nihil metuendum.

Aliud argumentum affert Plinius Sec. in Panæg. *his verbis: An ſenatum, populumq; Roman. exercitus, provincias, ſocios, tranſmiſſurus uni, ſucceſſorem è ſinu uxoris accipias? ſummæq; poteſtatis hæredem, tantum intra domum tuam quæras, non per totam civitatem circumferas oculos? & hunc tibi proximum, tibi conjunctiſſimum exiſtimes, quem optimum, quem Dijs ſimilimum inveneris? Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus. Non enim ſervulis tuis Dominum, ut poſſis eſſe contentus neceſſario hærede, ſed Principem civibus daturus es. Deniq; retinetur quoq; rex in officio, ſi ſciat ſibi à malè adminiſtrato imperio abeundum.*

Nihilominus commodum non eſt, ut ſi in ſtirpe occurrat quidam regno dignus, is excludatur, quia ſic vitantur contentiones, quæ ex mala hominum de jure ſucceſſionis opinione naſcuntur. Simul redditur ratio benè merito patri, quo argumento obtinuerunt Fulco Epiſc. & Nicolaus Palatin. Cracou. ut Leſcus Albus Caſimiro patri ſuccederet. Cromer. lib. 7. *Inſtigatur quoq; pater, ut diligentius adminiſtret regnum. Denique homines libentius* Limitatio.

obtemperant natis ex illa ſtirpe, cui jam per conſuetudinem didicerunt obedire: qua fraude Alexander ſibi, qui Demetrio Soteri ſubſtitutus eſt, Iuſti. lib. 35. *& Meſa mater Heliogabalo conciliavit gratiam*, Herodia. in Seve. *Nam Gordiano populus Roman. ſe ultrò ſubjecit, quod Gordianorum imperium ſemel guſtarat.* Capi. in Gord. Iun. *& Capetorum genti non prius obedijt Francia cum gratia, quàm Philippo I. jungeretur ſtirpis Carolinæ uxor.* Aemil. 3. de re. geſt. Franc. Bodin. 6. de Repub. *Qua de cauſa Wenceslaus Bohem. accitus rex Poloniæ, ut gratior eſſet, Præmisli filiam ſibi uxorem ſumſit*, Cromer. lib. 11. *ſicut olim Darius duxerat filias Cyri.* Herod. li. 5.

An primogenitus debeat ſuccedere.

Quando verò alicubi ſucceſſio invaluit, aut etiam electione temperata ſervatur, magna de integro ingruit diſputatio, cui primò debeatur ſucceſſio. Primogenitum præfert jus gentium, teſte Iuſtin. lib. 16. Pauſan. lib. 1. Liv. lib. 40. *apud quem Perſeus major natu accuſat Demetrium: Regnare, inquit, utiq. vis: huic ſpei tuæ obſtat ætas mea, obſtat gentium jus, obſtat vetuſtus Macedoniæ mos: obſtat verò etiam patris judicium.* Patritius lib. 9. de regn. t. 21. *addit & jus naturæ. Ius, inquit, naturæ exigit, & gentium conſuetudo confirmat, ut maximus natu ex filijs mortuo regi ſuccedat, quod* Tiraquel. in præfat. de iure primig. & ibi. q. 4. multis verum facere laborat.

De jure gentium plana res eſt. Nam Hieronymus ad c. 49. Geneſ. *Iudaicum regnum ſcribit primogenitis competere, quod probatur* 2. Paralip. c. 21. *ubi ſcribitur: Regnum tradidit Ioramo, quod eſſet primogenitus.* Ioſephus 14. Antiq. c. 1. *Apud Ægyptios idem in uſu fuiſſe elicitur* ex Exod. c. 11. *ubi dicitur: Occidam omne primo-*

genitum

genitum à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus Id enim Nicolaus Lyra *interpretatur de regno. Idem in uſu manſiſſe tempore Ptolomæorum ex* Iuſti.16.& 39. Pauſan.lib.1. Floro Epit.46. *patet. De Syris teſtatur petitio Demetrij, Antiochi regis Syriæ fratris.* apud Liv.& Flor. lib.46. *De Perſis hiſtoria Artaxerxis & Cyri.* Plutarch. in Artax. & Procop. lib.1. de bell. Perſ. *ait: Lege Perſarum majorem natu ad regnum vocari. Goſroës à majore natu filio in carcerem conjectus eſt, quod regnum in minorem transferre vellet.* Diaco.in Heracl. *De Parthis teſtatur* Iuſtin.lib.41. *dum ſcribit Pharnacem maximũ filium more gentis regni hæredem fuiſſe. Item* Tacit.2.in Annal. in pr. *ex hiſtoria Volonis.*

Fuit apud Trojanos ſimilis conſuetudo, ex qua Ilus ſucceſſit Trojo, Meſſala Corvin.in lib.ad Aug.de progen. Aug. & Dares Phryg. in lib. de excid. Tro. *ait: Priamum admonuiſſe filios, ut minores paterentur ſibi imperari à majoribus,* Herod.in Euterp. *De Macedonibus teſtatur* Livius lib.40. Diod.Sic. lib.16. Iuſtin.lib.7. *De Spartanis* Herod. lib.5. & 6. AEmil. Prob. in pr. vitæ Ageſil. Mamert.in Panæg. *De Rhodiis* Diodor.Sic.li.6. bibliot.c.13. *De Cretenſibus,* Evem. Meſſen.in hiſt. ſacra. Lactant. lib.1. c.14. *De Albanis,* Livius lib.1.& Halycar.lib.1. *De Romanis,* Tacit.4. Annal. *De Siculis,* Iuſtin.lib 21. Diod.Sic. lib.11. *De Gothis*, Iohan. Magn. lib.16. cap.17. *De Francis vetuſtis*, Anaſtaſius Bibliot. Adriani II. ſeu Landulphus Sagax hiſtor. Miſcell.

Hodie apud pleraſq; gentes idem obſervari docent, de Tartaris, Pantal.in hiſt.Tart. *Turcis* Faſ.& Annal.Turc. in hiſtor. Zitzimi & Bajazeth. Busbeq.Ep.1. *in hiſtoria*

Muſtaphæ à noverca interfecti : De Polonis, Michou.li.1. Chron.c.4. & Crom. *in quam rem extat ſtatutum Vladislai*, lib.1.Stat.c.1. a.2. l.6. *ubi Vladislaus vocat ſe verum & legitimum ſucceſſorem Iagellonis. De Scotis*, Buchan.lib.4. *De Anglis*, Baldus l. ex hoc iure ff. de iuſt. & iur. Raynerius de Forlivio in diſput. cuius initium: Conſuetudo eſt in regno Angliæ, *& conſentiunt hiſtoriæ*, Polydori Virg. AEmil. Pauli &c. *De Hiſpanis extat* Regia lex Tauri, *explicata à* Covar.c.ult.qq.Pract. *Item* l. 2. t.15. partit.2. *De Caſtellæ verò regno peculiariter teſtes ſunt* Panormit. conſ.85. lib.1. Barba. conſ. 10. lib 2 Dec. conſ.397. & 443. in pr. Didac. c.1.qq.pract. *De regno Arragoniæ*, Oldrad. conſ. 49. & 231. Alber.in l. Donationes. C. de de donat. int. vir. & ux. et in 1. p. ſtat. q.14 1. de ſtat. regis. *De Gallis*, Petr. Iaco.in tit. de ſucceſſ. reg. Franc. Cirierus lib.2. primog. q.13. Tira. in præf. iur. primig. *De Vngaris*, Innoc. III. in c. licet de voto et vo. red. & Michael. Riccius in hiſtoria *Colomanni & Armi.*

Quod igitur tot gentium moribus receptum eſt, non facilè iniquitatis argui debet, imprimis quando commoda fulcitur ratione, ſicut Galeacius I. dux Mediol. cum ducatum vellet tranſlatum in minorem filium, exclamavit: iniquam eſſe conſuetudinem, quæ ſoli primogenito concederet ſucceſſionem. Barbat.conſ.20. lib.5. *quaſi non in privatis quoq; hæreditatibus melior ſit conditio primogenitorum, ſecundum jus divinum* Deuter.21. *Saxonicum & Hiſpanicum de Majoratu*, Covarruvias lib.3. variar. reſolut. c.5. *In regnis adhuc longè diverſa ratio eſt, ſicut Robertus Bruſſius negabat regna debere dividi ad inſtar privatorum bonorum.* Buchan. lib. 8. *Licet enim concedamus,*

æqua

æqualitatem inter fratres ſervari debere, l.pen. in fi. C. Communi divid. l. ut liberi, l. illud. §. ult. de Collat. *eosq́ æqualiter ad hæreditatem admittendos*, l. inter filios C. famil. hercisc. l.1. avus C. Vnde lib. l. Si poſt mor. §. ult. de bon. poſſ. con. tab. *quod* Iuſtinian. Nov. 22. c. illud quoque ult. *obſervari vult in liberis diverſorum matrimoniorum: non tamen cogimur dicere cum* Cornc. conſ. 199. lib. 2. *hanc conſuetudinem eſſe exorbitantiſſimam à jure communi, aut eſſe iniquam cum* Cyn. in l. Barbarius de offc. præt. item Alex. conſ. 128. lib. 1. Franc. Aret. conſ. 164. Luc. Pen. in l. quæcunq;. C. de princ. agentium in reb. lib. 12. *quamq́ primogenitus ſalva conſcientia obſervare non poſſet.*

Nam quanquam Baldus in l. Sed ea. ff. de leg. I. & in l. omnes ff. de iuſt. et iur. *dicit, ſtatutum de ſucceſſione primogeniti eſſe odioſum & irrationabile, quoniam in natura pari non debent contraria conſtitui, tamen multis in locis ſecus ſentit, quos annotat* Tiraq. q. 4. de iur. primig. *propter favorem publicæ utilitatis, &* Dyn. in c. Sine culpa de R. I. in 6. *favore publicæ utilitatis ait, res interdum poſſeſſori auferri, quam rationem affert quoque* gl. in c. licet de voto & Iuſtin. lib. 21 *qui Dionyſio ſcribit ſubſtitutum filium maximum, non tantum ob prærogativam ætatis, ſed quia firmius putabatur fore regnũ, ſi penes unum remanſiſſet, quàm ſi portionibus inter plures divideretur. Argumentum ejus eſt* in c. Maiorib. de præb. et dig. *ubi Alexand. III. negat præbẽdas dividi debere, ut Eccleſia retineat firmatam ſuam unitatem.* Heſiod. 1. oper. et dier. *requirit unum filiũ in familia, cujus rationem reddit* Spondan. *quia hæreditas mole ſua coadunata diuturnior*

futura

futura erit. Exempla patent in Polonorum, Moſchorum, Italiæ, Germaniæ, & Sileſiorum principatibus, qui inter filios æqualiter diviſi univerſam virtutem diſſiparunt, ut conqueſti ſunt proc. Polon. in Comit. Cracov. Cromer. lib. 6. in pr. *ad unum verò regem collecti, animam recuperarunt: Et* Nicer. in fi. ſuæ hiſt. *non aliam interitus imperij Conſtantinop. cauſam affert, quàm diviſionem in multos principatus.*

Totum autem imperium ad neminem ex fratribus referri debet, niſi ad primogenitum, non quod præſumatur melior, ut Tiraq. ait q. 4. n. 31. de prim. *Id enim in Eſau, Ruben, Caino &c. falſum eſt, & Calo Iohannes Manuelem juniorem prætulit Iſaacio, quod ineptior ad imperium videretur:* Nice. 1. An Caloio. *Item Ariſtobulus excuſavit ſe Pompejo, quod Hircanus abijſſet ab imperio ob impotentiam,* Ioſeph. 14. Antiq. c. 2. *Sed quia primogenitura dignitas quædam eſt, cui regni ſucceſſionem inniti omnes ferè gentes credunt. Nam Vngari Colomannum Geiſæ filium, Monachum & tum corpore, tum animo mutilum, prætulerunt Armo, contra teſtamentum Ladislai, tantum quod major natu eſſet,* ut Mich. Riccius narrat. *Epirotæ contra teſtamentum Pyrrhi, minorem filium regno ejecerunt, ſubſtituto majori, quod & Ægyptij fecerunt,* ſi Pauſan. credimus lib. 1. *in Alexandro, quem Cleopatra prætulerat Ptolomæo Lathiro: & Spartiatæ, qui Cleomeni, quantumvis impotentis animi obedire maluerunt, quam Dorieo, prudentiori quidem, ſed natu minori,* Herod. lib. 5.

Quid faciendũ de fratribus reliquis.

Leges igitur de æqualitate fratrum loquuntur de privatis: in regnis aliter obſervatur. c. 1. §. præterea de prohib. feud. alic. *Ibi enim cæteri fratres ſat habent, ſi honorificè*

norificè ſuſtententur. Alimenta enim ex bonis paternis de-bẽtur liberis l. naturæ l. 1. ſ. huius ſtud. ff. de iur. nat c. ius nat. d. 1. l. cum rat de bon. dam. *Vnde* Mart. Laud. in tra. primog. col. 5. & 7. *tantum dicit cæteris relinquendum, quantum ad vitam ſuſtentandam requiritur: Sed quia alimenta debent reſpondere dignitati perſonæ* l. 5. de ag. noſ. l. 3 & 4. C. de al. lib. Landr. a. 21. lib. 1. n. 3 *debent etiam pro dignitate tractari, ſicut Ioſaphat, fratribus ſuis dedit annuas penſiones & civitates, ex quibus regiè viverent*: 2. Paral. c. 21. v 3. *qua ratione Cyrus quoq.* ap. Xenc. 8 Cyrop *res ſuas ordinat, vt Cambyſes regnum, reliquus frater minutiora bona nonnulla retineat: Et Artax fratri Cyro ſatrapiam dedit & claſſem marinam*. Plutarch. in Artax.

Quid faciendũ de fratribus reliquis.

Quod enim Iohannes Cantu rex Abyſſinorum inſtituit, ut ex relatione Alvareſ. ſcribunt Iovius, Damianus à Goes & Boter. *quò regij, liberi, excepto uno, qui imperat, includantur arci firmiſſimæ, iniquum eſt, cum ita ijs in perpetuo carcere vivendum ſit: iniquius verò, quod Otthomannici omnes fratres interficiunt. Præterquam enim, quod crudele eſt, conſcientiam, vt regnare poſſis, conſcelerare: non poteſt non tale imperium infinitis ſeditionibus fluctuare, dum is, qui ſibi moriendum ſcit, omnia per fas molitur & nefas, vt aut non moriatur, aut ne moriatur inultus. Bajazethes, quid non machinatus eſt in Zitzimum? Quid Selymus, qui patrem à regno dejecit, & duos fratres, Acomathem, cui ex primogenitura regnum debebatur, & Corcuthem, cui ex pacto, interfecit, quod excuſare ſolitus fuit: Melius eſſe prævenire, quàm præveniri:* Falc. in *Baiaz. Contentiones filiorum Solymanni, ex ſimili cauſa enatas*, apud *B*usbeq. Ep. 1. & Annal. Solym. *legere eſt.*

Si verò primogenitus moriatur, priuſquam regnum adierit, vivo patre, relicto filio & fratribus, Vtri in ſucceſſione primi ſunt? Si enim primogenitus regnum jam poſſederit, non eſt dubium, quin nepos prævertat patruum, prout ſentit Martin. Land. in tr. de primog. & Corſet. de pot. & exc. reg. q.115. *Sed ſi ante initum regnum deceſſerit, tanta viget controverſia, vt* Thomas Grammat. deciſ.1. lib.8. Parerg.c.15, Cirier. lib.1. de primog. q. 25. & 26 Hottom. in q.3. Illuſtr. Tiraq. q.40. de primog. n.12. & 15. Covar. c.38. qq. pract. *potuerint 70. ICtos inter ſe diſceptantes nominare, quibus ſi adjeceris Politicos, numerus erit infinitus. Diſſentiunt quoq; diverſarum gentium ſtatuta. Patruum prætulit lex Scotorum, à* Kenneth. *III. abolita* Buchan. lib.4. *Normannorum* tit. 25. & 99. *Arabum antiquorum.* Strab. lib.16. *Vandalorum.* Procop. lib.3 de bell. Vand. *Longobardorum,* Luc. Pen. in l. ult. C. de Tyro. lib.12. *à quo diſſentit* Tiraq. per l. Si quis habuer. tit. de ſucceſs. *Francorum, vt in Carolo M. & Bernhardo, rege Italiæ patet, quanquam* Tholoſan. lib 8. c.10. Bodin. 6. de Rep. c.3. Tiraq. & Hotom. d. lo. *in parlamento Franciæ pro nepote maximè pronunciari teſtantur.*

An patruus debeat præferri nepoti.

Pronunciavit & Bonifacius in regno Neapol. pro Roberto patruo, ſed hic in ſimili caſu in comitatu S. Severini ſtetit à partibus nepotis, Pandolphus Collenutius lib.5. hiſt. Neapo. *quaſi nepotis cauſam potiorem judicaret: quod & fecit Lycurgus:* Plutarch. in Lyc. *& ſenatus Lacedæm. in cauſa Arei nepotis & Cleonymi patrui.* Pauſan. in Lacon. *In Hiſpania judicatur pro nepote ex l. reg. Tauri, explicata* à Paulo Caſt. conſ.164. in 2. p. & Covar. c. 38. qq. pract. *Item* ex l. reg. par.2. t.15. *In Anglia idem conſtitutum*

ſtitutum, ait Bald. l. cum antiq. l. ex hoc iu. ff. de iuſt & iu. *Nec enim Richardus rex Angliæ, Edvardo IV. fratre mortuo, regnum occupare potuit, priuſquam nepotes ex fratre ſuſtulerat.* Comin. lib. 6. Bellai. lib. 1. Comm. *In Muſcovia idem patet ex ſurrogatione Demetrij, facta ab avo Iohanne,* Sigiſmund. in Muſco. *Apud Saxones cum res incerti juris eſſet, duello commiſſa fuit ſub Ottone I ubi vicit cauſa nepotum,* VVidekind. lib. 2. Alciat. in lib. de Monom. c. 7. Sigebert. in Chron. Otto. I. anno 942. *quanquam in ſimili ferè cauſa fratrum patruelium, vicit major,* apud Liv. lib. 28.

Pro nepote potiſſima argumenta ſunt, quod per jus repreſentationis, quod & in feudorum ſucceſſione locum habet, §. 1. de ſucceſs. feud. § ſi capit. de March. fi. & tot. t. de nat. ſucceſſ. feud. *filius ſubeat gradum patris,* Nov. 118. cap. 3. ubi tollitur l. Conſang. 3. C. de leg. hæred. Nov. 127. cap. 1. l. ut inteſt. 4. C. de ſuis & leg. *quia agnaſcitur quaſi avo,* l. Poſthumor. 13. de iniuſt. rupt. *tantumq; accipit, quantum acciperet pater, ſi viveret,* Nov. 127 cap. 1. *quia ſubit omnia jura patris,* l. ſi quis fil. C. de inoffic. *Succedens enim in locum ſuccedit in jus & ſubrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur,* l. 1. §. hæc actio ff. Si quis teſtam. lib. & c. Eccleſ. ut lic. pen. *Vnde teſtamentum rumpit perinde, ut pater,* l. Poſth. ff. de iniuſt. rupt. §. Poſth. Inſtit. de exhæred. lib. *Deinde nepos eſt hæres bonorum paternorum, quia hæreditas tranſit ad proximos* §. patern. de ſucceſs. feud. *Et filius eſt eadem perſona cum patre,* l. ſi quis 11. C. de impub. & al ſubſtitut. c. Cum itaque, 1. q. 4.

 Iam

Jam primogenitus adhuc vivo patre habet jus ſuccedendi, quia filius ex parte eſt dominus bonorum paternorum. l. in ſuis 11. ff. de lib. & poſth *& certam ſpem regni habet, quæ cum perſona non extinguitur, quia non perſonæ competit, ſed dignitati primogenituræ. Quæ verò huic competunt, cum perſona non extinguuntur*, ut ait gl. in c. Quoniam ext. de off. & pot. de leg. per c. idem & l. 4. ff. de leg. 1. & gl. in c. Si gratioſè de Reſcript. in 6to. *Imprimis autem valet hoc ex intentione ſucceſſionis*, ut oſtendit Covar. d. lo. *Adde ſimilem deciſionem* in l. 3. §. fin. & duab. ſeq. de aſſign. lib. l. cum avus de cond. & demonſtr. &c.

An natus ante adeptum regnũ ſuccedere poſſit.

Exurgit hoc loco alia, non minor difficultas, ſi videlicet ante adeptum regnum patri naſcatur filius, iterumq; alius poſt adeptum, uter utri præferri debeat. Anton. Corſet. 26. q. de excel. reg. Bald. in l. Imperialis §. Illud C. de nupt. *& alij nolunt adeò indiſtinctè quæſtionem proponi debere, cum alia longè ſit ratio, in eo, qui hæreditarium ab avo accipit imperium, aut cujus pater regnum primus occupat. In illo enim putant ceſſare,* l. Senatoris filium, ff. de ſenat. & gl. ibid. *cum filius, licet non patris, avi tamen nomine regiam dignitatem obtineat,* arg. l. emancipatum in fi. ff. de ſenat. *Cæterum, ſi rationes deciſionis in hac q. intueamur, facilè apparet, diſtinctionem hanc locum non habere, aut fruſtrà adhiberi. Propterea enim filius ſuccedit patri, quia regnum hæreditarium eſt. Conſtat autem, non minus hæreditarium eſſe regnum, quod vel jure belli, aut alio modo occupatur legitimo, quã quod per hæreditariam ſucceſſionem obtingit. Hæc enim cauſa eſt, quare putemus primogenitum, etiam ante adeptum regnum præferendum eſſe, quia quæcunq; pater acquirit,*

bona

bona, tam corporalia, quàm jura, tam allodia, quam feuda, non magis naſcendis acquirit, quam jam natis, l. 3. & l. ſi quis 8. C. de ſec. nupt. *Omnia liberis noſtris ex voto paramus* ait Tryphon. l. nihil intereſt de bon. liber. & Papin. l. ſcripto ff. unde liberi. *Liberos ad hæreditatem admittit naturæ, ſimul & parentum commune votum. Æſtimamus enim hæreditatem tantum in articulo mortis* l. 1. §. ſi impubes, ff. de collat. bonor. *ita, vt hæredibus dividantur ea omnia, quæ parens tum relinquit. Cum igitur rex in articulo mortis relinquat regnum acquiſitum, manifeſtum eſt, ad id tanquam particulam hæreditatis, etiam ante adeptum regnum genitum admitti, quod eo tempore hæres & filius regis inveniatur. Proximus enim in hæreditate is putatur, qui proximus eſt eo tempore, quo moritur de cujus hæreditate quæritur*, § proximus, Inſt. de leg. ag. ſucceſ. *Quod verò ICti nonnulli diſputant, non vocari aut eſſe filium regis, qui ante regnum natus eſt, aut quod diſtinguunt inter primogenitum Regis, & filium primum Regis*, arg. l. Titius 25. de teſt. mil. *quæ tamen propter diſſimilitudinem rerum huc trahi non poteſt, abſque ratione & ex falſo fundamento faciunt. Scribit quidem* Luc. Pen. l. quicunq; C. de princ. ag. in reb. *dignitatem patris nullum commodum afferre filio nato ante dignitatem*, arg. l. ibid. & l. ſi quis, Decur. l. doctitij &c. C. de decurio. lib. 10. *Sed malè trahit ad omnem dignitatem, quod de certis nonnullis privilegiis, & quæ ad hæredes non tranſibant, dicitur*, vt notat Bald. l. ult. C. de ducur. lib. 10. *Senatoria enim dignitas, vt regni, hæreditaria non eſt: & proinde* ex l. Senatoris fil. in fi. ff. de ſenator. *non adeò firmum petitur argumentum, niſi à minori ad Majus argumentari velimus. Scilicet, ſi in iſta dignitate, in qua*

minus debebat, obſervatur, ut nihil interſit, an in dignitate conſtitutus pater filium ſuſceperit, an ante dignitatē, multò magis obſervabitur idem in dignitate regia, in qua debebat maximè. Clarius patet intentio noſtra ex. c. Ad extirpandas ext. de fil. presbyt. *ubi pro ſacerdotis filijs reputantur, tam in ſacerdotio, quam qui ante nati fuerint, quod & ſatis, obſcurè ex* c. inter cæteras de Reſcript. *notat* Panormit. *Facit huc ſimile decretum Anaſtaſii* l. advocatos C. de advoc. diverſ. iud. & lex 8. C. de advoc. diverſ. iudicio. *Probant* Salyc. in l. Imperialis §. his illud. C. de nupt. Hottom. q. 2. illuſt. Tiraq. q. 31. de iur. primig. n. 14. *aſſertionem noſtram alio argumento. Quod ſcilicet, ſi nō eſſent alij præter ante dignitatem natum filij, tum is jure ſit ſucceſſurus, alioquin abſurdum eſſet, relinqui regnū ſine hærede. Inde putant demonſtrari jus ſuccedendi in genito ante dignitatem. Ius verò ſuum, propter ſupervenientem quendam caſum, qui perſonam non attingit, tolli non poteſt. Cæterum ratio eſt inefficax, quia vel* Laudenſis *vel* Dynus *vel quivis alius contrariæ ſententiæ propugnator diceret, genito ante dignitatem non competere jus ſuccedendi primò, ſed deſolvi ad eum propter defectū primi & proximi ſucceſſoris, ſicut idem deſcendit ad fratres, ſi filij aut nepotes nulli extiterint, nec tamen fratres, filios aut nepotes in ſucceſſione antevertere debent, quod ex hac ratione ſequitur.*

Rectius igitur prior ratio oſtendit, primogenitum etiam ante regnum cæteris præferendum eſſe, niſi aliud per leges Imperij ſtatutum fuerit. Nos enim non diſputamus, contra leges jam latas, ſed quid ex æquitate ferri debeat, ſi lex deſit, aut ſi de ea re lex ſit ſtatuenda. Favor enim, cujus hic maximè ratio habenda ſuadet, ne ante dignitas

gnitatem natus ab imperio excluditur, cum Bald. in l. 2. C. de lib. & cor. lib. *ſcribat: In favorabilibus factum patris, indiſtinctè ac ſine delectu & diſcrimine prodeſſe liberis tam natis, quam naſcituris.*

Apud Lacedæmonios quidem Demaratus, exul, ante dignitatem genitum, repelli à regno dicebat, idq́ jus eſſe Xerxi perſuadebat, qui propterea fratrem Artabazanem majorem natu, ſed ante adeptum regnum à Dario procreatum, prævertebat. Herod. lib. 7. Iuſtin. lib. 2. *Sed, cum æquitati res non videretur conſentanea, ſenſim eviluit, & Artaxerxes, quantumvis ante regnum patris genitus, fratri tamen Cyro prælatus fuit, nequicquam allegante matre exemplum Xerxis.* Plutarch. in Artax. *Labitur quoq; judicio* Ioſeph. li. 16 antiq. c. 3. *dum Herodi iraſcitur, quod Antipatrum à ſe privato genitum, duobus in regno natis fratribus Alexandro & Ariſtobulo præpoſuerit. Non enim jus tantum & æquitas, ſed & conſuetudo populorũ multorum Herodi ſuffragatur. Nã Pannoniarum populi Geizam vel Geiſara, antequam pater Bela rex eſſet, natura, præ fratribus regnare juſſerunt.* Bonfin. & Mich. Ricc. de reg. Vng. li. 2. *Ludowicus, Caroli XI. regis Franc. filius primus, ſine controverſia excluſit fratrem Carolum, qui primus in regno patris genitus erat. Otto I. vicit Henricum fratrem, qui ſibi regnum expetebat eâ de cauſa, quòd Otto à patre nondum Imperatore natus eſſet.* Sigebert. in Chron. *Et cũ Zitzimus à fratre Bajazethe deÿceretur ab imperio Turcarum, quod ex patre privato natus eſſet, conqueſtus eſt coràm Pontifice Roman. contra jus patrium ſecum agi.* Vaſ. in Bajaz. *Nec Guilielmus rex Angliæ, Robertum, ante occupatũ Angliæ regnum genitum, regno excluſit, niſi propter cõtumatiã.* Aem. 3. de reb geſt. Fran. in fi. *uide plura ap. prædictos au-*

autores,& Cirier. 1. de primog. q. 12. Tholoſ. 7. de rep. c. 9. &c.

De ſucceſsione fœminarum.

Conſequens eſt, videamus, an ita hæreditaria debeant regna eſſe, ut admittant etiam fœminas ſucceſſores, quod in regnis nonnullis obſervatum eſt, in Imperio Conſtantinopolitano Regno Hiſpanorum, Neapolitano, Francorum, Scotorum, Anglorum,&c. Nam & Tacitus in Agricol, *Solitum, ait, Britannis, mulierum ductu bellare.*

Caſ. 1. polit. c. 16. 3. pol. 11 Tholoſ. 7. de Rep. c. 11. Lipſ. 2. polit. c. 3.

Quicquid ſit de legibus & moribus nonnullorum populorum, apud Tiraq. q. 10. de jure primog. *quos convellendos non putamus, licet non ſint ab omni parte optimi, illud quidem facilè planum facere poſſumus, quod tutum aut utile imperio minimè ſit, fœminas ad rei gubernacula elevari. Nam ſi naturam conſulere velimus, apparet mulieribus regnum non deberi, cum ad parendum natæ videantur, non ad imperandum.* γυναικὶ δ᾽ ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ φύσις, ut habet vetus Senarius, *Quæcunq; enim ad imperandum requiruntur, natura ijs negavit, & ex contrario, quæ ad obediendum pertinent, ijs inſevit, ut rectè* Paulus 1. ad Tim. 2. v. 2. *admonuerit mulierem, quò diſcat cum ſilentio, & cum omni ſubjectione, nequaquam cum imperio. Deſtituitur enim mulier primùm prudentia & conſilio, ſine quibus nulla Reſpub. diu ſtare ac ne ſtare quidem poteſt. Non occinat mihi* Lipſ. 2. pol. c. 3. Tholoſ. 7 de Repub. c. 11. Tiraq. l. con. *11. pauca quædam prudentum mulierum exempla, quia has dicam naturam ſuam ſupergreſſas fuiſſe, perinde ut Amazones, ſive antiquas illas Aſiaticas, ſive recens in America repertas. Illarum enim reginam Pentheſileam Achylles ex decreto Græcorũ, equo excuſſam in Scammandrũ fluvium præcipitavit, quod naturam*

turam ſuperare auſa fuiſſet. Dyctis Cret.4. de bell. Troi. *Et poſſum ex contrario infinitum, imprudentum & temerariarum mulierum numerum reponere, quas ſi à natura muliebri non abire addidero, tum demum patebit prudentiam obtigiſſe mulieribus per accidens, ex divino quodam, ſupra naturam muliebrem, afflatu, quam in pueris quoq; plurimis repertam eſſe conſtat, nec tamen propterea pueros omnes imperio idoneos aſſerere quisquam poteſt. Quin etiam prudentes fœminas rationes aliæ abigunt à regno, de quibus infra. Nunc imprudentiam mulieribus propriam eſſe, non tam rationibus Phyſicis, ex habitu corporis, &c. oſtendendum eſt, quam Politicis ex communi experientia petitis.*

Antiquitas propterea fortunam muliebri habitu pinxit, ut ejus temeritatem & inconſtantiam ipſa facie indicaret; Galen. in exhort. ad art. bon. *nec alia ratione negarunt Poëtæ Palladem, in qua ſapientiam proponere voluerunt, ex muliere natam, quod nihil prudentiæ ex muliere proficiſci poſſe ſcirent. Verſus* Martiani in hym. Pallad. *hi ſunt: Hanc de patre ferunt ſine matris fœdere natam, Provida conſilia quod neſcit curia matrum. Propterea* Bald. in c. ſignificavit ext. de reſcript. *affert etiam hanc rationem pro jure feudali, quod mulieres regulariter non ſuccedant in feudis, quia animi conſilium non reperitur apud fœminam. Vaſallus autem jurat ſe conſilio velle ſuccurrere Domino.* c. 1. de for. fidel. c. mulier. de nov. for fidel. *Imò* Plato *ex hoc fundamento dubitat, in utro genere animalium ponere debeat mulierem, rationalium an brutorum, quod videret illam prudentia plerumq; carere, qua tamen bruta animalia ſuperamus maximè.*

Præterea firmamentum imperij eſt taciturnitas, quod

Polonus ille, teſte Cromer. *rectè intellexit, qui negabat ſubuculam ſcire debere, quid agat corpus. At quæ mulier taciturna reperta fuit, cum nulli non rectè dici poſſit: Plena rimarum es, hac atq; illac perfluis.* Terent. in Eun. act. 1. ſc. 2. *Confitetur ipſa Portia Catonis Vticenſis uxor, quantumvis animoſa & ſupra ſexum virtutis ſtudioſa*, apud Plut. in Cat. & *Plautina illa, in* Aulul. *Loquaces, inquit, omnes habemur, nec mutam ullam reperiam hodie eſſe dicunt mulierem ullo in ſeculo. Iam ante in* Phæniſs. *idem dixerat* Eurip. Σμικρὰς δ' ἀφωρμὰς ἢ λάβωσι τῶν λόγων, πλείους ἐπεισφέρουσιν. ἡδονὴ δέ τις γυναιξὶ, μηδὲν ὑγιὲς ἀλλήλαις λέγειν, & *Portius Latro* apud Senec. 13. con. *id ſolum ait muliebrem garrulitatem tacere poſſe, quod neſcit. Aſſignat eandem rationem* Chryſoſt. ſuper 1. epiſt. ad Tim. c. 2. Homil. 5. *ad locum Apoſtoli, quo vetat mulieres in Eccleſia docere. Eſt, inquit, fermè loquax muliebris ſexus, ideò omni ex parte fluentem reſtringuit, ac reprimit. Hinc* Plautus in Trinum. *rem ſecretam non vult uxori communicandam: Vxorem quoq; ipſam, inquit, hanc rem ut celes face. Nam pol tacere nunquam quicquam eſt, quod queat. Sed quid Comicum profero, cum Iovem ipſum laudare poſſim, qui in Rhaps. 1. Ilia. Iunoni dicit: Quamvis, Iuno, mea uxor es, tamen omnia non ſcies. Ejus quoq; Vlyſſem admonet Agamemnonis umbra*, 11. Odyſſ. *ne omnia conſilia credat mulieri. Imò quid Iovem, cum ipſas ſacras literas producere poſſim?* Mich. 7. *Cuſtodi oris clauſtra ab ijs, quæ dormiũt in ſinu tuo, id eſt, uxoribus, ut interpretatur* Lyra. *An non Eriphyla Amphiaraum virum prodidit?* Hygin. in Fab. c. 73. *Eriphyle*, inq. Cic. 6. in Ver. *auro viri vitã vendidit. Solebat Auguſt. ad Agrip. clam uxore, inviſere, idq; nemini, niſi Fulvio*, quem vocat Plut. in li. περὶ ἀδολεσχίας

Vide de loquacitate mulierũ Iuven. Sat. 6.

aut

aut Fab. Max ut vult Tac. 1. An. & Lipſ. in com. ibid. *patefaciebat. At hic, quicunq; demum fuerit, mulieri rem rurſum indicavit, per quam ad Liviam permanavit. Hæc cum illud cum viro expoſtulaſſet, Auguſtus, non aliunde niſi à Fulvio ſciri potuiſſe cognoſcens, ad ſe ingreſſum Fulvium, & ſolitum illud dicentem: Ave Cæſar, hoc reſponſo excepit: Vale Fulvi, quod morituris dici ſolet. Atq; is intelligens, domum illicò ſe ſubduxit, & vocata uxore, Reſcivit, inquit, Cæſar, me non ſiluiſſe arcana. Ideò mori mihi decretum eſt. Vxor autem, Iure, ait, quoniam tam diu mecum habitans, vivensq; nec noveris, nec caveris intemperantiam meæ linguæ. Sed precedam tamen ego, & accepto gladio ſeipſam corã viro interemit. Sic* Plut. *ſed* Tac. *ſcribit ejus planctus in viri funere fuiſſe auditos, &* Ovid. de Pont. & Eleg. 3. lib. 1. *introducit eam poſt fata viri ſuperſtitem.*

Plura loquacitatis muliebris exempla proferrem, niſi res plana eſſet: nec nunc in alijs mulierum vitijs enumerandis operoſus ſum, quod ad Reip. adminiſtrationem minus pertineant, nec ita naturæ muliebri affines ſint. Poſt animũ contuebimur corpus, ut hinc quoq; ad imperium minimè natas mulieres cõficiamus. Docet hoc pro nobis Xenoph. in Oec. *Mulier, inquit, imbecilliori & molliori corpore eſt, ut admoneatur intra tectũ manere, & lanificia curare: inde etiã ingenerata eſt illi major* στοργή, *ut ſciat domi ſibi tractandos & nutriendos liberos. Item, Deus uxorem pulcriorem condidit, cum formam cum pudicitia, domi ſe continendo tueretur: virum toroſiorem, ut extra magis ageret edidit &c. Hinc* Naumachus *Poëta Christianus* apud Stob. ſer. 71. *mulierem hortatur:* λεῖπε δ' οἱ τὰ θύρηφι, τὰ καὶ δυνάσται πονέεσθαι. Σοὶ δ' οἰκωφελίη μελέτω, μέλαθρόν τε φυλάσσειν. *Multa enim ſunt officia publica, quæ propter pudorem*

 ſubire

rem ſubire prohibetur, aut præ impotentia corporis nequit mulier. Quid enim ad bellum mulier? Proverbium vetus eſt: μὴ μάχαιραν αἶρε θῆλυ: *& cum Pheretima mater Arceſilai Cyrenæorum regis ab Enelthone principe Salaminis exercitum petijſſet, pro reſtituendo filio, Enelthon miſit fuſum aureum & colum penſo circumdatum, reſcribens talia dona deberi mulieribus & non exercitus.* Herodot. lib. 4. *quod ab* Homer.6.Iliad. *deſumtum eſſe potuit, ubi Hector increpat uxorem:* ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα, κόμιζε. ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε ἔργον ἐποίχεσθαι πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει. *Imitatus eſt* Virgil.7.AEn. *quanquam* Macrob.5.Sat.cap.8. *id nullus notat. Cum tibi Divûm effigies & templa tueri, Bella viri, pacemq́; gerant:* & 8.AEneid.v.410. *Cui tolerare colo vitam tenuiq́; Minerva impoſitum. Propius accedit* Ovid.12.Metam. *Columq́; I, cape cum calathis, & ſtamina pollice torque, Bella relinque viris Fuerunt ſanè, quæ viros vincerent mulieres, ut Semiramis,* Iuſtin.lib.1. *Tomyris Cyri domitrix,* Herod. lib.2. Iuſt.lib.1. *Zenobia victrix Perſarum,* Trebell. Pol. in 30.Tyran. *Helena, Ruſſorum regina,* Sigiſm. Bar. in Muſcov. *Sed primis illis ſeculis, cum ſervilior hominum eſſet natura, nec pro vitio reputarent, fœmineo jugo collum ſubdere, quod poſtquam viri edocti ſunt, nullam videlicet eſſe viliorem ſervitutem, quam fœminis ſervire, ſicut* Tac. de morib.Germ. *rectè addit, cum Sitones à mulieribus regi dixiſſet: Tantum non modò à libertate, ſed etiam à ſervitute degenerant, nequaquam porrò utile poteſt eſſe impium muliebre, quippe, quod à viris cõtemni ſolet. Nihil autem detrimentoſius eſt imperio, quam contemni,* ut 5. polit.c.10.docet Ariſtot. *& nos inter cauſas corruptionum Rerumpub. repetemus.*

Habe-

Habebatur in amore & delicijs omnium Libuſſa, regina Bohemorum, ſed cum vis quædam gravior invergeret, coacta fuit nubere, quod moli regni non ſufficere crederetur. In Sylv. in hiſt. Bohem. *Eudoxiæ Jmperatrici Conſt. ultrò jurarant proceres, ſed cum imperium Sultanus Turcicus premeret, omnibus non obſcuré indignantibus, quà fœmina tantum bellum ſuſtinere poſſet, coacta fuit Romano Diogeni, militum optimo nubere.* Zon. in Rom. Diog. *Quid vanda Polonorum? quæ licet à ſubditis tuta fuiſſet, non poterat tamen vicinorum Principum impetus evitare.* Michov.lib.1.Chron. *De Hedwigi regina Poloniæ, Ludowici filia, ita memorat* Cromer.lib.14. *Non gravati videbantur viri mulieri parituri, niſi impendentibus bellis impar fuiſſet judicata. Et jam antea Rixæ, unicæ filiæ Præmisli, ſucceſſio negata erat, quod inſtantia bella virum fortem requirerent,* Crom.lib.11. *Ita licet animoſæ ſatis ſint mulieres, quia tamen tales non eſſe creduntur, contrahunt in animis parentium contemtum, qui plus ad deſtructionem imperij facit, quam autoritas ad conſervationem.*

Hac de cauſa plerunq; laborarunt imperia, quibus mulieres præfuerunt. Non debemus quidem omnes calamitates ſoli principi imputare, quod tamen ferè fieri ſolere. Ian.Gruter. in diſc. ſuper Tac. *multorum ſententijs demonſtravit, ſed dũ mulieres imperant, cauſam calamitatum in ipſis hærere fœminis oſtenſum fuit, idq; patet ex hiſtoria Semiramidis,* Sabell.1. Enn. Murell.lib.6.var.lect. c.17. *Irenes, Zoës,* Zonar. in har.vit. *Laodices,* Iuſt.lib.37. Athaliæ 4.Reg. *Tullij filiæ,* Liv.lib.1. *Cleopatræ,* Ioſeph.15. antiq. *Drahomiræ Bohemæ,* Dubrav.lib. 5. *Brunhildis Franciæ,* Aymon.lib.4. de geſt.Franc. *Leſci III. Polon.*

uxoris, Michov.lib.1. c.11. *Rixæ Polon.* Crom.lib.4. *Iohannæ Lupæ Neapolit.* Collenut. in hiſt.Neap. *Mariæ Stuartæ Scotæ*, Eman.in hiſt. Bel.Bugan.in hiſt.Scot. *& multarum aliarum, quas longa referre mora eſt. Vnde non immeritò* Eſaias c.3.v.12. *regni Iudaici calamitatem propoſiturus: Pueri, inquit, populi mei exactores ſunt, & mulieres dominantur eis, &* c.19.v.16. *inter Ægyptiorum calamitates numerat, quod ſint futuri ſimiles mulierum, quaſi mulieres ad res gerendas ſint inidoneæ, quod &* Ariſt. *docet* 2.polit.c.7. Collenut.lib.5. hiſt. Neap. *recenſet Leoninum hoc diſtichum, quod &* apud. Luc. Pen. *legitur*, l. penult. C. de prof. & med. lib.10. *Regna regunt vulvæ, clamat gens tota ſimul, Veh, Interitus regni eſt à muliere regi.*

Proinde Gynæcocratiæ plurimi populi contumaciter reſtiterunt: Ac ne de omnibus dicamus, Romanorum ea laus eſt, quod vix ſiverint mulieres in publico verſari, ne dum in imperijs & magiſtratibus. Etenim Nov.117. cap.7. *inter cauſas divortij ſcribitur: Si uxor cum viris extraneis, nolente marito, convivatur, aut cum ijs lavat. Si nolente viro foris domum manſerit, niſi forſan apud proprios parentes. Si Circenſibus, aut theatris, aut amphitheatris interfuerit ad ſpectandum, ignorante aut prohibente viro. Et hic tantum de cauſa Sulpitius Gallus, P. Sempronius, Sophus, Q. Antiſtius uxores dimiſerunt*, Valer. lib.6.c.3. Plut.in Probl. *Sic &* Gellius *autor eſt* lib.5.c.19. *mulierem, quæ in patris poteſtate eſt, non poſſe arrogari, quoniam cum fœminis nulla eſt comitiorum communio. Sic Conſtantinus* l.1. C.de off.div.iud. *Nemo, ait, judex officialem mittat ad eam domum, in qua materfamilias degit, cum præcepto, ut eam in publicum protrahat, cum certum ſit, debita ejus,*

quæ

quæ intra domum conſiderato ſexu ſemet contineat, domus ejus vel cujuſcunq; rei habita diſtinctione, publicis neceſſitatibus poſſe ſervari. Quod ſi quis in publicum matremfamilias poſthac crediderit protrahendam, inter maximos reos citra ullam indulgentiam capitali pœna plectetur, Statutum quoq; eſt c. mulieres de iud. *ne mulieres vel ferendi teſtimonij, vel alterius rei cauſa cogantur perſonaliter venire in judicium. Et apud antiquos Romanos, cum mulier aliquando propriam cauſam in foro dixiſſet, miſit Senatus Deosconſultum, quidnã civitati ea res portenderet*, Plut. in Num. *ſicut & Gallus mirandũ viſum fuit ꝙ Mathildis Arteſiorum Comes, cum ſenatus Roberti Arteſij cauſam judicaret, affuiſſet*, Bodin. 6. de Rep. c. 6. *Vnde non immeritò indignatur Cato* in orat. pro l. Opp. *Majores, inquit, noſtri, nullam, ne quidem privatam rem agere fœminas ſine autore voluerunt: in manu eſſe parentum, fratrum, virorũ. Nos ſi Diis placet, jam etiam Remp. eas capeſſere patimur, & foro quoq; & concionibus, & comitijs immiſceri*, Liv. lib. 44. *Digna eſt oratio hæc Catoniano ſpiritu. Nam, quib. in publico verſari non licebat, qui liceat in publ. imperio. Et repellit ſanè lex à virilib. officiis fœminas*, l. Fœminæ. 2. de re. iur. l. 1. §. 2. de poſtul. *ubi* Ulpian. *poſtquã prætoris edictũ propoſuerat, Ratio, inquit, prohibendi eſt, ne contra pudicitiã, ſexui congruentẽ, alienis cauſis ſe immiſceãt, ne virilib. officiis fungantur mulieres, quib. ſe tolerare colo vitam, tenuiq; Minerva Impoſitũ*, ut loq. Poët. *Nititur* Tholoſ. 7. de Rep. c. 11. *legis mentem reſtringere, quod lex lata ſit contra Calphurniam improbã mulierem: Iam putat ceſſante cauſa ceſſare effectum*, arg. l. generaliter, C. de Epiſc. & Cler. *ideoq; probam mulierem non excludi, ſed improbam, qualis erat Calphurnia, aut Afrania, de qua* Valer. lib. 8. cap. 3.

Sed

Sed improbitas Calphurniæ tantum fuit cauſa impulſiva, de qua negat Bald. in l. Si mulier. C. de iure dot. *regulam valere, ceſſante cauſa &c. Mali enim mores multas bonas pepererunt leges, quæ adhuc, ceſſantibus moribus manent. Cauſas autem finales alias aſſignat* Vlpian. *quæ ſunt perpetuæ, quibus Cæcina alias addit in orat. ne mulieres comitentur magiſtratus in provincias* apud Tacit. 3. Annal. *Verba ſunt: Haud fruſtrà placitum olim, ne fœminæ in ſocios aut gentes externas traherentur: ineſſe mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus convertant. Non imbecillem tantum, & imparem laboribus ſexum, ſed ſi licentia adſit, ſævum, ambitioſum, poteſtatis avidum.*

Ex quo patet, ſatis rationabili conſuetudine excluſas eſſe fœminas à regulari ſucceſſione feudorum, prout conſtat ex 3. §. Hæc autem, de his qui feud. dar. poſs. c. 1. §. Filia. de ſucceſs. feud. c. unic. Quemadmodum feud. ad fil. pert. c. 1. de nat. ſucceſs. feud. *quia ſcilicet officia, Domino debita, præſtare non poſſunt, niſi aliud introduxerit conſuetudo aut privilegium ſicut* Cuſpin. ex Archiv. Archid. Auſtr. *notavit, ducatum iſtum admitti etiam fœminas, quo jure Ottocarus ad ſe tranſtulit Auſtriam, cum Margaretam Auſtriæ Duciſſam duceret*, Münſt. 3. Gæogr. *Eſt in hanc rem lex Salica Francorum à multis celebrata*, tit. de Allod. *In terra noſtra mulier ne ſuccedat, ex qua* Bald. in l. 1. ff. de Senat. *accuſat regem Anglorum, quod titulo fœminæ jus in eo regno ſibi arroget. Obſervarunt eam legem Lacedæmonij quoq; vt ex Lycurgi hiſtoria patet* Plutarc. in Lyc. *Is enim ſucceſſor fratri erat deſignatus, niſi fratris uxor, quæ adhuc prægnans erat, filium peperiſſet.*

Ex

Ex hac enim conventione patet, Lycurgum fratri ſucceſſorem futurum fuiſſe, licet mulier fœminam peperiſſet.

Apud Polonos fœminis ad regnum viam præcluſam fuiſſe, conſtat ex lib. 1. ſtat. c. 1. a. 2 l. 1. *Nam quod Ludowico ex gratia conceſſum fuit, Caſimiro negatum eſt.* Cromer. lic. 12. *Germani ne quidem voluerunt Henricum IV. eſſe in tutela Agnetis matris, nec Flandri liberorum tutelam matri Richidi reliquerunt, ne cogerentur mulieri parere.* AEmil. 3. geſt. Franc.

Neapolitani demum, quòd incommoda Gynecocratiæ ſatis experti eſſent, à collegio Cardinalium obtinuerunt, ne apud eos mulieres ulterius ſuccederent, ut cavetur in tabulis fidelitatis & poſſeſſionis, quam accepit Alphonſus anno 1455. Bodin. 6. de Repub. c. 5. *& Romani, poſt mortem Heliogabali, qui ſolitus erat matrem in curiam ſecum ducere, SCtum fecerunt: Ne ulla poſthac mulier curiam ingrederetur, nedum ut imperaret,* Lamprid. & Herod. in Heliogab.

Quod rectè factum fuiſſe, præter jam dictas rationes, ſic quoq́ oſtendimus. Aut manet innupta regina, aut nubit. Si prius difficile eſt, pudorem illibatum ſervari ab ea, cui impunè eſt, quidvis facere, imprimis cum tot irritamentis incitetur. Non ſatis in tuto videbatur reginæ pudor, ait de Hedwigi Cromer. lib. 14. *illâ ætate, illaq́ forma, & neceſſaria cum viris converſatione. Exemplo ſint Semiramis, Cleopatra, Iohanna Neapolit. &c. Et licet quammaximè ſe contineant Reginæ, at hanc ſuſpicionem quô effugerint, quam nonnulli inniti veriſimilitudini conſtat. Non enim in noſtra manu eſt ſuſpiciones hominum prohibere,* ut ait Comic. in Trinum: *Si nubit, aut totum imperium transfert in maritum, aut totum ſibi retinet,*

 aut

aut dividit cum marito. Habent quidem tales nuptiæ in ſuo genere hanc conjunctam difficultatem, quod aut inferiori cuidam cogatur mulier nubere, aut peregrino, quorum neutrum commodum eſt, cum peregrinum ſint in gratijs accepturi ſubditi, ut infra oſtendemus, inferiorem verò contemtum ipſa uxor, prout c.3. planum fecimus, quid ni etiam ſubditi? Nam Eliſabetha regina Angliæ propterea negavit cuiquam ex ſubditis nubere, quod ſe illorum conditione ſuperiorem putaret, Bodin.6.de Rep.c.5. Et Caſimirus M. in comit. Cracov. anno 1339. obtinuit, ne Ianus, dux Mazoviæ, ſibi ſucceſſor daretur, quia, inquit, vaſallus regni, qui præterquam, quod nihil ſplendoris afferet regno, etiam vobis erit contemtui. Crom.li.11. Sed nos dilemma noſtrum pertexemus: Si regina totum imperium transfert in maritum, ſicut Latini regis, quæ ſola domum & tantas ſervabat filia ſedes, translatum erat integrum regnũ ad maritum, Virg.7.Aen. aut ſicut regnum Siciliæ accepit Henricus VI. per Conſtantiam conſobrinam Guilielmi regis Siculi, Sigon.15.Ital. & Iagello Lituanus regnũ Poloniæ, Crom.li.15. tum ſervatur quidem jus conjugiale, ſed perit publicum & jus ſucceſſionis, quod tantopere urgent, qui fœminas volunt ſuccedere, ne ſcilicet regnum hæreditariũ à ſtirpe dimoveatur. Quanquam hoc argumentum parum habet roboris. Nam ſi innupta moriatur regina, nihilominus regnum recidet ad alios: Si nubat, & transferat regnũ integrum in maritum, jam eo ipſo ab ijs, qui ex ſtirpe maſculi ſupererant, aufertur ſucceſſio, quod per ſe iniquũ eſſe comparet. Ita mater Conſtantini, à filijs tranſtulit imperiũ in Romanum Lacapenum, & Eudocia in Romanum. Diogenem, qui poſtquam in imperio ſe obfirmarat, legitimos regni hæredes facilè excluſit. Zonar. in hor. vit. Sed nos hoc

ſic po-

ſic ponimus, quod tamen vix futurum eſt, aut nõ futurum ſine turbatione conjugij, dum omnes reginæ, ſi modo imperandi dulcedinem deguſtarint, cum Vanda Pol. ſentient, quæ propterea procos omnes reſpuebat, quod mallet princeps eſſe, quam principis uxor. Crom. li. 2. Conceſſerat Maria Henrico Stuarto regnum: ſed quam citò, pœnitentiâ ducta illud repetijt maritum interfici curavit? Buchan. li. 18. 19. Ne de Iohan. Neop. quæ ex hac cauſa tres viros interfecit. Si enim rectè Sen. 6. declam. li. 2. de dotata uxore dixit: crede mihi regnare volet in ſuis divitijs, quis non tantò imperioſiores credat futuras reginas, quantò plura antea, & majorem poteſtatem poſſederant, cui cum aſſueta parum eſſet Irene, filium excæcavit, ne ſibi regnum viciſſim eriperet, Zonar. in Ire. Si verò hac conditione nubat mulier, ut totum ſibi regnũ retineat, ſicut in conjugio Mariæ reginæ Angl. & Philip. regis Hiſp. Item Sigiſm. Imp. & Mariæ reginæ Vng. cautum fuit, præterquam, quod omnia redeant incommoda, quæ Gynæcocratiæ impegimus, peculiariter hic convellitur jus domeſticum & divinum, quãdo ſcil. maritus eſt ſubditus uxoris, ſicut Ninus ceſſit imperium Semiramidi. Mur. 6. var. lect. Omninò n. vetat Paul. 1. ad Tim. 2. v. 12. non tantum mulierem docere in Eccleſia, ſed & viro imperare, quod licet de marito tantum interpretemur cum adverſariis, tamen planum eſt, quod in hac conventione mulier in ſuum maritum ſit habitura poteſtatem, contra præceptum Pauli. Si deniq. dividat imperium cum viro, adhuc violabitur jus conjugiale, ut uxor retineat imperium in maritum: & præterea exorietur ἀναρχία, quia nuper oſtendimus, Monarchiam non aliter quietam eſſe, niſi ſi unus imperet.

Concludimus igitur utile Reip. non eſſe, ut mulieres unà cum viris ſuccedant. Nec obſtant nobis leges, quæ ad hæreditates æqualiter admittunt fœminas cum maſculis, l. Maximum vitium. C. de lib. præt. l. in ſucceſsione, C. de legit. hæred. *Nam privatis commodis derogari poteſt per utilitatem publicam, ſicut Robertus Bruſſius diſputabat contra Dornagillam. In privatis quidem bonis, ait, proximum ſemper ſuccedere: in publicis verò bonis, aut quæ feudi nomine tenētur, & regnorum ſucceſſionibus contrariũ jus eſſe,* Buchan. lib. 8. *Idq; in hac cauſa minus iniquum videri debet, cum ipſe* Vlpian. l. 7. de ſtat. hom. *in multis dixerit eſſe deteriorem conditionem mulierum, quam virorum, & ex l. Voconia mulier à locupletibus, etiamſi filia eſſet, ultra quadrantem hæres fieri prohibeatur,* Auguſt. 3. de civ. Dei c. 12.

De ſucceſsione ſpuriorum.

Excluſimus mulieres, de mente Ariſt. 2. polit. 7. *porrò videndum eſt de ſpurijs ſeu naturalibus, utrum illis quoq; ſucceſſio jure denegari poſſit. Res videtur plana ex legibus Romanorum, ubi naturalis non ſuccedit niſi in bonis maternis, & cum hac quidem exceptione perſona ſit illuſtris. Unde tripliciter contra ſpurios argumentari licet. 1. Si enim in privata hæreditate ſpurio ſuccedendi locus non datur, quantò minus in regno, à quo ipſum abigerent peculiares rationes, licet in privatis ſuccederet. 2. Cernit naturalis tantum hæreditatem maternam. Iam proxima diſputatione exemta ſunt regna ex hæreditate materna. 3. Deniq; excipitur perſona illuſtris, unde naſcitur hoc argumentum: Propter perſonæ magnificentiam, excluditur ſpurius ab hæreditate aliâs ſibi debitâ, ſcil. materna, quia ut ait* Bald. in l. cum legit. ff. de ſtat. hom. *ſordes non merentur poni inter præcipuos. Iam Principis perſonam maximè convenit*

eſſe

eſſe magnificam, quò autoritatem erga ſubditos ſibi conciliet. Non igitur in feudis principum datur ſpurijs ſuccedendi locus. Nec poſſunt hic ſpurij obijcere l. 5 §. 2. in fi. ff. de ſtat. hom. l. 6 de Decur. l. 2. §. nullum, ff. eod. *ubi ICtus ait patris delictum non debere filio pœnæ eſſe. Nam quando ſpuriis nihil de jure debetur, nullam vel pœnam ſuſtinent vel injuriam, ſi nihil accipiant, quia jure ſuo utuntur. Idq; de fortiori valet potiſſimum ſi legitimi extent hæredes, qui ex ſtirpe regia nati, jure agnationis imperij hæreditatem cernunt, cum ſpurij agnationem nullam habeant cum cognatis patris,* l. ſi Spur. 4. vnde cogn. §. vulgo concept. de ſucceſs. *Quin & hoc confitetur* Vlpian. l. Generaliter §. Spurios de Decurion. *dum ſcribit: Spurios quidem poſſe in ordinem allegi, nulla dubitatio eſt. Sed ſi habeant competitorem legitimè quæſitum, oportere eum præferri Divi fratres, Iuliano Avito Bithyniæ præſidi reſcripſerunt. Imò lex illa ad jus gentium ſine controverſia traductum fuit. Apud Perſas* ait Herod. lib. 3 *Nefas eſſe illegitimum obtinere regnum, ſi legitimus adſit. Demaratum exuit pater regnō, quod ſuſpitio ſaltem de eo eſſet ante nuptias conceptum fuiſſe.* Suid. & Herod. lib. 6. *Apud Macedonas, cū Perſeus Demetrium accuſaret, indignatur,* Liv. li. 40. Plu in AEmil. *legitimum filium deferri ab illegitimo. (Talis enim putabatur Perſeus) in eum finem, ne ſibi regnum anteverteret. Apud Suevos, Gothos, & Norvegios olim, vix licuit nothis inter honeſtos verſari,* Ioh. Magn. lib. 18. c. 6. *quippè quos etiā Lex divina à communione repellit,* Deut. 23. v. 2. *Apud Polonos Leſcus III licet naturales haberet 20. uni tamen Popielo regnum, cæteris externas imperij oras dedit regendas.* Bernhard. Vapov. in hiſt. Polon. *Vladiſlaus I. poſtea Sbigneum. Nothum in monaſterium detruſit,*

cui cum Boleslaus frater dimidium regni redderet, plurimis ſe intricavit bellis, Cromer. lib. 4. & 5. *Baſilius dux Muſcoviæ præterijt filium ſuū in electione ſucceſſoris, quod ſuſpicaretur ſaltem, ipſum ex adulterio Anaſtaſiæ uxoris natum,* Sigiſ. Bar. in hiſt. Muſc. *nec Albertus, Thuringiæ Landgravius potuit à ſubditis impetrare, ut Apitzium, ex concubina natum, pro legitimo hærede agnoſcere vellēt,* Rivand. in Chron. *Nam etiam non extantibus legitimis filijs, populi tamen non patiuntur ſibi imperari facilè à ſpurijs, quippe quos prima nativitas contemtibiles facit. Ita Parthi Phraatatem, Phraatis ſpurium filium ex Tharmioſa, de regno ejecerunt,* Sabel. li. 1. En. 7. *Iugurtha quoq; tandem à Numidis deſertus fuit,* Sal. in Iug. *Aimundus, nothus Aimundi Aimeſi, nunquam obedientiam plenam à Gothis obtinuit, quanquam per ſubſequens matrimonium legitimatus,* Ioh. Mag. li. 18. *Ita Frigatus Scaliger,* Volat 4. Gæog. *Gillus Scotorum rex, uterq; ſpurius, ſubditorum opera interijt,* Buch. li. 4. *Atq; hac lex obſervari propterea debet, ut ab adulteriis, & ſcortationibus licentia principum abarceatur. Vide* Ioh. Andr. c. grandi in voc. legitimo de ſuppl. neglig. præl. in Sext. Tholoſ. li. 7. c. 8.

D: Dominatu *A Regno, quod nuper abſolvimus proximè abeſt dominatus, inter regnum & Tyrannidem ambiguus. Sicut enim Dominus ſervos non intendit peſſundare, cum ſciat ſervorum perniciem tracturam ſecum totius domus ruinam: nec tamen eos primaria intentione curat, ſed quia aliter ipſe ſalvus eſſe nequit: ita dominus nec evertit ſubditos, quod eſt Tyrannorum, nec eorum ſalutem primam habet, quod eſt regum, ſed dum familiam ſuam intuetur, eamq; ſubſiſtere aliter non poſſe advertit, conſequenter deflectit curam ſuā*

ſecun-

ſecundariò ad ſubditos, à quibus propterea redamatur; quia Barbarorum talem naturam ait eſſe Ariſt. 3. polit. c. 10. *ut aliter commode vivere non poſſint. Accedit, quod cum libertatem non guſtarint, ignorantia bonorum ejus contineat homines in officio, ſicut Lacon reſpondebat Perſæ, hortanti, ut regi potius cum ſpe divitiarum ſerviat, quàm pauper in libertate vivat: Tu, inquit, ſi dulcedinem libertatis deguſtaſſes, aliter ſentires: nunc quia liber vivere neſciſti, reliquæ vitæ tuæ conſimilia ſuades.*

Domini verò nomen multifariam accipitur. Nam blandientis eſt, cum Virgilius 4. AEneid. *ſcribit: Et dominum Æneam in regna recepit, aut cum* Catullus: *Ad ſolam dominam uſq; pipitabat. (Sic enim legit* Giſanius*) Subjectionem alterius ſignificat, cum Sara virum vocat dominum,* Geneſ. 18. 1. Pet. c. 3. *quam imitata eſt Matidia Clementis mater,* Clem. lib. recognit. 9. c. ult. *Sic & Lucretia* apud Ovidium 2. Faſt. *Mittenda eſt domino, (nunc nunc properate puellæ) Quamprimum noſtra facta lucerna manu. Sic Nezennius Paulum ICtum vocat dominum* l. Nezen. ff. ad l. Falcid. & Anaſtaſius *regem Francorum Domini nomine citat, quo ſenſu hodie Principes domini nomine appellantur. Verùm hîc, ad imitationem dominij, quo paterfamilias utitur in ſervos, dominum accipimus, qui libertatis & fortunarum omnium dominus, jure belli factos, aut fœdere ſubditos, quaſi paterfamilias ſervos moderatur. Nam, quod* Speuſip. in definit. Platonis *definit dominationem, juſtum principatum nemini ſubditum, ad ipſum etiam regnum extendi poteſt.*

Dominum autem à rege & principe diſtinguit Ariſt. 3. polit. cap. 10. 4. polit. c. 10. *cum &* Plutarch. *teſtetur*

in vit

in vit. Alex. & Ariſtot. *ſolitum Alexandrum admonere, ut Græcos paterna pietate: barbaros dominandi majeſtate in officio contineret. Idem diſcrimen facit* Plin. in Panæg. *Sedem, ait, obtinet principis, ne ſit domino locus: & ante eum* Saluſt. in Iugur. *inquiens: Cum tute per mollitiem agas, exercitum ſupplicio cogere, id eſt Dominum eſſe, non Imperatorem. Ante utrumq; Philip. rex Maced. cujus fertur dictum: Malo diu bonus, ac commodus, quam brevi tempore dominus appellari,* Tholoſ. 6. de Repub. cap. 13. n. 9.

Regnum Perſarum.

Talis dominus erat olim rex Perſarum, de quo refert Plutar. in lib. ad princip. indo. *quod omnes pro ſervis habeat, excepta uxore, &* Strabo lib. 15. *ſcribit: Perſæ reges habent ex eadem ſtirpe, quibus qui non paruerit, capite aut brachio amputato projicitur. Hinc Perſæ à dedititijs ſolebant petere terram & aquam, ut ſe bonorum dominos indicarent, quæ cum peterent etiam à Lacon. & Athenien. illi legatos projecerunt in puteum, juſſos inde utrumq; petere,* Herod. lib. 7. *Hinc etiam magnificus ille faſtus regum Perſicorum, qui ſe ſubditis vix conſpiciendos præbebant, nec eodem cum cæteris utebantur potu:* Athen. lib. 4. Dipno. *indignumq; ſua majeſtate putabant, terram pedibus contingere,* Athenæ. lib. 12. *aut cum cæteris ire in militiam,* ut Marcell. ſcribit *de Perſis ſui temporis. Hinc faſtuoſa illa adoratio, quam Græci ſtrenuè refugerũt, ut duo Spartiatæ,* Herod. lib. 7. *Themiſtocles,* Plutar. in Them. *Conon,* Iuſti. lib. 6. *Calliſthenes,* Arrian. in hiſt. Al. *Tantum enim non Deos ſe putabant: prout ſcribit Sapor ad Conſtantin. Imp. Rex regum Sapor, particeps ſiderum, frater Solis & Lunæ.* Ammi. lib. 17. *& jam olim Darius dixit ſe regem regum, & conſanguineum Deorum, ut*

habetur

habetur in lib. 2. ſupplem. ad Curt. *Cambyſem hujus dominationis autorem facit* Plato 3. d. ll. *ubi ſcribit, eum τὸ δεσποτικὸν contra æquum & bonum invexiſſe.*

Talis dominus hodiè eſt Turca, cujus ll. caveri memorat Bodin. 2. de Repub. c. 2. *ne quis omninò dominatum affectet, aut ullius prædij dominum ſe dicat, præter Calipham Pontif. Max. Quin etiam familiarum dominium Imperatori aſcribit* Menau. lib. 4. c. 2. *dum ait per totam Græciam, Boſniam, Wallachiam, ex quavis familia tertium adoptari filium in militiam Ianitzerorum. Cum concuſſa eſſet Conſtantinopolis terræ motu, BajaZethes II. indixit in ſingula capita tributum, & fabrorum decimum quemq́ ſub pœna capitis ad reficiendam urbem convocavit.* Menau. lib 5. c. 14. *Apparet ſeveritas iſta dominandi in devictis hoſtib. tractandis. Roma. olim pacē dabant debellatis hoſtibus, ne eos priſtina dignitate prorſus exuebant. Poſt primum bellum Punic.* ait Flor. Ep. 19. *Carthaginenſibus pax data: nihil præterea. Philippo Maced.* ait Flor. lib 2. Rom. hiſt. c. 7. *conſul pacem dedit, regnumq́ conceſſit, imò* ut idem ſcribit lib. 3. c. 2. *nunquam Pop. Rom. hoſtibus domitis ſuam victoriam exprobravit. Athenienſes quid victis Samijs imperarunt, niſi Democratiam? quid Lacones Athenienſibus, niſi oligarchiam? At Turcæ, cui vel principi, vel urbi, vel regi victo, dignitatem & poſſeſſionem reliquerunt? Quanquam ſponte in deditionem Amurathis II. tranſierat Iohannes Caſtriotes, rex Epiri & Alban: tamen poſteritas ejus regno exuta fuit.* Marin. Barlet. in hiſt. Scanderb. *Nec Solymannus aliter pacem cum Ferdinando pangere voluit, quàm ſi Hungaria tota excederet, & Auſtriam Turcis tributariam faceret,* Iovi. lib. 40. hiſt. ſui temp.

Imperium Turcarum.

Imperium Aegyptiorum, Tartarorum, Africanorum, & Aſiaticorũ.

Talis fuit olim Sultanatus Mammelucorum in Ægypto, Mart.3. legat. Babyl. *& nunc eandem ſeveritatem imitatur M.Chamus Tartarorum, quem* M.Paulus *& ex eo* Boter. P.2. Coſmog.li. 2. *omnium dominum eſſe ſcribit, bonaq́ ſuorum ſubditorum decimare. Quoſcunq́ quandocunq́ vult, pro arbitrio ſuo educit in bellum, aut ad alia uſurpat officia, vt* Hatto Armen. in Tart.hiſt. Michou. 1.de Sarm.c.2.3.4.Pantal.in deſcrip.Tartar.inſinuant. *Qui ſunt Tartaris utrinq́ vicini, Chinenſes & Muſcovitæ, ſubſimili dominatu viuunt. Rex Chinæ,* ait Bote. p.2. Coſm.li.2.*ſolus eſt dominus in ſuo regno, ubi nomen ducũ, & comitum prorſus ignoratur. Is ſolus diſtribuit ſubditis bona, quantum cuiq́ vult. Rex Siannenſis, vt ex China enatus fuit, ita dominatum ſequitur. Subditi enim bona à manu regis accipiunt & veluti titulo locationis poſſident: uſumfructum cogit rex in ærarium.* Boter.2 p.Coſm.li.2. *Eandem dominandi rationem apud Narſingenſes & Inſulanos obſervari indicat* hiſtoria Indi.& peregrinationes Hiſpan. Magir.& Merca.in Coſmograph *adeò vt tota fere Aſia hodie regatur à dominis, recteq́ dixerit* Ariſt.3. polit.10. *Barbaris placere dominatum.*

Nam & in Africa Abyſſinorum rex, quem alij Prætorem Iohannem, alij Presbyterum M. utriq́ male, vocant, dominicè imperat. Bona fiduciæ nomine confert, quoties, quibusq́ voluerit: ſingulis annis accipit à ſubditis renovationem juramenti fidelitatis, nec patitur quenquam, præter regem, ſubditos habere. Ex familiis tertium filium in ſatellitium ſuum, ſeu militiam S. Antonij adoptat. Pluribus aliis oneribus lubentes onerat ſubditos, quæ vide apud Alvareſium, Horatium, Malaguccium, Damianum,

Iovium,

Iovium, Leonem, Boterum,&c. *Nec mitius ullo modo imperat Scriphius in regnis Marocci, & Feſſæ. Bona omnia Alcaidiarum, id eſt, vaſallorum ſuorum ad fiſcum trahit: filiis numerat ſtipendia: filiabus proſpicit de maritis, vt* iidem referunt. *Veriſimile eſt regem Adelenſium, quia inter principes Mahometanos primarius eſt, ad modũ Turcarum imperare. De cæteris ultra montes Lunæ regibus pauca nos docent navigationes Hiſpan niſi quod reges, vt Deos, obſervari ſcribant. Solus rex regni Borno, videtur ad regiam gubernationem propius accedere, ſi verum eſt, quod* Boterus *ſcribit, eum ſubditis bona omninò propria relinquere.*

In Europa hodie, præter Turcam & Muſcovitam, (de cujus dominatu vide Sigiſm. Baro. in Muſc. hiſt. & Iov. in deſcript. Muſc.*) dominandi ſeveritas expiravit, niſi quod ejus reliquiæ in feudis adhuc vivant. Feudum enim definit* Obertus de Orto 2. F 23 *quod ſit beneficium, ita alicui datum, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: uſuſfructus verò illius rei ita ad accipientem tranſeat, vt ad eum, hæredesq́ ſuos pertineat, ad hoc utile, vt ſui hæredes fideliter domino ſerviant.*

De veſtigio dominatus in feudis apud Europæos.

Brevius Azo tit. de iis qui feud. dar. poſs *Feudum eſt alicujus rei, inveſtitura interveniente, ſic conceſſæ ſeu datæ alij, vt dominium penes concedentem remaneat. Clarius* Ioh Raynud. in compr. feud. & Rebuff. in declar. feud. *Feudum eſt benevola & libera rei immobilis vel æquipollentis conceſſio, cum tranſlatione utilis dominij, proprietate retenta, ſub fidelitate & exhibitione ſervitiorum honeſtorum.*

Feuda igitur ex dominio nata ſunt, cum caput Reip. poſſeſſionem propriam & directam ſibi retineret, & utile dominium alijs indulgeret. Antiquitus ita erat feudum connexum in domini poteſtate, ut quando vellet, illud auferre poſſet: deinde in annos, mox in vitam fidelis, deniq; in hæredes & nepotes, lege Conradi, confirmatum eſt, c. Et quia 1. F. de his qui feud. dar. poſ. *& ita dominatus ſenſim decrevit.*

Videtur Attila in Germaniam invexiſſe barbarum dominandi modum, quippe, quem poſt pugnam Cathalonicam anno 450. Iſenachi juramentum fidelitatis ſumſiſſe à Catthis & Thyrigetis legimus. Rivand. in Chron. Tur. *Mox Odoacer, quem* Diacon. in Leon. *Rugorum regem vocat,* Chronicon. verò Saxon. antiquum *ex Barbienſi tractu ad Albim exurrexiſſe putat, occupata Italiâ, in Capitolio fecit ſe totius Ital. dominũ proclamari. Ejus veſtigia ſecuti Longobardi, & ipſi ex Germania oriundi, dominatum in Italia complerunt, feudorum uſum ibidem inſtituerunt, cujus & quædam veſtigia extant* in Speculo Saxo. *Unde pleriq; Feudiſtarum originem feudorum referunt ad Longobardos, licet à Gallorum Soldurijs* Conan. 2. com. 9. n. 6. *alij eam aliò derivent. Unde* VVeſenb. de feud. c. 3. n. 2. Borchol. c. 2. n. 2. Clar. q. 1. in §. feudum, Vulteium. Donell. &c.

De Tyrannide.

Longiſſimè à regno abit Tyrannis, omnium Rerump. deterrima, quia optimo bono opponitur 4. polit. c. 2. Alcin. de doct. Plat. c. 31. *Tyranni olim dicebantur, qui poteſtate erant perpetua in ea civitate, quæ libertati aſſueverat.* Æmil. Prob. in Miltiad. *Imò ipſum Iovem vocat.* Ariſtoph. in Nubi. *Tyrannum Deorum, nomine à Chaldæis Syrisq; deducto,* ut explicat Coel. lib. 22. c. 22 & Scholia-

ſtes

ſtes Sophoc. in Oedip. *Cum verò ſæpius abuterentur Tyranni ſua poteſtate, nomen unà cum re abijt in odium, ſicut nomen regis*, Liv. lib. 2. *& dictatoris apud Romanos*, C. c. 1. Philip. *& vexilliferorum, apud Florentinos. Noſtrum verò eſt ſequi conſilium* Pauli l. 18. §. Item κακαϐ. de inſtruct. & inſtr. leg. *& eo ſenſu interpretari Tyrannidem, quem illi hodiernus uſus impoſuit.*

Laert. lib. 3. in Plat. *ex Ariſtot. mente definit Tyrannum, qui per vim civibus imperat. Sed nec ea mens* Ariſtot. *eſt: nec cum veritate conſentit. Nam à Cyro Babylonij*, Herod. lib 2. *& Lydij*, Iuſtin. lib. 1. *ſæpius defecerunt, quod inviti ejus imperium paterentur, quem tamen* Xenoph. in Cyrop. *tanquam exemplar boni Principis proponit. Nec Domitianus propterea Tyrannus audit, quod magiſtratibus odioſus eſſet, quia, utut ſint cætera, illud factum uno ore ab omnibus laudatum fuit.* Sueton. in Domit. *Cæteri Politici ſolent congregare plura attributa, ex quorum concurſu Tyrannum conſtituunt.* Bartol. in tr. de Tyran. *10. notas affert, quem imitatur* Antimach. in præf. lib 2. & lib. 3. th. 15. *Plures addunt* Claudian. de bell. Gild. Bodinus 2. de Rep. c. 4. Althuſ. c. 14. polit. Tholoſ. 6. de rep. c. 18. Ioh. Marian. 1. lib. de reg. & reg. inſt. c. 5. *ſed hæ maximam partem aut vitia privata ſunt, quæq; ad Tyrannidem non pertinent: aut etiam Tyrannus naturâ poſteriora. Rectè enim* Philip. 4. Chron. *quanquam Henricus IV. ex vitijs nonnullis laboravit: non tamen propterea, ut Tyrannus, à Papa excommunicari debuit. Et ridicula ſunt vitia quibus* Iohannes Parvus in ſua orat. *oneràvit Aurelianum ducem, unicum regis fratrem, ut oſtenderet ipſum Tyrannũ eſſe & jure interfectum à Iohanne Duce Burgund.* Monſtrel. li. 1. c. 38. 39.

Quid ſit Tyrannus.

Tyrannus enim perſona publica eſt, & pro.nde ex publico officio æſtimanda, ſicut rectè Aver. tr. *3.* polit. *mentem* Ariſt. *aſſecutus eſt, licet ejus lib. polit. à ſe viſos neget* tr. 1. polit. *Opponitur autem Tyrannus regi: Et cum regis officium dicat Theodorus rex* apud Caſſio.lib. *1.* Ep *6. eſſe, omnem ſuam curam conſumere in Repub. quoniam* dicente Thom. li. 5. de regi. princ. c. 11. *rex creatur cauſa parentium: Tyrannus erit, qui negligit & ſubvertit bonum publicum, habita tantum ratione ſui commodi.* Thom. in com. 4. polit. Sene. 1. de clem. Sebaſt. Eri. diſp. 1. de Repub. *Huc enim quadrat uterq; Tyrannus* Bartol. tr. de Tyr. *in Titulo & Exercitio. Quanquam enim Cæſar leniter imperabat,* Flor. 3. hiſtor. Roman. *& Piſiſtratus ad Solonem ſcribebat, ſe leges non immutare:* Laert. in Solon. *quanquam Herodi Aſcalonitæ libenter fidem dabant Hebræi:* Ioſeph. 17 antiq. cap. 10. *tamen Tyranni erant in titulo, quia nullo titulo ad ſe trahebant, quod erat publicum.*

Tyranni vitia. *Hanc publici commodi ſubverſionem ſequuntur cætera vitia. Quia enim Rempub. in ſe transferre nequit Tyrannus, ſi leges, aut prudentes cordatiq; viri obſiſtant, tum hos, tum illas prius tollit. Adumbrarat hoc conſilium Periandro Thraſybulus,* ſi Herodoto lib. *5.* & Halyc. lib. 4. credimus, *aut huic ille,* ſi Ariſtot. 3. polit. cap. *13. Item Tarquinius Sup. filio, dum ſumma papaverum capita demetebat, per hoc, principes Gabiorum interficiendos eſſe, intelligi volens,* Flor. lib. 1. cap. 7. *Nec temerè illud negligendum putat* Ariſtot. 3. polit. 13. *&* Machiav. in lib. de pr. *novo principi ſimile dat conſilium. Nam ſi Syllam imitatus fuiſſet Cæſar, non aluiſſet*

ſuos

ſuos in Repub. homicidas. Ita Piſiſtratus ejecit prius potentiores cives, poſt Tyrannidem invaſit, Iſocr. in Panath. *Agathocles & Dionyſius ſenatores, autoritate majori præditos, interfecerunt,* Iuſtin. lib. 21. 22. *De Nabide ſcribit* Livius lib. 34. *Ne quid motus inteſtini oriretur, metu & acerbitate pœnarum tenebat animos, quoniam, vt ſalvum vellent Tyrannum, ſperare non poterat. Regula enim* Senecæ *eſt* in 1. Trag. *Quod civibus tenere te invitis ſcias, ſtrictus tuetur enſis.*

Sed, quanquam per ſe impium eſt, per injuriam aliorum ſtabilire principatus, nec illa crudelitas ſalvam præſtat Tyrannidem, quia auget odia hominum, per quæ plerique Tyranni pereunt. Caligula quidem quaſi odia ſuique deque haberet: Oderint, inquit, dum metuant, Sueton. in Cali. *& Tiberius: Oderint, dum probent,* Sueton. in Tib. *Sed & ille & Claudius, & Nero, Domitianus Commodus, Heliogabalus, Maximinus, Philippus, Andronicus, experti ſunt, difficulter cuſtodiri poſſe, quod à multis impetitur, Vtut n. multos interimant Tyranni, ſucceſſorem ſuum nemo interimit, ait Anton.* Vulcat. in Avid. Caſſ. *Dionyſius ex turri concionatus eſt, quod ſe populo non crederet. Tryzus vetuit quenquam cum quoquam loqui, vt conjurationis occaſionem omnem anteverteret.* Ælian. 14. Var. hiſtor. *Sultani Ægypti non paſſi ſunt ſubditos arma geſtare,* Mart. 3. leg. Babyl. *quib. & Scotis interdixit Donaldus Tyrannus:* Bucchan. lib. 4. *nec tamen ultorem ſuum vitarunt. Nec Domitianum ſolitudo, ex qua, niſi vt ſolitudinem faceret, non prodibat,* Plin. in Panæg. *aut porticus phengite lapide diſtinctæ,* Suet. in Domit. *nec alios externa præſidia defenderunt, quò minus verũ eſſet, reſponſum* Miſeria Tyranni.

Thaletis,

Thaletis, qui rogatus, quid in omni vita vidiſſet difficilimum: Senem, reſpondit, Tyrannum. Laert. in Thal. *Vſq; adeò Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci Deſcendunt reges, & ſicca morte Tyranni.* Iuven. Sat. 10.

Sed quia præſtat ſcelera ignorari, per gl. c. cum ſecun. de hæret. in Sex. *moroſius de Tyranno non agimus: Tantum depingendus fuit obiter, vt principes ab eo quàm longiſſimè ſe avellerent. Deterrere autem eos debet nõ tantum calamitoſus exitus, ſed & tota vita periculoſa, quam Dionyſius Damocli pulcrè in ſella depinxit,* Cicero 5. Thuſc. *Saturninus verbis expreſſit,* Vopiſc. in Satur. *Phalaris literis teſtatam reliquit.* in Epiſt. *In ipſa enim mente,* ait Tacit. 6. Ann. *Tyrannus aſpicit laniatus & ictus, quando, vt corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis, animus dilaceratur. Porrò autem poſt fata, nullus eſt locus, nullum tempus, quo funeſtorum principum manes à poſterorum execrationibus conquieſcant.* Plin. in Panæg. *Propterea Nero optabat, vt ſe moriente, terra conflagraret, ne poſteritas ſua ſcelera loqueretur,* Sueton. in Ner. *& Tyberius Cremutium accuſavit, quod in ſe ſcripſiſſet. Sed* Tacit. 4. Annal. *irridet ſocordiam eorum, qui præſẽti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriã. Nam contra punitis ingenijs, gliſcit autoritas, neq; aliud reges, aut qui eadem ſævitia uſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperere.*

Caput X.

De Ariſtocratia; Democratia & Rerumpub. inter ſe comparatione.

ABſoluta Monarchia, ad cæteras Rerumpub. formas progredimur, quando vel pauciores, vel plures ex univerſo ordine civium imperant. Priorem ſtatum Ariſtocratiam, ſi benè conſtitutus fuerit, ſi malè, Oligarchiam nonnulli vocant: poſteriorem Democratiam & communi nomine Rempub. vel ſtatum popularem. Quamvis enim Ariſt. 4. polit. c.4. neget ex numero imperantium deſumi horum ſtatuum diſtinctionem: tamen id ſupra à nobis ſatis demonſtratum eſt, quia, quicquid præterea ad diſtinctionem aſſumſeris, accidens eſt, & eſſentialem differentiam non facit. De Ariſt crat. & Democrat:

Diximus autem indefinitè ad Ariſtocratiam requiri pauciores, ad Democratiam plures ex civibus, quoniam certum numerum determinare non debemus. Plato quidem 6. de ll. ad ſenatum 30. viros mediæ ætatis ſeligit, vel quod plures prudentes inveniri inter cives poſſe deſperaverit, vel quod inter pauciores facilius, cum deliberatio inſtituitur, convenire ſoleat: totidemq́ in ſenatum ſuum allegerunt Lacedæm. Sed tamen & ex paucioribus & ex pluribus conſtiterunt Ariſtocratiæ. Crantzius ſcribit olim Saxones gubernatos fuiſſe à 12. comitibus: Thietmarſos præfeciſſe ſibi 38. primores, autor eſt ille, qui regis Daniæ expedit: in Thietm. deſcripſit. Circaſſiis adhuc ſeptem principes præſunt, Boter. part.2. lib.1. Sicut Belgis ſui Status, qui Ariſtocratiam conſtituunt, perinde vt & Lepidus, Octavius,

vius, Auguſtus, Triumviratum, Sueton. & Dion. in Auguſt. *Numerum Platonis exceſſerunt Thebani*, Thuc. lib. 3. *Megarenſes*, Thuc. lib. 4. *Epidaurij, ex quibus 180. imperarunt*, Plut. in Apopht. Græc. *Maſſilienſes, quorum ſenatum componit* Strabo *ex 600. civibus, Noribergenſes, quorum M. conſilium conſtat ex 300.* Senſau. lib. pen. de rebuſp. *Veneti, qui plures ad M. conſilium admittunt*, Ianot. de rep. Ven. Contar. li. 1. eiuſdem.

Differentiæ Ariſtocratiæ. Ariſtoteles 4. polit. c. 5. *Ariſtocratiæ & Democratiæ* c. 4. *quaſdam affert vulgatiores diverſitates, quas* Bodin. 2. de Rep. c. 6. *falsò allegatas, quaſi veras ſpecies impugnat, cum tamen accidentales in ijs proponantur tantum diſtinctiones, quæ vulgariter occurrere ſolent. Sicut enim in Monarchijs una prima eſt, ita & in Ariſtocratia & Democratia. Ariſtocratia benè conſtituta eſt, quandò optimi quiq; ad ſalutem civium gubernant: Democratia, quando univerſus populus, vel maxima ejus pars æqualiter imperat, ſecundum leges. Democratiæ enim potiſſimus finis eſt libertas, ſeu æqualitas civium*, 3. polit. c. 3. 5. polit. c. 1. 6. polit. c. 2. Machiav. 1. diſc. c. 2 *ſicut Romanos non ante quieviſſe videmus, quàm liceret plebi æqualiter cum patritiis magiſtratus adire*, Liv. lib. 4. *& Theſeus* apud Eurip. in Fab. ἱκέτιδ. *inter cætera bona Democratiæ numerat, quod liceat ibi tenuioribus civibus, nullarumq; opum, fortunatis reſpondere, cum malè ab ipſis audiverint: vincereq; in forenſi omni contentione minorem quemlibet amplum atq; opulentum, ſi cauſam meliorem habuerit. Sed legibus aſtringi oportet populum, quia, cum ratione alias uti neſciat, nec ex præſcripto virtutum imperare didicerit, facilè in quamcunq; partem impellitur ab ijs, quos* Ariſt. 4. polit.

4.polit.c.4.5.polit.c.5. *δημαγωγοὺς vocat:* Lambinus *interpretatur, quaſi leves tribunos plebis.*

Deficit paucorum ſtatus, quando in paucorum privos uſus, quæ publica ſunt, intervertuntur, ſicut 30. Tyranni, Athenienſibus imperati, Thucyd. lib.8. Iſoc.in Areop. *& Decemviri Romani, non tantum malo titulo dynaſtiam* (ſic vocat Ariſt.4. polit.c.5.) *adierunt, ſed & ea ad propria commoda abuſi ſunt. Democratiæ vitium eſt, quando improba plebs pro arbitrio ſuo omnia agit cum detrimento Reipub. aut primariorum civium, ſicut Helvetij ante annos ejecerunt nobilitatem,* Chron.Helvetior. *Itemq́; Florentini, qui & Donatum plebeium multarunt, quod ſe nobilium ſanguini per conjugium miſcuiſſet, ducta filia Hugutionis Fagiolani.* Platin.in Clem.V. *& Argentinenſes l. tulerunt, ne quis ſummos in civitate magiſtratus adipiſceretur, niſi ex cerdonibus, coriariis, aut id genus ſordidis opificiis gentem ſuam arceſſere queat,* Bodinus 6.de Repub. 4.

Explicatas hoc modo Reſp. jubet Ariſt.4.pol.c.1. *inter ſe conferre, ut, quam Politicus in condenda Rep. potiſſimū ſibi proponere debeat, pateſiat. Omnes autem ferè palmam dant Regno: id quod* Ariſt. *adeò certum putavit,* ut 12.Metaph.t.ult. *inde argumentatus fuerit ad unitatem Dei. In Deo, ait, ponendum, quod optimum* 8.Phyſ.t.48.1. de Cœl. t.110. *quoniam* Anſelm.c.3.proſol. *Deū oſtendit eſſe Maximum id, quod cogitari poteſt. Sed melius eſt unum præeſſe, ſecundum verſ.* Homer.2.Ilia. *εἷς κοίρανός ἔστω &c. Unde Tarquinij ad Porſennam dicunt,* ap.Liv.li.2. *Regnum eſſe rem inter Deos hominesq́; pulcerrimā, quod explicat* Cæl.lect. ant.li.4.c.25. *Unus igitur Deus eſt.* Iſocrat. *quoq́; licet in* Areop.& Panath. *pro Democr. & Ariſtocr. aliquid diſſerat:*

Comparatio Rerump.

i 2 *conſpicuè*

conſpicuè tamen Monarchiam præfert in Suaſ. ad Nicocl. *quod &* Plato *facit* in polit. *licet alibi ad aliam ſpeciem inclinare videatur. Conſentiunt* Herod. in orat. Dar. Max.Tyr. or.3. Stob.ſerm.45. Plutar.de 3.Reipub.gen. *Ex recentioribus* Patrit. 1. de regn. tit.13. de Repub. lib.1.tit.1. Pont.4.de obed. Siman.de Rep. lib.3.c.23. Cæl.Rhod.lib. 13. lect.ant. c.27. Thom.Mor. in carm. Tholoſ.5.de Rep. c.3.& 4. lib.13.c.12. Iun.q.4. pol. Bodin.6.de Rep.c.4.Caſ. 3.polit. c.7. Lipſ.2.polit.c.2. Caſtell. lib.1.de off. reg. c.2. Althuſ. c.32. polit. *Ex ICtis* Anton.Corſet. in tr. de Exc. reg.q.74..Luc.Pen. l. ult. C.de dela. lib.10. Albert.in proœm. ff. §. diſcipu. Covar.c.1.qq. pract. Tira.q.4. primo: *Conſentit jus Canonicum* c.in Apibus 7.q. 1. *Civile Romanum* l. 2. §. Noviſs.de ori. iur. *Hiſpanicum* in l.1.5. 7. t. 1. part.2. *Polonicum* l.1.a.1.c.1. li.Stat.1.&c.

Præſtantiam autem Monarchiæ, non ex vetuſtate cum Lipſio, *nec ex naturæ ductu,* cum Hieron.ad Ruſtic. Mona. *probo, ſed ex commoditatibus, quibus cæteras ſpecies anteſtat. Et Democratiam adeò vituperarunt nonnulli, vt eam inter prolapſas ponerent,* teſte Ariſtot.4.polit. *eandemq́ ridebat Anacharſis, quod ſapientes ibi decidenda proponant, ſtulti verò judicent,* Alex. ab Alex.li.4. Gen.dier.c.11. *Ariſtocratia, licet id mali effugiat, tamen in cæteris laborat unà cum Democratia. Si enim ab Epaminonda rectè dictum fuit: Vnicam civitatis defendendæ viam eſſe, ſi conſenſu & unanimi conſilio omnia tractarint cives,* Polyb.lib.4. *quis non videt Monarchiam præferendam? ubi unus rex à ſe non diſſentit, cæterosq́, ſi diſſenſerint, ad concordiam redigere poteſt, dum interim diſſenſionibus omnia conturbari in multorum imperiis neceſſe eſt. Voluntates enim hominum variæ ſunt,* l. 4. ff. ad SC. Tre-

ſ C. Trebell. *& Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.*

Atq; huc redit, quod Iuſtin.Mar.in Paræn.*dicit: Unius principatus à bellis, diſſidiiſq; liber eſſe ſolet: & quod* Tac. 1.hiſt. *ſcribit: Pacis interfuiſſe, ut deponeretur poteſtas in unum. Benè ab eodem dictum fuit,* 1. Ann. *diſcordantis ſæpe patriæ nõ aliud remedium fuiſſe, quàm ſi ab uno regeretur. Natura enim ipſa nos docuit, cum diviſio ducat ad corruptionem, conſervari & conſiſtere omnia in unitate, quod pulcré ediſſeruit* Dionyſ. de diu. nom.c.13. Aſclep.1. dial. ad Ammon. reg. Plotin.En.6.lib.9. c.1.Proclus de an. & dæm.c.32.42.*ex quo* Mornæus de ver.rel.Chriſt.c.2.*& Platonici oſtendunt unitatem Dei, quod omnia tendant ad unum. Quæ enim inter ſe, cum multa ſint, diſſentiunt, in uno conſentiunt. Ita multitudo Impp. ſæpe perdidit exercitum, quem Monarchia conſervavit. Teſtor pugnam Iſthmicam, quam Themiſtoclis & Euribiadis cõtentiones penè Perſis tradiderant,* Herod.li.8. *Platæenſem,* Herod.9. *Expeditionem Niciæ & Alcibi,* Plut. in Nic. *Victoriam Annibalis ad Trebiam ex Sempronij & Scipionis diſſidiis relatam,* Polyb.li.3. *ad Cannas, ex Terentij & Pauli.* Id: *à Minutio, ex ejus à Fabio Max. diſſenſione partam.* Plut.in Fab. *Propterea* Thuc.li.2. *ſcribit, quam diu Pericles ex ſua unius ſententia res Athen. gereret, tam diu eas benè proceſſiſſe, poſtea diſſenſione prætorum peſſum iſſe.*

Profectum eſt hoc conſilium ex oraculo, quod Phrygiis aliter conſuli non poſſe putabat, quàm ſi regem crearent. Halicar.& Patrit.d.loc. *Idq; Romani magno cum commodo in creando dictatore ſecuti ſunt.* Hierony.c.in Apib.7. q.1. *allegat incunabula Romæ. Roma, inquit, ut condita eſt, duos fratres ſimul reges habere non potuit, & parricidio*

dedicatur. Licet enim interdum ſententiæ multorum conſentiant, tamen res ſæpe non patitur moram, donec ſententiæ colligantur. Si enim Themiſt. & Ariſtides: Si Scipio & Fabius ſententias diu diſputare vellent, urgente periculo, hoſtis occuparet portas, priuſquam illi, quid agendum, concluſiſſent. Si Athenienſes & Tegeatæ apud Plateas diutius de loci prærogativa diſputaſſent, perdidiſſent victoriam, Herod.lib.3. *Propterea dicebat* Eurip.in Androm. *Vnius poteſtas ſit & in re domeſtica & in Rep.* & Vlpian l.3.§.Apparet.de admin.& peri.tut. *ait, prætori curæ fuiſſe, ne tutela per plures adminiſtretur, quia facilius unus & actiones exercet & excipit, prout patet in tutoribus Hieronymi, Tyranni Syracuſ.* Liv.24. *Conſtantini Leonis filij,* Zonar. in Alex.& Conſt. *Henrici IV. &c.*

Præterea magnum Reip. munimentum eſt, conſilia haberi ſecreta. Nam propterea Romæ abrogatus eſt mos admittendi pueros in ſenatum: Cato in orat.ad mil.cont. Galb. Gell.li.1.c.23. Macrob.1.Sat.6. *& mulieres in univerſum ſecluſit ſenatus, poſt Heliog.* Lampr.& Herod.in Heliog. *quod, ut Portia Catonis uxor faſſa eſt, ſexus muliebris fragilis ſit ad arcana ſervanda, quod etiam oſtendit abundè hiſtoria Fulvij,* apud.Plut. περὶ ἀδολεσχίας, & Tacit.1.Ann. *Quin &* Alciatus *in* Emblem. *Minotauri cæcitatem & latebras, de conſiliis occultandis interpretatur. Sed in Ariſt. & Democ. vix poſſunt conſilia tegi, quia multis communicantur. Quæ verò à multis ſciuntur, ab aliquibus ſaltem evulgantur.*

Deniq; incommodum hoc premit Ariſtocr. & Democr. quod ad pleraq; officia cogantur uti vicarijs magiſtratibus. Magiſtratus verò non præſumuntur tantam habituri curam Reip. atq; ipſi reges, quippe, cum hi curent Remp. ferè

ut ſuam

vt ſuam, illi vt alienam. Nec verò hic boni facilè queunt magiſtratus eſſe, quia ubi æqualitas, in Democratia ſpectari ſolita, requirit omnes admitti, ſæpiſſimè inidoneos officiis præponi neceſſe eſt: & licet idonei fuerint, coguntur tamen abdicare, priuſquam rationem benè adminiſtrandi didicerint, vt cæteris ſcilicet cedant locum. Iſoc. in ſuaſ. ad Nic. *Ne dicam de votorum corruptionibus & ambitu, quem quot legibus prohibuerint Romani,* apud Sigon. li. 2. de iudic. c. 30. *legere eſt: nec tamen quicquam profecerunt. Nam Marius modios argenti plenos in forum attulit, vt ſuffragia emeret.* Plut. in Mar. *& paulò ante Cæſaris dictat: cum propter competitorum vim, & corrupta vota nulli magiſtratus creari poſſent, ſolus Pompejus factus eſt conſul.* Plut. in Pomp. *Unde* Plato *Democr. vocat nundinas venales, quia paupertas & ignorantia impellit populum,* Xeno. in rep. Athen. *vt quod uno die velit, altero nolit, ſicut Athenienſes tantum non uno die Mytilenæos damnarunt & abſolverunt.* Thuc. li. 3. *Omitto factiones, quas contra ſe mutuò excitant cives in adeundis magiſtratibus, &c. Hæc enim omnia in Ariſtocr. & Democr. utinam non nimis crebrò eveniunt: in Monarchia verò prorſus locum non habent, ubi unius manu, ſine cuiuſquam gratia, gubernantur omnia.*

CA-

CAPUT XI.

De ſumma poteſtate & Iuribus Maieſtatis.

De maieſtatis jure.

POſtquam ſpecies Rerumpub. ſic ſatis copioſè explanavimus: conſequens proximè eſt, partes earum, & ex quibuſcunq; benè conſtituuntur, ſubijcere. Quia (verba Thomæ ſunt 1.p. q.85. a.3.) cognoſcere aliquid, in quo plura continentur, ſine hoc, quod habeatur propria notitia uniuſcuiusq; eorum, quæ continentur in illo, eſt cognoſcere aliquid, ſub confuſione aliqua. Partes verò proximæ, ex quibus conſtatur Reſp. ſunt Imperantes & Subditi, cum Reſp. ſit ordo imperantium & parentium: de quibus vt ordine agamus, Imperantibus primum locum dabimus. Sunt enim principium & caput Reip.

Quid ſit ſumma poteſtas.

Imperantes autem intelligo non quoſvis, ſed qui propriam poteſtatem ſine ſuperiori poſſident. Magiſtratus enim ſunt inſtrumenta, per quæ ſumma poteſtas imperium ſuum exequitur, atq; adeo poteſtate utuntur communicata. Hæc poteſtas vocatur ſumma ſeu majeſtas, eò, quod ſuperiorem in Repub. non agnoſcat. Nec verò majeſtas ſoli regi attribuenda eſt, cum Tholoſ. lib.9. de Repub. cap.1. Sed cuivis Reipub. perfectæ. Peccavit enim Conradus Badoarius, dux Venet. quod à Conrado Imp. jus ſignandæ monetæ acceperit: Volat.4. Gæog. Item Sebaſtianus Cianus, quod ornamentis regijs paſſus ſit ſe indui à Barbaroſſa, & Alexandro III. Papa: Contar. lib.2. Repub. Venet, quaſi Reſpub. & hæc & alia jura majeſtatis ex ſua autoritate uſurpare non potuerit. Falſa enim eſt opinio Mart. Laud. q.51. de crim. læſ. mai. Venetos accepiſſe libertatem ex pri-

ex privilegijs Imp. ſecundum Bal. in c. ſicut de iureiur. *cujus contrarium diſputat* Iaſon ad l. Cunctos popul. n. 8. de ſum. Trinit. *Poſſemus & de Polonorum & alijs regibus illo Neronis uti: Neſciviſſe eos, quantum ſibi licuerit, dum Miezislaus I* Michou. li. 2. c. 1. *& Vladislaus I. regio titulo uti abſtinuerunt, ad Papam pertinere rati, vt regium diadema conferret, ad quem etiam legatos miſerunt, licentiam corona vtendi petitum.* Crom. li. 5. *Quantò rectius Premislaus, qui ſine cuiuſquam conceſſione, cum ſummam in ſe poteſtatem tranſtuliſſet, regem ſe vocauit.* Crom. li. 11.

Ea enim eſt ſummæ poteſtatis natura, vt ſuperiorem agnoſcere ſine implicatione contradictionis non poßit. Supra quod enim aliquid ſuperius eſt, illud ſummum non eſt, ſicut argumentantur Algaz. & Auer. diſ. 5. *ad ſummitatem Dei oſtendendam. Quibus enim, vt* ſcribit Liu. 31. *populus Rom. hunc honorem habebat, vt Reges, ſocij & amici vocarentur, vt Deiotaro,* Cicer. Pro Deiot. *Syphacis filio.* Liu. li. 31. &c. *illi poteſtatem ſuam jam perdiderant, niſi quantum beneficio populi Rom. requirebant. Atq; ita, qui, cum reges vocentur, alterius tamen imperio tenentur, perfectam & illibatam poteſtatem non habent, qualis erat Rex Danorum, tum temporis, cum Friderico I. Imper. his verbis fidem daret: Rex Danorum Magnus ſe in poteſtatem Imp. tradidit, obſides dedit, iuramentum fecit, ſe ſucceſſoresq; ſuos, non niſi Imp & ſucceſſorum eius permiſſu regnum adepturos.* Tritheim. c. 17. Summam poteſtatem eſſe legibus ſolutam

Summam enim poteſtatem convenit à ſuperiori poteſtate, & per conſequens à ll. liberam eſſe, Alberic: Gentil. in Regal. diſp. 1. *quia ll. rectè vocabat* Seneca *virtutes armatas, quod malos hominum mores in ordinem cogerent.*

rent. l. legis virtus de ll. *Armantur igitur leges à vi ſuperioi, alioquin meritò ridendæ, vt leges leporum, in Leones lata ex fabula Antiſthenis.* 3. Polit. c. 13. *Superiorem autem potentiam maieſtas non agnoſcit: ergo nec leges, quæ ſunt ſcita potentiæ ſuperioris. Vnde* Vlpian. l. Princeps. ff. de ll. *Ius Imper. Romani eſſe ſcribit, non ſubijci legibus ex cuius iuris abundantia de ſe ſcribit* Iuſtinian. Nou. 105. c. 2. §. ult. *Omnibus à nobis dictis, Imperatoris excipitur fortuna cui & ipſas Deus ll. ſubijcit legem animatam committens hominibus. Jam olim enim* Dion lib 53. teſtatur liberatum *fuiſſe Imperatorem à ll. conceſsione populi.*

Seruius quidem Tullius ll. tulit, quibus ipſe obediat, Taci. 3. Annal. *& legati Scotorum* apud Buchan. lib 20. *diſputant regem ſubijci legibus, quod unicum* Iunius Brutus in vindict. cont. Tyran. Iohan. Marian. 1. de reg. c. 9. *oſtendere nititur. Alij diſtinguunt inter ll. ad contractus pertinentes & cæteras.* Cujac. lib. 15. obſerv. c. 30. *caducariis tantum legibus exolvit regem. Res verò ita ſe habet: Quia poteſtas in ſua Repub. ſumma eſt, nullis poſitivis, in Rep. latis ll. cogi poteſt. Nam leges erunt in eam latæ, aut à ſuperiori, aut à ſubditis, aut ab ipſa majeſtate. Non primum, quia ſuperiorem non agnoſcit: non ſecundum, quia implicat contradictionem, ſi ſubditi dent leges, quas accipere debent: nec deniq; tertium, quia nemo habet in ſe imperium, vt ait* Vlpian. l. ille à quo, §. Tempeſt. ad Trebell *aut nemo poteſt ſeipſum cogere,* l. Quod aut. §. uxori de donat. int. vir. & uxor. *Vnde Tiberius dicebat: Non aliter conſtare rationem, quàm ſi nulli reddatur: & M. Changius, quando regnum init, Mea vox, ait, pro gladio, pro ſecure futura eſt,* Bodin. 1. de Repub. c. 8.

Quò

Quò tendit & illud Cicero pro Rabir. *Regum imperia ſcito: dicto pare,&c.*

Exoluit autem prædicta ratio regem tantum à ll. poſitivis, quod ſupremus ſit in Repub. nihil autem obſtat, quò minus ſubjectus maneat Dei & naturæ legibus, quorum reſpectu adhuc civis eſt, & quibus inſtar aliorum civium obtemperare cogitur, ut oſtendit Auguſti. c. quæ contra diſt. 8 Obrecht. in diſput. de Regal. &c. Limitatio.

Quod enim Cambyſi reſponderunt conſiliarij, regi jus eſſe, quicquid fecerit, Herod. lib. *3. quodue noverca Caracallæ ſuggerebat, meditanti adulterium, ſed leges adhuc reformidanti: An neſcis te Imperatorem eſſe, & dare, non accipere leges, aut, quod de Papa ſcribit* Bal. in c. cum ſuper de cauſ. prop. & poſ. *Papa eſt ſupra, contra & extra jus,* Spart. in Caracin. *eo nimium attribuitur licentiæ regiæ, quæ ſpectatur tantum erga ſubditos, non erga naturam & Deum, quorum leges ſunt ſuperiores. Et ſanè ſi Caligula dicat, à matre reprehenſus: Mihi omnia licent, voci Tyrannicæ ignoſci poſſet, ſed Anaxarchus Philoſophus meritò accuſandus eſt, quod Alexandrum conſolaturus, etiam homicidium Cliti regi licitum fuiſſe dixerit. Ius enim Iovi & regi eſſe, quod videatur* Arrian. in hiſt. Alex. *Contra Dei enim & naturæ ſtatuta, ſummæ poteſtati nihil licet.*

In ſua verò Repub. dicente Saluſt. in Iug. *regi impunè quidvis facere liceat, ita ut à legibus cogi nequeat, aut prohiberi: tamen* Tacit. 4. Annal. *malum vocat eum, qui ex magna fortuna præter licentiam uſurpat. nihil. Non enim omne, quod licet honeſtum eſt:* l. Non omne, de R. I. & Cicero ait pro Balb. *Eſt aliquid, quod non*

oporteat, etiamſi licet. Vnde Claudian. *Theodoſium admonet: Nec tibi, quid liceat, ſed quid feciſſe decebit, Occurrat, mentemq́ domet reſpectus honeſti: recteq́ ſcripſit* Symmach. lib. 2. Ep. *apud Imp. plus debere valere juſticiam, quàm licentiam. Rex enim non eſt, niſi vir bonus, vt ſupra oſtendimus: ideoq́ honeſtatem, licet non coactus, ſequi tenetur, licentiamq́ ſuam legibus alligare, quod in ijs juſticia & cæteræ virtutes contineantur,* Thom. 1. 2. q. 96. *Atq́ hoc profitentur Theod. & Valent.* l. 4. C. de ll. & conſt. prin. *dignam vocem eſſe, majeſtate regentis, ll. ſe alligatum profiteri: majusq́ quoddam imperio, ſubmittere ll. principatum, quod verſibus expreſſit* Germanus Vates lib. 8. de reb. geſt. Frider. *Nam nihil, vt verum fateor, magis eſſe decorum, Aut regale puto, quam legis jure ſolutum, Spontè tamen legi ſeſe ſupponere regem. Non enim id dicunt, quod ſcribitur* c. Iuſtum diſt. 9. *juſtum eſſe, vt principatus ſubijciatur legibus, ſed quod magis commendet Imp. ſi de ſuo jure recedens, ſe legibus alligatum confiteatur, cum non ſit, ſicut de Trajano ſcribit* Plinius in Panæg. *In roſtris ſimili religione, ipſe te legibus ſubjeciſti: legibus Cæſar, quas nemo principi ſcripſit. Ita enim hanc ſententiam explicat Alex.* l. ex imperf. C. de teſtam. *ubi* Salycetus, *quem* Autor incert. in tr. de crim. læſ. majeſt. q. 5. nu. 5. 2. part. pract. Crim. *excellentiſſimum doctorem, & præcipuum veritatis inveſtigatorem vocat, ait: Licet Imp. legibus ſit ſolutus, vivere tamen vult legibus.*

An contra poteſtatem regis ſit, iurare in leges.

Cum hæc ita ſint, & jam ſecundum Socrat. *licentia ſæpe reges corrumpat, quia,* ut habet verſic. Publii Syri apud Macrob. 2. Sat. 7. Gell. lib. 17. c. 14. *Cui plus licet, quàm par eſt, plus vult, quàm licet: conſuetudo introduxit novum modum per jusjurandum continendi eos intra virtutum*

tutum limites. Quanquam enim dicente Alphonſo, tantum valere debet ad fidem, principum verbum, quantum privatorum hominum juſiurandum: Anton. Panor. lib. 1. de dict. & fact. Alph. Apoph. 58. *& Areopagitæ non ſiverunt Xenocratem jurare, rati nefas eſſe, viro bono etiam injurato non credere*: Viv. in Aug. 8. de civit. c. 12. *tamen ſubditorum aliqui tam vilem de principib. imbiberunt opinionem, ut ſine juramento iis fidem non habeant: eoq; incitavit eos fraus & fallacia nonnullorum principum, qui libertate in detrimentum Reip. abuſi fuerunt.*

Diverſa autem ſunt juramenta. Nonnulla obligant principes ad leges Reipub. & exiguntur ab iis legibus, ut ab Imper. Germanorum, in aur. bull. Carol. IV. *Rege Polon.* lib. 1. Stat. c. 2. a. 2. *Danorum, &c.* Lauterb. lib. 1. de Repub. c. 15. *Ea imminuunt jura majeſtatis in principe, quia is, quæ caput eſt majeſtatis, poteſtate leges ferendi ſe privat, dum promittit ſe immunitates, privilegia, leges, &c. ſervaturum, ſicut* Xenoph. de Repub. Lac. in fin. *reges Lacedæm. teſtatur ſingulis menſibus coactos fuiſſe in leges jurare. Qua de cauſa Caſimirus III. Polon. difficulter adduci potuit, ut juramentum præſtaret,* Crom. li. 22. *cum adverteret, eo majeſtatem ſuam labefactatum iri. Alia verò obligant tantum ad honeſtatem, ſeu Dei & naturæ ll. nec majeſtatem imminuunt. Tale fuit olim regum Gall. juramentum: Iuro per Deum omnipotentem, & promitto, me juſtè regnaturum, judicium, æquitatem, ac miſericordiam facturum,* Bodin. 1. de Repub. c. 8. *Henricus quidem V. Anglorum rex: in ll. jurare coactus fuit, ſed, quia alienigena, fortioribus circumſcribendus erat vinculis, ſicut & Carolo V. Germani,* Sleidan. lib. 1. *& Henrico Andium duci Poloni, leges poſuerunt graviores. Imò ne rex quidem*

k 3 fuit

fuit, ſed Rector Franciæ, vt A Emil. ſcribit lib. 10. & Autor Chronolog. Gallor.

Sed ad ſummam poteſtatem redimus, quam diximus ſuperiori imperio & ll. ſolutam. Thom. 1. 2. q. 96. Iohan. de ter. Rub. in tr. cont. rebel. ſuor. reg. Anton. de Roſeil. in tract. de Concil. Petr. Antibol. in tr. de Muner. Damhud. in pract. crim. c. 82. n. 49. & ſeqq. Obrecht. in diſp. de Regal. Alber. Gentil. de Regal. diſp. 1. Tiraq. in tr. Retract. & gl. 8. num. 175. ll. connub. Bodin. 1. de repub. c. 8. *Qui igitur alterius imperio ſe feudatarios faciunt, ſicut Bretzelius Bohem. Friderico I. Imp.* Aene. Sylv. in hiſt. Bohem. *Iohannes Balliolus Scot. regno Angliæ*, Buchan. lib. 8. *Iohannes Ang. Eccleſiæ.* Polyd. Virg. in hiſt. Ioh. *Rex Siliciæ eidem* c. paſtoral. de ſent. & re iud. in Clem. *majeſtati ſuæ detrahunt, cui nihil tam repugnat, quàm ſubijci, imprimis ſupplicum in modum, ſicut Vaſalli adire coguntur dominum*, c. 3. lib. 5. ſtat. Polon. *Ottocarum enim vt ignominia afficeret Rudolphus Imp. in genua proſtratum, feudumq́; petentem ſpectatoribus detexit*, Munſte. 3. Geog. *Vnde, vt hanc ſubjectionis notam effugerent duces Auſtriæ, inter cætera privilegia obtinuerunt, ne cogerentur præſentes inveſtituram petere*, ut Cuſpinia. ex Archiu. refert. *Regibus enim* ait Tacit. 2. Annal. *æqua, nedum infima inſolita ſunt: & hæc cauſa fuit Balliolo, quam propter Edvardi poteſtati ſe ſubtraxit, quod coram ſedente cogeretur ipſe ſtans cauſam orare*, Buch. li. 8.

Crimen læſæ majeſtatis.

In hanc quoq́; ſummam poteſtatem committitur crimen læſæ majeſtatis à ſubditis c. paſtoral. de ſent. & re iud. in Clem. *Quod enim* AEgid. Perr. in ſum. d. c. *crimen majeſtatis committi ſcribit in prælatos, magiſtros, principes,*

uiver

univerſaliter accipi non debet, cum crimen majeſtatis tantum pertineat ad eos, qui ſunt membra majeſtatis, l. Quiſquis C. ad l. Iul. mai. *Vnde* Plinius in Panæg. *Domitianum ridet, quod crimina majeſtatis in arena colligeret, ac ſe deſpici & contemni putaret, niſi etiam gladiatores ejus venerati fuerint, in quibus ſuam divinitatem, ſuum numen violari interpretabatur. Apud Polonos majeſtas non læditur, niſi in perſona regis*, li. 1 c. 1. a. 4. l. 6. *Sed & ad illos extendi poteſt, qui majeſtatis quaſi partes ſunt*, per d. l. Quiſquis. *Alioquin rectè dictum fuit* à Mart. Laud. q. 1. de crim. læſ. mai. *In ducibus & proceribus non habet locum, vt delinquens contra eum ſtatum, puniatur ſecundum formam*, l. Quisquis, C. ad l. Iul. Mai. ſecundum Alber. de Roſ. d. l Quisquis, *puta, niſi princeps non recognoſcat ſuperiorem. Sed & alterius principis tanta poteſt dignitas eſſe, vt in eum æquè graviter, ac in majeſtatem peccetur. Sed hæc diſputent ICti, nos pergemus ad jura majeſtatis, ex quibus ſumma poteſtas conſtituitur ſimul & cognoſcitur.*

Ex ijs verò jurib. quæ præponuntur 1. Sam. c. 8. c. unic. quæ ſint Regal *præcipua eſt poteſtas ferēdi leges. Summæ n. poteſtatis eſt imperare, imperatur a. magna ex parte legibus. Eas igitur in manu ſummi principis cōſiſtere oportet, alioquin nullam vim habituras, niſi munirentur autoritate illius, qui plenitudinem imperij poſſidet. Diſtinguendum n. inter legumlatores, quibus facta eſt poteſtas conſcribendi leges, ſine confirmatione ſummæ poteſtatis non valituras, & inter illos, qui autoritate ſua leges roborant. Ita Xviri ſcripſerunt leges Roman. ſed tabulas prius in foro expoſuerunt, vt ab omnib. approbarentur:* Li li. 3 *nec vim juris habent, niſi confirmatæ ab Imp.* l 2. & 3 C de vet. iur. enucl. Primum ius maieſtatis.

Priſcin-

Præſcindunt ſibi hoc majeſtatis caput illi principes, qui jurejurando promittunt ſubditis, ſe nihil ex privilegijs vel ll. mutaturos, aut innovaturos, ſeu qui ll. caducarias ferunt, cum clauſula, in perpetuum valituras. Succeſſoris enim potentia nequit anteceſſoris ſtatutum præjudicare, nec tenetur, qui cum ſumma poteſtate eſt, anteceſſoris acta confirmare. Adrianus quidem Papa perficit, quod Nicolaus eius prædeceſſor diſpoſuerat, c. Adrian. *2.* d. 63. *&* *Gregorius confirmat Mariano, Archiep. Ravennati ea, quæ ejus prædeceſſor conceſſerat,* c. Quia 12. q. 5. *neuter tamen ad id lege coactus fuit, ſed quia æquum & Eccleſiæ utile videbatur. Quæ enim benè ſtatuta ſunt, propter honeſtatem ſervanda ſunt ſucceſſori, non propter vim legis. Ita* Tacit. *ſcribit* 1. Anna. *cum ageretur, an hiſtriones virgis cedi poſſent, valuiſſe autoritatem Auguſti, qui id negarat, neq; fas Tiberio dicta patris infringere. Alias idem Tiberius nolebat beneficia principum aliter vim habere, niſi ſucceſſores ea rata haberent.* Tranq. in Tiber. *Et quod Fridericus & filius eius Henricus VI.* de pace Conſtant. *Mediolanenſibus regalia nonnulla & privilegia concedunt, jubentes, ut ea poſſideant quietè, ſine contradictione ſucceſſorum,* Baldus in verb. ſucceſſorum *ita interpretatur, non quod imp. injungat ſucceſſori, ne privilegia imminuat, ſed quod ea tantiſper valere velit, quam diu ſucceſſor non contradixerit Imperator enim poſterior, ait, prædeceſſoris ſui factum abrogare poteſt,* l. *2.* C. de vet. iur. enucl.

Appendix. *Huc pertinet poteſtas ſolvendi aliquem à ll. & irrogandi privilegia, quia eiuſdem poteſtatis eſt, illigare & eximere legibus. Privilegia verò ſunt leges privatorum, quaſi privatæ ll.* ut Iſid. lib. 5. Etym. c. 18. *ait. Nam privilegium*

vilegium inde dictum, quod in privato feratur. Cicero 3. de ll. in fin. *ait: In privatos homines irrigari noluerunt: id enim eſt privilegium:* Et pro dom. *Vetant leges ſacratæ, vetant 12. tab. leges privatis hominibus irrogari. Id enim eſt privilegium. Nec enim privilegium tantum vocatur exceptio à jure, ſed & irrogatio pœnæ aut edictū contra aliquem latum, ſicut* Cic. pro dom. *privilegium, ait, de ſuo capite latum, innuens, legem Claudiam, qua decernebatur contra eum quæſtio.*

Pertinere hanc poteſtatem ad majeſtatis capita, ipſe Cicero 3. de ll. *oſtendit: dum ait: Privilegium ſine maximo comitiatu non irroganto. In hoc enim reſidebat majeſtas: & per hunc Pompeius ſolutus fuit omnibus ll.* Plut. in Pomp. *Poſtquam majeſtas depoſita fuit in ſinum Imp. id quoq; juris unà tranſiit. Nam Conſtantinus ait:* l. Inter 1. C. de ll. & conſtit. princ. *Soli ſibi licere inſpicere interpretationem inter æquitatem & jus interpoſitum: & Theod. & Valent.* l. 3. C. eod. *non ab alijs, ſed à ſeſe aiunt ll. obrogatum fuiſſe. Licet quidem, quia præcipua juſticiæ & æquitatis, quàm ſtricti juris ratio habenda,* l. Placuit. 8. C. de iudic. *judicibus legem mitigare.* l. ius. a. 7. ff. de iuſt. & in l. Salvius 6. ff. de legat. præſt. *Sed manifeſtè ei obrogare ſummæ poteſtatis eſt, aut cui illa id negotij dedit.*

Et jure poſſidet majeſtas poteſtatem remittendi & condonandi ſcelera, quatenus non repugnat ſanctionibus divinis & l. naturæ, quibus princeps obrogare nequit, quia naturalia jura civilis ratio corrumpere non poteſt, l. Eas 8. ff. de cap. min. *Poſſidet item legitimationem, quam* Martianus l. qui in provinc. §. ult. de rit. nupt. *Marco & Lucio Impp. tantum aſſcribit, Innocentiusq; III.* c. per vener. Qui fili. ſint legit. *eius tantum eſſe ait, qui ſuperiorem*

l agno-

agnoſcit neminem. Item natalium reſtitutionem, quam Nov. 78. *vocat* παλιγγενεσίαν, *ſeu regenerationem civilē: Eam enim* Scævola l. Quæris de natal. reſtit. *ſanctiſſimo & nobiliſſimo Imp. aſſignat.*

Secundum ius maieſtatis. *Deinde pertinent ad majeſtatem, ſummum imperium & jurisdictio ſine provocatione, quia fruſtra ferrentur leges, niſi qui eas ferret, haberet poteſtatem exequendi, & in delinquentes animadvertendi*, ut ait Iacob. VI. lib. 2. βασιλ. δωρ. *Provocatio verò. quæ eſt*, dicente Prilul. in cóm. lib. 4. ſtat. c. 25. *jurisdictionis inferioris judicis per legitimam invocationem ſuperioris, in eodem judicio factam ſuſpenſio, ſemper cum ordine magiſtratuum aſcendit; donec ad ſummam terminetur poteſtatem, in qua & ipſam figi & deſinere neceſſe eſt. Vnde* Vlpian. l. Tractand. A quib. app. non lic. *ſtultum putat eſſe, admonere, à principe appellari non poſſe. Sic Valerius ad pop.* Livius lib 2. Plut. in Publ. *Veneti ad M. conſilium*, Ianotr. de Repub. Venet. *Poloni ad conventus regni*, li. 4. ſtat. c. 25. 27. *provocationes terminarunt, quod ubiq; provocationis terminus ſequatur majeſtatem.*

Tertium. *Hinc tertio loco fluit poteſtas inſtituendi magiſtratus. Nam qui imperio & jurisdictione utuntur precaria magiſtratus, nequeunt ea aliunde accepiſſe, quàm à majeſtate, quippe cujus propria ſunt. Hinc* Ariſt. *magiſtratuum collationem regio juri aſſignat: &* Polyb. li. 6. *ut oſtenderet penes plebem Roman: aliquid majeſtatis manſiſſe, utitur tali argumento: quod contulerit magiſtratus, quo argumento idem ſupra de plebe Laced. demonſtravimus.* Zonar. *enim ait: Creatio magiſtratuum pars maxima eſt muneris Imperatorij. Ex eodem jure profectum eſt, quod tradit* Chaſſanęus ad rubr. des juſtices n. 106. *Regem Galliæ poſſe*

poſſe tollere omnes juriſdictiones, ſi vellet, in ſuo regno, quippe, qui ſupremus dominus eſt, c. per venerabilem §. inſuper, qui fil. ſint leg. Nicol. Boer. de ſeditioſ. q.6. num.17. *& Francus à legibus Roma. quiq; dedignatur legibus ſubijci, & ſola ratione intellectus regitur*, ut ait Bald. conſ. 227. in 3. part. *In Hiſpania quoq; oſtendit* Co. var. 1. c. qq. pract. *juriſdictiones vacantes adjudicari fiſco*, l. 2. & §. t. 1. part. 2. *& conferri à rege in nobiles, alioſúe magiſtratus, argumento, quod eorum autoritas à rege dependeat, ſicut &* Caſſiod. 1. & 2. Epiſt. *ſemper ſcribit Theodoricum ſuo conſenſu magiſtratus approbare.*

Quartum jus conſiſtit in exigendis tributis & vectigalibus, quia tributa præſtare, eſt probatio ſubjectionis, c. omnis an. de cenſ. *quo argumento Chriſtus Phariſæos quoque convincit. Eſt autem tributum*, ſecundum Varronem, *pecunia populo imperata, quæ tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur. Conſtitutio feudalis ita habet*, cap. un quæ ſint regal. *Ad Regalia pertinent angariarum, parangariarum, & plauſtrorum & navium præſtationes & extraordinaria collatio ad feliciſſimam regalis numinis expeditionem. Angariæ ſunt munera perſonalia, quæ definit* Hermogen. l. 1 §. Illud de mun. & hon. *quod corporibus, labore, cum ſollicitudine animi & vigilantia fiant. Parangariæ ſunt, ex quibus præſtantur operæ & pecuniæ, &c.* Quartum.

Hæc & id genus alia licet majeſtati exigere, quia, omnia ſunt Principis, c. ditat. 23. q. 5. *non tantum quoad tuitionem*, ut dicit gloſ. in c. Jus milit. diſt. 1. *Sed & aliter*, ut explicat Seneca 6. de benefic. c. 4. dum ait:

jure civili omnia regis ſunt : & tamen illa, quorum ad regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & unaquæq; res habet poſſeſſorem ſuum. Itaq; dare regi & domum & mancipia poſſumus, nec donare illi de ſuo dicimur. Tantum licet regi pro Reipub. utilitate tributa imperare. Mancolinus apud Scotos, Boëth. in hiſt. Scot. *& Henricus III. apud Anglos,* Polyd. Virg. in hiſt. Angl. *pupillorum bona, quoad uſumfructum fiſco vindicarunt, ſed in eo ad dominatus ſeveritatem accedunt. Nam Publicola orphanis & viduis omne tributum remiſit,* Plut. in Pub. *Servius à divitibus tantum matronis æs in milites exegit.* Halycar. lib. 4. *Sed inter tyrannidis Dionyſii notas refert* Ariſt. 2. Oecon. *quod cogitaverit reditus orphanorum fiſco adiudicare.*

Tangit Iuſtin. No. 149. c. Ac ſane. *aliam rationem tributi exigendi, quod impoſſibile ſit, ut ſacris tributis non illatis, alioqui Reſpub. conſervetur. Item* Arcad. & Honor. l. 10. C. de vect. & com. *concedunt vectigalia, quæ dicunt à civitatibus comparata ad anguſtiarum ſuarum ſolatia. Nec enim quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt,* Tacit. 4. hiſt. *Ex iiſdem,* ait Imp. d. Nov. *muri & civitates reſtituuntur, aliaq; commoda Reipub. procurantur, ut quæ à ſubditis contribuuntur, partim in ipſos, partim propter ipſos impendantur. Cur igitur tributa detrectent ſubditi, cum ejus ſit ſentire incommodum, qui ſentit commodum, oporteatq; ſumtus eum facere prius, qui quærit lucrum.*

Oſtendit autem hæc ratio principi licere tantum tributa imperare ad publicas utilitates, cum ipſe DEVS Deuter. 17. *vetet reges luxu & prodigalitate ſudores ſub-*

ditorum

ditorum decoquere. Pravum enim eſt, privatim largiri, quod avidius de Repub. ſumas, Tacitus 2.hiſt. *& Alexand. Seu. nefas eſſe dixit, vt diſpenſator publicus, in delectatio-nes ſuas, ſuorumúe converteret, id quod provinciales de-diſſent*. Lamprid.in Alex. *Boleslaus quoque I. Polon. aie-bat: Malle ſe gallina veſcentem, ſalutem & tranquillita-tem ſuorum civiumtueri, quam delitijs indulgentem pati, vt quiſquam opprimeretur*. Cromer. lib. 3. *Mediocritas enim, ſi ullibi alias, in tributis ſpectanda eſt. Multi enim Principes pecunijs acerbè conquirendis plus invidiæ ſibi, quàm virium, addiderunt*, Tacit.3. hiſt. *Vulgus enim pecunias amat vita impenſius, vt Timocles ait* apud Sto-bæ. *ideoq́, citius ſe vita, quàm pecunia exui patitur. Vnde Romani bello Punico ſec. pecuniam mutuò à civibus ſumere maluerunt, quàm tributum extorquere*, Livius lib.26. *Et Mahometh. in agone id unicum conqueſtus eſt, quod ſemel injuſtum tributum exegerit, vnde* Comin.lib.10.bel.Gall. *infert: non licere principi, niſi ſumma urgente neceſſitate, nova tributa imponere.*

Nota eſt fraus Heliogab. qui Dijs ſuis fecit nuptias, vt ijs pro dote pecuniam elaboraret, Herod.in Eleog. *Fla-vius ab vrina precium emunxit*, Zon. Vol. 2. Xiphili. in Flav. Veſpaſia. *Conſtantinus M. ſi Zoſimo credimus, Chry-ſargyron introduxit: Baſilius Porphyrogeneta* ἀλληλέγγιον. Conſtit. Baſil. *Margaretha, regina Norwegiæ, Daniæ & Sueciæ, certam pecuniam pro quavis jumenti cauda exe-git, pro foco quolibet florenum, marcham I. Stockholmien-ſem à quovis conjugio*. Ioh.Mag. lib.21.cap.19. *Taceo in-numera, Indictionum, tributorum, ordinariorum & extra-ordinar. capitationum, Annatarum, &c. nomina: Illud*

Illud certum eſt, optimos quosq; Princ.pes tributis minimè ſtuduiſſe. Anaſtaſius Chryſargirum, Evagrius lib.3.c. 39. *Romanus Argyrus Allelengium,* Conſtit.uni. Rom. *Theodoricus rex pauperi ſolitam penſionem remiſit.* Caſſiod.7.Ep.45. *Romani Cappadociæ in provinciam redactæ poſt Archelaum reg. bonam partem tributorum indulſerunt,* Tacit.2. Annal. *ſicut & Tiberius,* Sueton.c.32. *Iulianus,*Marcel.lib.25. *Trajanus,*Plin.in Panæg. *Antoninus Pius,*Oroſ.li.7.c 15. *Quin etiam concilium Baſileenſe Annatas ſuſtulit,* Sleid.lib 4. *eaſdemq; detrectavit Sigism. rex Polo. an.1443.*Stat.Pol.li.1.c.4.a.5.t.15.

Revera enim, qui depauperat ſubditos, Rempub. totam depauperat, quia tantum eſt Principis, quantum omnium, Plinius in Panæg. *& præterea ponit ſe in odium & inimicitias, quia, qui nimis emungit, elicit ſanguinem,* proverb.30. *Hinc tot ex ſevera tributorum exactione ſeditiones. Cum primi Athenienſes ſocijs injungerent tributum, hi defecerunt,* Thucid.lib.1. *ſicut & ſocij Carthaginenſium, eadem de cauſa,*Polyb.lib.1. *Quid referam hodiernum Belgij ſtatum, quid Helvetiorum? ubi ſi imperator Luculli factum in Aſia ſecutus fuiſſet,* Plut. in Luc. *harpyasq; iſtos repreſſiſſet, nunquam illi ab imperio ſe avulſiſſent, nec ruſtici Suevici occaſionem habuiſſent conturbandi principatus, ſi primo petitionis eorum capiti, quo remiſſionem tributorum flagitabant, indultum fuiſſet. Leviſſimum vectigal eſt ſalinarium, cum tamen Livius cenſor illud bello Pun. indiceret, propterea contumelioſè Salinator dictus eſt: & Darius Perſa Inſtitor, quod tributum primus exegiſſet,*Herod.li 3.

Quintum. *Quintò accenſet* Frideri.c.un. quæ ſint reg. *Armandias, id eſt, jus tractandorum armorum, quod conſiſtit*

non

non tantum in cura armamentarij publici, unde apud Rom. ituris in bellum arma adminiſtrari ſolebant, Cicero pro Rabir. *ſed & in poteſtate diſponendi & ſtatuendi de indicendo ducendoq; bello, de qua* Plato in 12. de legibus *ſanxit: Si quis conſilio ſuo absq; autoritate communi pacem inivit, aut bellum movit, ultimo ſupplicio condemnetur. Quæ enim univerſam Rempub. attinent, ſine periculo privato cuipiam concedi nequeunt; Unde in ll. 12. conſtitutum erat*, referente Martiano l. Lex ff. ad l. Iul. maie. *quod & reſcripſerunt poſtea* Valent. & Valens l. Nulli C. ut armo. uſ. *ne cuiquam inſcia & inconſulta majeſtate, quorumlibet armorum movendorum copia tribueretur. Nam qui in manu ſua habent arma, in eorum arbitrio eſt, ut maneat, vel non maneat Reſpub.* 7. polit. c. 9. *Extat apud* Plin. l. 34. c. 14. *edictum Pompeii in tumultu necis Clodianæ, prohibentis ullum telum in urbe eſſe, & l. Iul. de vi publ. tenebatur, qui arma, tela domi ſuæ, agroúe in villa præter uſum venationis vel itineris vel navigationis coëgerit*, l. Iulia ff. ad l. Iul. de vi publ.

Sextò accenſet idem vias publicas, flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, theſauros in publicis locis inventos, res pro derelictis habitas. Quæ enim nullius propria ſunt, aut dominum perdiderunt, ad univerſalem dominum pertinent. Huc pertinet venatio, quæ jure naturæ, regale quippiam non eſt, ſed longa præſcriptione in Principes derivata, ut ſuorum laborum inde quoddam traherent ſolatium. Ruman. in tr. de venat. *Item confiſcatio bonorum damnatorum. Caduca enim bona fiſco cedunt*, ait Caſſiod. 5. var. Ep. 24. *Denique ad jura majeſtatis pertinet jus ſignandæ monetæ, quia publicæ utilitatis intereſt, ut huic rei benè proſpiciatur.* Sextum.

Hinc

Hinc majeſtatis tenetur, qui numeros corrupit, l.2.de falſ. mon. *& Commodus Perennem pœna capitis affecit, quod nummos publicos ſua imagine ſignaſſet*, Herod.in Comm.

Solebat enim in acclamatione Impp. interdum & hoc repeti: Monetæ nomen Antonino reddatur, AEli. Lamp.in Sever. *quo argumento, cum quidam firmum dixiſſet latrunculum fuiſſe, non principem, demonſtrat alter fuiſſe principem, cum & purpura uſus fuerit, & percuſſa moneta Auguſtus vocitatus: Quinq; etiam nummos Severus Archontius protulit.* Vopiſc.in Firmo. *Quin & de Vngaris ſcribit* Otto Friſing. *Nullus in tam ſpatioſo ambitu, rege excepto, monetam vel telonium habere audet. Sed horum jurium nonnulla, quæ poteſtatis minus habent, ſolent ſubditis communicari, ut jus ſignãdæ monetæ multis Germanorum civitatibus indultum eſt, & Pruthenis à Polonis:* lib.2.Stat.c.6.a.2. *jus extremæ provocationis datũ eſt Senatui Rom. ab Adriano* l.1.§.ſciendum, à quibus ap.non lic. *& Senatui Mediolanenſium à Carolo V.* Conſt. Mediolan.c.de Senat. *Sed poteſtas de omnibus ll. ferendi, aliaq; poteſtatis plena jura, ſine diminutione majeſtatis nequeunt ſubditis attribui. Hoc eſt, quod Hiſpanorum ICti dicunt: Majoria non tranſit ad ſubditos.* Covar.c:4.quæſt.pract.

CA-

Caput XIII.

De iis, qui ſummæ poteſtati ſubiiciuntur.

EXplicata majeſtate, de ſubditis agendum eſt, non tantum, quod relata ſe mutuò explicent & definiant, 5. Topic. quoniam correlatum eſt terminus eſſentiæ relati: A-ver.tr.3. Ep.Metaph. ex categ. Ariſt.c.de relat. *ſed etiam quod poſt caput, cæteris membris locus debeatur.*

Quicunq; verò in Repub. vivunt, aut peregrini ſunt, aut incolæ, aut indigenæ & veri ſubditi. Peregrinus, ait Feſtus 8.de verb. ſign. *apud antiquos dicebatur hoſtis, & qui nunc hoſtis, perduellis. Nunc enim hoſtem definit* Pompon.l.118. de V.S. *qui nobis, aut cui nos bellum indiximus. Indicat enim* Cicero cont.Rull. & 1.de offi. Caius l.quos nos de V.S. & Varro 4. de ling.Lat. *Hoſtis, ait, verbo ſignificabant peregrinum, qui ſuis uteretur legibus, nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. Nos peregrini nomine intelligimus hoſpitem, qui in aliena verſatur Rep. ubi nec domicilium habet, nec Reip. pars eſt.* De Peregrinis.

Lycurgus tales homines in ſuam non admiſit Remp. Plutarch.in Lycurg. *ſicut nec Solon, qui tamen exules excepit,* Plutarch.in Sol. *vel ne civium vitam malis moribus inficerent,* ut Xenoph.putat in Repub.Laced. *vel ne arcana Reipub. perveſtigarent. Propterea enim Honorius & Arcadius* l. Mercat.C.de com.& merc. *vetuerunt Perſicos mercatores promiſcuè nundinas exercere in imperio Roman. ne arcana alieni regni ſcrutentur: quo pertinet lex antiqua: Hoſpes murum ne aſcendat, id eſt, ſecreta civitatis non cognoſcat.* Cicero lib.2.de Orat. *In promptu* An ſint admittendi.

ſunt exempla Zopyri, Herod. lib. 3. Sinonis, Virg 2. AEn. Demarati Spartiatæ, Iuſt. lib. 2. Amilcaris Carthaginenſis, Iuſt lib. 21. & aliorum, qui ſub perſona hoſpitum proditores occuluerunt. Imò Ariſt. 5. polit. c. 3. novem civitatum exempla profert, quibus peregrinitas infortunium creavit, additq́ue: ὅσοι ἤδη συνοίκους ἐδέξαντο ἢ ἐποίκους, οἱ πλεῖστοι ἐστασίασαν.

Nec parum facere videtur ad ſtabilitatem ducatus Moſchorum, & regni Chinenſium, quod peregrinos omnes repellant, Sigiſm. Bar. in hiſt. Muſc. Boter. 2. p. Coſmog. Moſcovita ne quidem ſuos ſinit facilè peregrinari, ne libertatis dulcedinem foris edocti, dominij ſeveritatem domi excutiant. Nam primus Gaogarū rex, majeſtate regia, quam Tombuti conſpexerat, illectus, ſimili ſe majeſtate domi munivit, & patriam libertate exuit, quod facturus non fuiſſet, niſi apud exteros regnorum conditionem didiciſſet, Leo Afer. Hinc Machia. li. 1. diſ. c. 6 & 2. diſc. lib. c. 3. ſtabilitatis Reipub. Rom. & hanc reddit rationem, quod peregrinos non receperint, contrà quam ſentit Cicer. pro Balbo. & Nero apud Tacit. 11. Annal.

Hoſpitalitatem quidem tùm ipſum naturæ jus nos docet, ut ait Ariſt. 8. Ethic. c. 1. tum jus divinum Exod. 22. Levit. 19. Nam & Heſiod. 1. op. & die. in hoſpite religionem violari opinatur, & Horat. Od. 13. lib. 2. ſceleſtiſſimum hominem deſcripturus, Illum, inquit, parentis crediderim ſui Fregiſſe cervicem, & penetralia Sparſiſſe nocturno cruore Hoſpitis: Itemq́ue Ovid. 1. Metam. inter ſcelera ſumma numerat, quod nec ſit hoſpes ab hoſpite tutus. Germani etiam fas non putabant, hoſpites violari, qui quaq́ue de cauſa ad eos venerant, injuria prohibebāt, ſanctosq́ue habebant: ijs do-

ijs domus patefaciebant, victumq́ communicabant, Cæſ. 6. de bell. Gall. *quorum beneficentiam imitati ſunt in regno Hieroſol. Templarij, Teutones, Hoſpitarij*, Æmil. li. 5. de reb. Franc. Volat. de ſacr. ord. Cicero 2 de off. in fin. *addit rationem Politicam: Rectè, inquit*, à Theophraſto *laudata eſt hoſpitalitas. Eſt enim valde decorum, patere domus illuſtrium hominum illuſtribus hoſpitibus, idq́ & Reipub. eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in noſtra urbe non egere. Eſt etiam vehementer utile ijs, qui honeſtè multa poſſe volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus & gratia. Ne dicam peregrinos ſæpe profuiſſe Rebuſp. vt Hermodorũ Ephe. Romanis*, Liv. li. 3. *Pomponium Atticum Atthenienſibus*, Cornel. Nep. in Pomp. *Callimachum Italum Iohanni Alberto Polo*. Crom. li. 30.

Sed ſi temerè quivis peregrinorum admittantur, periculum eſt, vt pravis moribus corrumpant cives, aut vt hoſtes recipiantur pro hoſpitibus. Propterea lege caveri vult Ariſt. 7. polit. c. 6 *quos oporteat admitti, quos non: & Athenienſes decreverunt Mytilenæos omnes trucidare, cum viderentur aliquid contra Remp. moliri. Pari jure ſævitum eſt in Iudæos Cracoviæ anno 1408*. Crom. lib. 16. *per totam Thuringiam*, Rivand. in Chron. *itemq́ in tractu Argentinenſi*, Munſter. 3. Gæog. *quod veneficiis & iniquis uſuris hoſpitium violarent. Mitius aliquantulum egit Philippus Rex Franciæ, qui ob eadem vitia illos ex regno ejecit*, Platin. in vit. Clem. V. *Nam & ſic æquiores fuerunt Germani in Templarios, quàm Galli, quod eos convincere prius, quàm condemnare vellent*. Id. ibid. *Iniquiſſimum autẽ eſt, quod Mithridates, quia Romanis utebatur*

m 2 *hoſtibus,*

hoſtibus, uno die omnes apud ſe peregrinantes Romanos interfecit. Flor.lib.3. c.5. Stadi. in com. Valerius ſcribit 80000. occiſa. Appian. Alex. de bel. Mithrid. 15000. Totam hiſtoriam refert Auguſt.3.de civ.Dei,c.22.& Viu.in com. Idem Manuel Comnenus in Venetos eadem de cauſa ſtatuerat, niſi illi decreti executionem præoccupaſſent, Nicet.in Annal. Comn. 7.

Jus enim hoſpitij tam diu ſervatur, quàm diu ab hoſpite nihil timetur, nec is hoſpitio ſe indignum præbet. Hoſpitis autem officium eſt, dicente Cicer. nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alieno inquirere, minimèq; in aliena Repub. curioſum eſſe: Et Auguſtin. Ep. ad Ianuar. quæ eſt 118. Item lib.3. confeſſ. c.3 citatus c. Quæ contra diſt 8. & c. Illa autem diſt. 12. monet peregrinos, ut in ijs, quæ Deo & naturæ non repugnant, ſequantur conſuetudinem loci, ſicut ait quæd. gl. c. Illa di.12. ſuper ver. ſocietate, & eadem gl. in c. Quæ contra diſt. 8. ſuper ver. peregrini quærit: Nunquid ſcholares & peregrini teneantur ſequi conſuetudinem illorum, inter quos morantur, ad quod facit tex.c.1.diſt.41.in pr. itidem ex Auguſtino deſumtus.

An peregrinis officia publica committenda.

Qui verò jus peregrinorum ita interpretantur, quaſi melius, quàm civium, eſſe debeat, niſi de prolapſa Repub. intelligant, errant. Apud Ægyptios quidem, cum Sultani per fas & nefas ſubditos omnis generis oneribus premerent, Martyr.3.legat. Babyl. melior fuit conditio peregrinorum, unde Florentini, ſimili modo onerati, rogationem tulerunt ad principem, ut ſibi liceret eſſe peregrinis. Bodin. 1. de Rep. c. 6 Sed in legitima Rep. iniquum eſt, peregrinos anteferri indigenis, ſicut Boleslaus dux Majo Polon. an. 1264. Iudæos non tantum veris ſubditis æquavit, ſed in mul-

in multis prætulit, quod Caſimirus M. poſtea anno 1343. à concubina Heſther exoratus, confirmavit, & Alexander inter ſtatuta ſua repoſuit. Erat & apud majores Roma, ut ſcribit Maſurius Sabin. lib.3. iur. civil. *in officiis primus locus datus tutelæ, deinde hoſpiti, deinde clienti, tum cognato: ſed hæc conſuetudo ita decrevit, ut Ælius & Antonin.* l.1. C. de hæred inſt. *vel in hæreditatibus adeundis nullum locum reliquerint peregrinis, quod tamen Friderici II.* in nov. conſtit. § omnes peregrini *mitigavit, reddens peregrinis jus teſtamenta condendi, hæredes inſtituendi, & hæreditates cernendi, &c.*

Quin & Athenienſes, cum ſociis μετοίκιον *imperarent, cives liberos reliquerunt:* Demoſt. contra Neær. *cujus meminerunt etiam* Poll. & Harpoc. *&* Plin. in Panæg. *viceſimam, tributum facile & tolerabile, extraneis olim hæredibus rectè impoſitam ſcribens, innuit horum & inquilinorum non eſſe parem rationem habendam in exigendis tributis. Porrò autem civibus debetur à tota Repub. defenſio, cum ſint partes, ſine quarũ incolumitate Reſpub. incolumis eſſe nequit: peregrinis non item, quamvis ſociis. Nam Romani Campanis contra Samites ſuppetias prius ferre recuſarunt, quàm legati dicerent: Itaq; populum Campanum, urbemq; Capuam, agros, delubra Deûm, divina, humanaq; omnia in veſtram, patres conſcripti, populiq; Romani ditionem dedimus, quicquid deinde patiemur, dedititij veſtri paſſuri.* Liv. l. 7. *Rationem ſi quis quærat, argumento* Ambroſii *utatur* l.3 de off. c.7. *qui peregrinis propterea benefaciendum putat, quia ſæpe nobis benefaciunt: multò igitur magis præ peregrinis eſt benefaciendum civibus, quia ibi tum vita, tũ opibus, tum omni eo, quicquid poſſident, Remp. ſibi obligarunt.*

Hinc conſequitur, Senatum Rom. apud Tac.11. Annal. *Neronem meritò accuſare, quod exteros in honoribus anteferret inquilinis, quia, qua ratione turpius negligimus amicos, quàm inimicos, eadem turpius deſerimus indigenas, & preſumus extraneis. Vnde* AEmil.3. de reb. geſt. Franco. *ſemper ſcribit cives iraſci, ſi ſibi præficiantur alienigenæ: &* Patrit.3. de Repub.ti.2. Caſ.5. Polit.in dub. c.3. *inde includunt, non eſſe alienigenis magiſtratus mandandos, quod cives ſemper putent ſe contemni, ſi ab alienigenis regantur, libentiusq́ obediant ſuæ nationis & ſanguinis hominibus, quàm extraneis. Nam Tyrij maluerunt viliſſimo homini ſui generis obedire, quàm alienigenæ,* Sicul.lib.*17.*& Dlugoſſus in pr. hiſtor. Polon.*ex eo conjectat Cracum non fuiſſe Romanum, quia videbantur Poloni ſibi potius cõquilinum præficere voluiſſe, quàm advenam. Neſcio enim an ulla Gens ſuperſtitioſius inquilinorum, & vt ipſi vocant, poſſeſſionatorum rationem habuerit, dum Ludowicus, anno 1374. Iagello, an. 1433. Caſimirus III. an. 1454. Alexander, an. 1505. Sigiſmundus anno 1507. 1519. 1538. exteros ab honoribus Eccleſiaſticis & ſecularibus prorſus excludunt, cumq́ Callimachus Italus apud Iohan. Alber. in honorem eſſet, cum maxima ſemper depugnavit invidia.* Crom.lib.30. *Rixam propterea ejecerunt proceres cum Caſimiro, quod Teutonibus magiſtratus conferret:* Michou.lib.2 c.13. *eademq́ de cauſa Miezislaum ſenem ſecunda vice regno exuerunt,* Crom. lib.7. *& Boleslaum Calvum ducatu Vratislavienſi,* Crom.lib.8. *Ludowicum perpetuo odio proſecuti ſunt, quod ſine interprete adiri non poterat.* Michou.lib.2.

Nec minores inde natæ ſunt turbæ in alijs regnis. Wilhelmus Neap. rex, cum Gallis nimium faveret, effecit, vt Gal-

vt Galli uno die omnes à Neapol. trucidarentur. Iun. 1. p. q. 15 *& Albertum Sueonum regem conjecerunt ſubditi in carcerem, quod per exteros omnia ageret,* Ioh. Magn. lib. 11. *Scoti maluerunt Angliæ fidem offerre, quàm Franciſci Delphinatis legibus teneri,* Buchan. lib. 16. *Quid referam indignationem T. Manlij, ſacrilegium vocantis, ſi exteris magiſtratus communicentur: Audi, ait, Iuppiter hæc ſcelera: audite, jusq́, fasq́, peregrinos Conſſ. & peregrinum ſenatum, in tuo, Iuppiter, augurato templo, captus, atque ipſe oppreſſus, viſurus es?* Liv. lib. 8. *Revera enim jus divinum* Deut. 17. *vetat peregrinum regem eligi, idem dictum quoq; de magiſtratibus cæteris. Nunquam enim alienigena tantam præſumitur curam habiturus Reipub. atq; inquilinus, quem patriæ amor ad diligentiam majorem admonebit, & quod in Repub. ſuos ſit relicturus heredes. Ludowicus certè Vngariæ diligentius præfuit, quàm Poloniæ, quam vix à limine ſalutatam deſeruit: & Henricus Andium dux Poloniæ prorſus valedixit, vt ad domeſticum regnum rediret.* Homberg. in Chronolog. & in Epiſt. Henr. ad Proc. *Vnde Archiepiſcopus Trevirenſis contra Moguntinum obtinuit, hoc argumento, vt Carolus regi Galliæ præferretur,* Sleidan. li. 1. *imprimis, cum exteris viam jam præcluſiſſet* Carolus IV. in aur. bull.

Accedit, quod magiſtratibus debeant civium mores cogniti eſſe, qua in re Probum Imp. laudat. Vopiſcus, *quod omnium, quibus imperaturus erat, hominum mores perdidicerit, Sed indigena concivium mores multò rectius noſcet, quàm peregrinus, quippe cum eorũ mores ex ſuo poſſit metiri ingenio. Deniq́, & illud* Machiav. li. 1. diſ. c. 25. *argumentum aliquid roboris habet, quod novus rex novas*

inducat

inducat leges & mores. Inducere autem novos mores, non neceſſarios ad rectitudinem vitæ, eſt inducere diſcordiam, & in decret. *dicitur: diſcordiam parit præſumtio novitatum.* Nicol. Boër. de ſeditioſ. n. 2. *Vnde apud Carthag. olim & Syracuſanos* Diodor. li. 11. *magiſtratus tantum dabantur familiis civium vetuſtioribus, & apud Maſſilienſ. τιμῦχος, nemo creabatur, niſi & liberos haberet, & ex civium ſanguine per tertiam generationem ortus eſſet.* Strab. li. 4. *Conſentit* c. Hortamur diſt. 71. c. Bonæ memor. 4. ſ. fin. de Poſtulat. prælat. l. in Eccleſ. C. de Epiſc. & Cler. l. Div. 24. ff. de tur. & cur. dat. ab iis &c. *Item* Statutum Caroli VII. reg. Franc. An. 1431. factum.

Nec obeſt, quod Machiav. lib. 2. diſc. c. 3. *contra diſputat, nec quod Philippum pulchrum aut Carolum V. reges Gall. movit, vt civibus præficerent alienigenas, ne cives præ indulgentia nimis remiſſè agerent, aut nimis ſeverè propter privata odia,* Guagnin. li. 9. *Nam ſi ſuſpicionibus agere fas eſt, magis timendum ab extero, ne præ odio civium in ſeveritate peccet: à cive verò tantopere non metuendum, modo ſit vir bonus, qualem oportuit eligi. Florentini quidem, Lucenſes, aliæq; civitates Italiæ, cum Gibellinorum & Guelphorum factionibus agitarentur, coactæ fuerunt alienos ſibi præficere magiſtratus, eò quod inter factiones convenire non poterat, ex utra eligi debuerint: Sed quia hac impulſiva deſtituuntur Veneti, mirum eſt, quare vim belli tantum exteris committant.* Contar. lib. 5. de Repub. Venet. *Nam quod Tyrannidem timent à cive, eam multò magis timere habent ad alienigena, quem oſtendit* Polybius *facilius, majoribusque & minus probroſis incitamentis, contra Reipubl. libertatem excitari poſſe.*

Sed

Sed vt ad peregrinos redeamus, cum illi quidem omnimodò non ſint obſtricti Reipub. ne poſt violatam fortè juſticiam impunè ſe ſubtrahant, inventus eſt alius modus, retinendi eos in Repub. Arreſtum vocant, aut repreſſalias, utrumq́ barbarè. Turneb. 12. Adu. c. 1. & in com. Varr. de ling. Lat. ſuper verb. Feciales, *clarigationem interpretatur. Quanquam enim clarigatio ſignificat repetitionem rerum per fecialem: tamen, quod & jus prehendendi complectatur*, ex Livio lib. 8. *patet, ubi ſcribitur, Veliternos per clarigationem tam diu detentos fuiſſe, donec præfinitum æs exoluiſſent Imp.* Iuſtin. Novel. 52. c. 1. *vocat* ἐνεχυρασμὸν*: vulgò vertunt pignorationem, quam cum* ἀνδροληψίᾳ Demoſthenis *coincidere putat* Budæ. in poſt. annot. ad П. *Fortaſſe non abſimile fuit jus prehenſionis, quod* Gell. lib. 13. c. 12. *tribunis pleb. ſine jure vocandi conceſſum ſcribit.* Clarigatio.

Poſt peregrinos ſunt Incolæ, quos Pompon. l. 239. de V. S. *vocat* παροίκους, *quaſi juxta habitantes*, Camerar. in 5. polit. c. 3. *etiam* συνοίκους, *quaſi cohabitantes, quales erant Iudæi in Ægypto, teſte* Philone 1. de vit. Moſ. *& Aricini apud Romanos, quibus ex Aritia per Hetruſcos ejectis*, Liv. li. 2. *ſcribit datum fuiſſe locum ad habitandum Romæ, quem deinde Tuſcum vicum appellarunt. Incolam enim facit domicilium, vt aiunt Impp.* l. cives C. de Incol. & Pomp. l. ut ſupr. *Incola, inquit, eſt, qui aliqua regione domicilium ſuum contulit.* *Quanquam verò* Philo 1. de vit. Moſ. *Incolam ab indigena non multum differre ſentit, tamen nondum utitur omnibus civitatis juribus, nec polyteuma poſſidet, nec particeps eſt Reipub. nec ad publicas deliberationes admittitur: ſed tantum tenetur civilia munera ſubire*, l. Non tibi, l. Eſt verum cum ſeqq. C. de Incol. *quia* De Incolis.

n *cum*

cum à Repub. ſentiat lucrum, æquum eſt, vt pro eadem ferat incommodum.

De veris ſubditis.

Deniq. veri & proprij ſubditi, ſunt partes Reip. quæ ſummæ poteſtati, quoad omnia ſua, obligantur, pro quo omnibus Iuribus & privilegijs Reipub. viciſſim fruuntur. Loquimur a. de veris civibus, non honorariis, quales fieri volebant Gallos Romani ſenatores. Fruerentur, inquiunt, ſanè vocabulo civitatis, inſignia patrum, decora magiſtratuum ne vulgarent, Tacit.11.Annal. *Tali conditione Corinthij obtulerunt Alexandro M. civitatem,* Sene.1.de benef.c.13. *Athenienſes Demetrio,* Plut. in Dem. *& Pomponio Attico,* Cornel. Nep in Pomp. *Artaxerxes Pelopidarum genti,* Plutarch.in Pelop. *& Auguſtus Segeſti Germano.* Tacit.1.Annal. *Sed de his nomen civis prædicatur æquivocè, cum præter nomen civitatis nihil ijs communicetur, quo pacto & aliarum dignitatum attribui ſolent tituli ſine rebus. Ita Clodoveum reg. Franc. conſulem & patritium creavit Anaſtaſius Imp.* Sanſov.lib.1 de Rebuſp. *Childebertum Iuſtinianus. Baſilius Imp. Vrſum Particiacum ducem Venetorum fecit Protoſpatharium, ob claſſem, contra Sarracenos præſtitam:* Volat.4. Gæog. *& Caſimirus III. Rudolphum legatum Apoſt. qui poſt 13. annorum bellum, pacem inter regem & Cruciferos fecerat, recepit in titulum & honorem conſiliarij regij.* Crom.li.26.

Cives honorarii.

Veros autem cives hic tantum proponimus, non modo genera eorum, quæ ad Rempub. admitti debeant, conſideraturi, ſed & ſingulis ſuum præſcripturi ordinem, quod nihil homini tam ſit utile, tamq. pulcrum, dicente Xenoph. in Oeco. *quàm ordo benè digeſtus. Et vt hinc incipiamus; fuerunt, qui ſenectuti primum locum darent, vt Lycurgus, quem* Iuſtin. lib.3. Xenoph.de Rep. Lac. Plut. in Apophs

Vtrum ſenes primi in Rep. eſſe debeant.

Herod.

Herod.in Eu. *teſtantur, maximè honoratum voluiſſe ſenium. Vnde Lyſander Lacedæm. dicere ſolitus eſt: Lacedæmone eſſe honeſtiſſimum domicilium ſenectutis.* Cicer.in Cat.Mai. *Hunc morem ad Romanos defluxiſſe, autor eſt* Gell.2.Noct.Att.c.15. *dum ait: Apud antiquiſſimos Roman. neq; generi, neq; pecuniæ præſtantior honos tribui, quàm ætati ſolitus, majoresq; natu à minoribus colebantur, ad Deum propè & parentum vicem, atq; in omni loco, inq; omni ſpecie honoris potiores habiti. Idem ſcribit ferè* Valer. Max. 2. de inſtit. antiq. Iuven. Sat.13.& Calliſtr. in l.ſemper. ff.de iur. immun. *Majores noſtri, inquit, eundem honorem ſenibus, quem magiſtratibus tribuebant.*

Ceterum ſenectus, ſecundum Pythagor. in reg. vit. *honorem quidem addit, ſi cetera ſint paria, id eſt, niſi cum inſipientia conjuncta, aut niſi in alio honoris cauſa gravior. Notum enim eſt illud* Gregor. M. ex Moral. *Senes non eos ſacra Scriptura vocare conſuevit, qui ſola temporum quantitate, ſed qui morum gravitate maturi ſint. Ideoque quod* in c. Domino Sancto.diſt. 50. Iſidorus *ſcribit: Quotieſcunq; in geſtis conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius concilij ſententia magis teneatur, cujus antiquior & potior extat autoritas,* gloſ.in ver. Antiquior. *ita limitat: Si ambo concilia ſint æqualis pietatis. Alioquin ſenex abſolutè præferendus non eſt, nec ruſticus ſenex iuveni Philoſopho anteponendus. Rectè enim Indi, quos refert* Strab.lib.15. *ætati ſenum nullam prærogativam tribuiſſe, niſi prudentia excelluerint. Erit igitur dignitas civium aliunde deducẽda, quod faciemus quidem, ſi ſervos prius rejecerimus.*

Servi enim, conſenſu omnium gentium, pro nullis habentur

Servi non ſunt cives.

bentur, l.3.§.1. in fin. de cap. min. l.2. de iur. delib. l.32. de R. I. l.1. §.1. Vnde cogn: *cujus rationem reddit* Ariſt.3.polit.c.6. *quia nequeunt participes fieri vitæ beatæ, aut vivere ut volunt. Civitas autem eſt* ἕνεκεν ζωῆς τῆς ἐνδεχομένης ἀρίστης. 7.polit.c.8. *Proximi ab his ſunt liberti, vel per vindictam, vel cenſu, vel teſtamento in libertatem aſſerti,* Cic. in Top. Boët. in comm. *quos lex Viſellia à dignitatibus repellebat,* l.unic. C. ad l. Viſ. *quamvis in infimo gradu civium relictos. Nunc, quoniam favore* Iuſtinian. Inſt. de li. §. ult. Nov. 78. l.1. C. de bon. damn. *ſublati ſunt, nullam quoque civium differentiam important, niſi vel Cmetones Polonorum,* Crom. li.1. de magi. Polon. Priluſ. in præfat. c. de Cmeto. li.1. ſtat. *vel Colonos Moſchorum,* Sigiſm. Bar. in Muſc. *& Lituanorum,* ÆEne. in Litu. *vel proprios homines Weſtph.* Crantz. in VVeſt. *eorum loco & ordine habere placeat.*

Diviſio civiũ.

Cæteri ſunt ingenui: ſed propter magnam latitudinem aliter ab aliis diviſi, ut videre eſt ap. Plat.2. de ll. Ariſt.4. de Rep. c.5.7. li. c.9. Iſoc. in laud. Buſyr. Plut. in Theſ. Boter.2. part. Coſmog. li.2. Sabel. in hiſt. Venet. Ianot. de rep. Ven. Halycar. li.2. Liv.1. Strab. li.15. *Nos, ut diſtinctè ſingula genera civium pertranſeamus, duo primũ fora diſtinguemus; Eccleſiaſticorum & Secularium; quæ diſtinguit* Imp. quoque Nov.6. in pr. *duo maxima dona in homines divinitus collata ſcribens: Imperium & Sacerdotium: Item* Gelaſ. Papa ap. Iuon. li.5. de ſent. excom. c. Duo ſunt diſt.96. *Duo ſunt, inquit, quibus principaliter hic mundus regitur: autoritas ſacra pontificum & regalis poteſtas. Iam olim in omni Gallia* referente Cæſ. li.6. de bel. Gal. *eorum hominum, qui in aliquo habebantur numero atque honore, duo erant genera: Alterum Druidum, qui ſacerdotes erant; alterũ Equitum.*

Eccleſiaſticis primum locum aſſignat. Machiav. lib.1. diſc.cap.10. *quem vult iis relinquendum Iacobus VI. rex Britan.* lib.2. Exhort. ad fil. *non tantum, quod ſint animarum parentes.* c.in ſcripturis diſt.96. *ſed etiam, quod Deorum vicem in terris gerant.* Ariſtot. *fortaſſe imitatus ſtatutum Theſei,* Plutarch.in Theſ. *à digniſſimis in civitate ſacra tractari voluit*, 7.polit.c.10. *quod & Romulum inſtituiſſe* Halycar. *teſtatur* lib.2. *Reges, inquit, voluit* πρῶτον ἱερῶν καὶ θυσιῶν ἡγεμονίαν ἔχειν, καὶ πάντα δι' ἐκείνου πράττεσθαι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια. *Et quanquam Numa curam hanc dividebat cum Pontifice Max. quædam tamen ſacra, niſi à rege, fieri non poterant:* Livius lib.2. *Hinc & Cæſar & Auguſtus,* Sueton.in Auguſt. *T. Veſpaſianus,* Sueton.in Veſp. *Trajanus*, Plin.in Panæg. *& alij ſimul Pontifices fuerunt & Reges, ut Reges Lacedæm.* Herod.lib.6. Pauſan.in Lacon. *In Syria & Palæſtina,* ait Dion.lib.37. *Rex ſummi Pontificis nomen habet: Apud Tyrios proxima à rege dignitas fuit ſacerdotium Herculis,* Iuſtin.lib.18. *Apud Tartaros hodie Seido, qui ſummus ſacerdos eſt, obviam procedunt reges inclinati,* Sigiſm. in Tart. *Ne de Caliphatu Turcarum quicquam dicam, aut antiqua dignitate Magorum apud Perſas*, Philoſtrat.li.1.de vit. Apol. *adeò*, ut Iſidor.c.Cleros diſt.21. *meritò dixerit: Antiqua conſuetudine idem erat rex & Pontifex.*

De Eccleſiaſticis.

Verùm ut fieri ſolet, cui plus licet, quàm par eſt, plus vult, quàm licet, Macrob.2.Sat.7. *Sacerdotes quoq; ut conqueritur in univerſum* Iacobus VI. dict.l. *& imprimis Pontifex Romanus dignitate ſua abuſus eſt, eamq; in poteſtatem verterit. Tantum enim ſibi* [illegible] *ut inſit*, ut gl. c.per venerab. Qui fil. ſint legit. in verb. ſuperiorem *dicat: Papa eſt ſuper omnes*, & Bald. in c. Eccleſ. ut lit.pend. *Papa eſt*

De Pontifice Romano.

cauſa cauſarum, unde non eſt de ejus poteſtate inquirendum, cum primæ cauſæ nulla ſit cauſa, Item Nicol. Boër. in tr. de ſedit. *Papæ poteſtas eſt major, quàm Imperatoris: Id quod conſpicuè affirmatur* c. ſuſcipitis di. 10. c. duo ſunt di. 96. c. Cuncta. 9. q. 3. c. Alius. 15. q. 6. c. principes 23. q. 5. c. Omnes de Maior. c. Venerabilem de Elect. in Clem. Paſtoral. de ſent. & re iud. c. unam ſanctam. Extr. com. de Maior. & obed. *Nec verbis tantum eam ſibi poteſtatem tribuerunt Pontifices, ſed factis uſurparunt, prout* Auguſt. Steuch. in libb. de donat. Conſt. *oſtendit ex bibliothecæ vatic. regeſtis, quod Papa imperium in omni ferè Europæ regna ſibi attribuerit.*

Nam & Moſchorum Ducem, ſi Iovio credimus in Muſc. *titulo regio & licentia utendi corona donare voluit: & Opiſſo legatus Apoſt. Danieli Halicienſium principi Ruſſo, diadema conceßit.* Crom. li. 9. *Mendocus dux Litu. An. 1253. à Papa impetravit diadema pro reſtitutis aliquot ditionibus cruciferorum,* Cromer. lib. 9. *Regnum Poloniæ ſcribit* Crantzius lib. 8. Vand. c. 2. *à Lakoldo duce Cracov. tributarium factum Iohanni Pontif. ſed neſcio an ejus rei Annales Polon. meminerint, qui tamen teſtantur, Boleslao regium nomen ademtum à Gregorio 7. ob interfectum Stanislaum, &* Vincentius *memorat, non potuiſſe Vladislaum, quantumvis pium, illud à Papa viciſſim exorare. Bohemiæ regem Georgium ob Huſſiticæ religionis ſtudium privavit Pontifex omni Ducali, Marchionali, & regio honore, vetuitq; ſubditos ipſi parere.* Bonfin. Dec. 4. lib. 1. & 3. *Hungariæ regnum teſtatur* Steuchus *tributarium factum D. Petro à rege Stephano, & Alexander V. Ladislaum in concilio Piſano regno privavit.* Plat. in Alex. *Innocentiusq; III.* c. licet de voto, *minitatur filio regis Vng.*

gis Ung. privationem regni, niſi expeditionem ſacram urgere perrexerit.

Regnum Daniæ vocat idem Steuchus *vectigal Eccleſiæ, ſed ex tabulis Papæ, quibus credendum quidem, ſed contra autorem ſcimus. Regnum autem Angliæ Iohannes rex, ne à rege Francorum vinceretur, Innocentio III. feudatarium fecit*, Blond. lib.6. Dec.2. Virgil. lib.15. hiſtor. Ang. *qui* lib.17. *de Scotorum regno idem teſtatur. Propterea enim ſcribit Bonifacium interdixiſſe Edvardo Angliæ regi, ne Scotos amplius bello vexaret, quod id regnum in fidem & poteſtatem Eccleſiæ conceſſum eſſet. Regem Siciliæ Eccleſiæ ſubditum, hominemq́ ligium & vaſallum vocat Clemens* in Clem. paſtoral. de re iudic. *Nam in inſtrumento donationis Ludowici* apud Volat. lib.3. Gæogr. *continentur etiam Sicilia, Sardinia, Corſica, quæ tamen abſunt* c. Ego diſt.63. *Venetos declaravit Clemens V. pro ſervis, quod ipſius juſſu non abſtinuerint à bello Ferrarienſium*, Platin. in Clem. V. *Imò alterum orbem ſibi quoq; adjudicavit Papa, & Alexander VI. Americanas provincias inter reges Portug. & Hiſpan. quaſi dominus earum, diviſit*, Martyr. Dec.1. lib.3. *perinde ut Papa olim Gothofredo & Balduino donavit regnum Hieroſolim.* Carion. 4. Chron. *& Bonifacius IX. Rigam vendidit cruciferis, aureis 15000.* Crom. lib.11. *cum tamen nihil eorum ad Papam jure dominij pertineret.*

Bonifacius IIX. quem hujus Tyrannidis artificem non immeritò dixeris, nihil intentatum reliquit, quò & regem Galliarum ſibi ſubijceret: Philippum regno exuit, Plati. in Bonif. *& univerſaliter ſtatuit* c. Vnam ſanctam de maior. & obed. *regem ſubeſſe Eccleſiæ, cum jam ante ſcripſiſſet* Gelaſius c. Alius 15. quæ. 6. *Zachariam Pontif. de-*

tif. dejeciſſe regem Francorum ſua autoritate, & ſubſtituiſſe Pipinum. Sed Innocentius III. ipſe confeſſus erat c. per Venerab. Qui fil. ſint legit. *Regem Franciæ ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcere: & Philippus Bonifacio ſemper reſtitit, legatum conjecit in carcerem,* Plati. in Bonif. *cumq́ ad eum ſcripſiſſet Bonifac. Scire te volumus, quod in Temporalibus & Spiritualibus nobis ſubes, reſpondit: Sciat tua Maxima fatuitas, in Temporalibus nos alicui non ſubeſſe.* Nicol. Gellius in Annal. *Vnde Clem. V.* c. Meruit. Extr. com. de privil. *Bonifacij decretum irritum fecit, regemq́ Franc. Tyrannidi Papæ exemit.*

Quanquam Impp. Germanorum violentiæ Pontif. fortiter quoq́ obſiſtebant, non obduruerunt tamen, quin tandem ſuperſtitioni cederent. Imprimis verò fundabant Pontifices ſuam potentiam ſuper donatione Conſtantini, quæ non tantum à veritate hiſtoriæ redarguitur, ſed & ſuis ſe deſtruit verbis. Teſtantur enim & illi, qui in favorem Eccleſiæ ſcripſiſſe præſumuntur, Italiam & Illyricum aſſignata fuiſſe Conſtantino filio, Euſeb. lib. 4. de vit. Conſt. Socr. 3. hiſt. Eccle. in fin. *cujus meminit* Victor *quoq́,* & Zoſim. in Conſt. *Si enim totum imperium Occidentale donatum adeptus eſt Silveſter, quare Paſchalis à Ludowico Pio Exarchatum, urbesq́ Hetruriæ muneris loco recepit, cum rei ſuæ acquiſitio nulla ſit,* l. 4. C. de cont. Emt.

Si verba ipſa intueamur, conſpicuè falſitatem Paleæ produnt. Nec enim lepra laboraſſe Conſtantinum hiſtoriæ memorant, nec à Silveſtro in Italia baptiſatum fuiſſe, ſed Nicomediæ ab Euſebio Nicom. Epiſcopo, prout ſcribunt Euſeb. li. 4. de vit. Conſt. Rufin. li. 1. c. 11. Socr. lib. 1. cap. 39. Theodor. lib. 1. c. 31. *& imprimis ultimo vitæ tempore. Præterea*

terea quomodo, quod in palea ſcribitur: omnium ſatraparum, ſenatus, optimatum & totius populi conſenſu, datum eſſe imperium Silveſtro, conſentit cum eo, quod Zoſim. in Conſtant. *narrat: ſenatum, alioſq́; optimates maximè odiſſe Conſtantinum propter novæ religionis inſtitutionem, nedum ut eam tantopere promovere voluerint. Porrò ſubijcitur Silveſtro ſedes Conſtantinopolitana, quæ nulla adhuc fuit, quo tempore fingitur Conſtantinus baptiſatus, cum 10. demum anno Imperij, Conſtantinopolis nominari cœpta ſit* teſte Niceph.lib.8.c.4. *Quin etiam impium dicitur eſſe, ut Imp. eandem cum Pontifice inhabitet urbem, cum tamen ea de cauſa Conſtantinus Patriarcham Conſtantinopoli conſtituerit. Prætereo ſtyli barbariem, & quod iſta palea ab antiquis abfuerit Codicibus, cæteraq́; quæ illam donationem* Nicolao Cuſano Card.lib.3.Conc. cath. Vallæ in declam. ſuper hac re. Volater.lib.3.Gæog. Occamo in lib.de poteſt.Pontif. *ſuſpectam fecerunt. Ipſe* Bartol.in præf. ff.n.14. *cum multa utrinq́; diſputaſſet, tandem ait: Videte, quod nos ſumus in terris Eccleſiæ: Ideo dico, quod illa donatio valet, &c.*

Alioquin ex meriſſima Tyrannide ſcribit Innocentius III. c.venerabilem de Elect. *ab Apoſtolica ſede translatum eſſe imperium à Græcis in Germanos: & Adrianus ad Archiep. Elect.* apud Aventin.lib.6. *Imperator, quicquid habet, totum habet à nobis. In poteſtate noſtra eſt, ut demus illud, cui volumus. Rectè Otto Comes Palat. increpuit legatum Apoſtolicum, quod Adrianus IV. ad Fridericum I. ſcripſerat: Datum ipſi eſſe imperium à Papa, tanquam beneficium, & Fridericus negavit, ſe coronam ulli, præter Deum & Principes Germaniæ debere.* Sigon. lib.9. hiſtor.Ital. *Quid enim aliud eſt coronatio Papæ, quàm*

publica teſtatio quæ Imp. non facit, ut putat idem Adrianus apud Aven. lib. 6. *ſed factum publicè declarat. Ludowicus enim Bavarus tulit l. ut Imp. vel ſine coronatione Papæ plenam haberet poteſtatem,* Cuſpin. in Cæſar. *apud Moſchos Metropolites,* Sigiſm. Baro in Muſc. *apud Danos concionator aulicus,* Lauterb. lib. 1. de Rep. *apud Bohemos, ex conſtitutione Iohannis, Archiepiſcopus Pragenſis coronationem peragit,* Cromer lib. 12. Pol. *nec tamen quiſquam eorum ſibi regnum aſſcribere poteſt magis, quàm olim patriarcha Conſtantinopol. qui & ipſe corona induit Imp. Græcos,* Zonar. in Cæſ. Græc.

Pulcra eſt poteſtatis Pontificiæ probatio, quam adducit Bonifacius VIII. c. Vnam ſanct. Ext. com. de major. & obed. *quod ſc: Chriſto data ſit omnis poteſtas, is autem reliquerit ejus poteſtatis vicarium, Papam. Non enim diſcretus videretur Dominus,* ait Petr. Bertrand. in addit. ad d. cap. *niſi unicum poſt ſe talem reliquiſſet vicarium, qui hæc omnia poſſet, ſcilicet, quæ Chriſtus potuit, & per poteſtatem omnem intelliguntur. Hinc liceat alicui non tantum cōcludere, Papam habere poteſtatem in reges, ſed etiam eſſe omnipotentem, & poſſe,* ſecundum Abbat. in c. licet, de Elect. *quaſi omnia facere, quæ facit Deus. Præterea adducit Bonifacius verba hæc: Recon de gladium tuum, quibus tamen* Albert. Crantz. lib. 8. Vand. c. 2. *poteſtatem Pontificum omninò retundi putat. Nam, ut ratiocinatur* Iohan. Monach. in gl. c. ſuper verb. in poteſ. *quando dicitur: gladius tuus, aſſcribitur Petro gladius, tanquam ſuus, quaſi non ſit aliud jus, aliud poſſeſſio gladij. Et tamen hæc* Petro Bertrand. in addit. ad c. Vnam ſanct. & Hoſtienſ. in ſum. Qui ſint legit. *admodum placent.*

Adducit

Adducit idem Iohan. Monach. ubi ſupra, Bernardi *ſententiam, quam ex* lib.2. Conſid. ad Eugen. *aſſcribemus, vt ex ipſius verbis cognoſcatur, idq́; potiſſimum, quia continet argumenta contra Tyrannidem Pontifi. Diſce, inquit, exemplo prophetarum, præſidre non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum, quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, nõ ſceptro, vt facias opus Prophetæ. Item, Eſto, vt alia quacunq; ratione hæc tibi vendices, ſed non Apoſtolico jure. Nec tibi Petrus dare potuit, quod non habuit. Quod habuit; hoc dedit, ſollicitudinem ſuper Eccleſias. Nunquid dominationem? audi ipſum. Non dominantes, inquit, in clero ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam Veritate, vox domini eſt in Euangelio: Reges gentium dominantur: Vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vſupare auide, aut dominans apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab vtroq; prohiberis: ſi vtrumq; ſimul habere voles, perdes vtrumq;.*

Propterea Iuſtin. Nou. 6. in pr. *rectè diſtinguit poteſtatem Eccleſiaſticam à Politica, quod & antiqui Canones faciunt*, c. Cum veram. c. Duo ſunt diſt. 96. c. Celebritatem in fin. de conſ. di. 3. *& latè* Gerſon in lib. de pot. Eccle. *Graviter invehitur* Budæus li. 5. de aſſ. *in Iuliũ II. qui*, ut Arnaldus Ferron ſcribit in Annal. Gall. *cum exercitum Roma trans Tyberim in Gallos educeret: Quando, inquit, nobis claves Petri nihil proſunt, age gladiũ Pauli diſtringamus. An, inquit* Budæ. *ejus temporis in mentem nõ venit, cum D. Petrus Pauluſq́;, & eorum ſequaces Eccleſiæ Architecti, non armorum ſplendentium fidi c i infecti ad prælia graſſabantur, ſed innocentia freti, cætera inermes,* Diſtinctio inter poteſtatem Eccleſiaſticam & Politicam.

ad caſtra Chriſti tuenda in tumultu flagrantiſſimæ carita-tis claſſico ciebantur? Nimirum, clerici vetantur bella ex-ercere, c. Nimium & ſeqq. 23. q. 8. *& Albertus rex Polon. Creslaum CuroZuanZium Epiſc. Vladislav. cum diſſuade-ret expeditionem contra Turcam, juſſit ſacrorum, non belli curam gerere*, Crom. lib. 21. *Oſtendit enim* Avent. in ex-hort. contra Tur. *exemplo Iuliani Cardinalis, rarò Clericis bella benè cedere.*

Et quanquam Alexius Imp. Conſtantinum Meſopo-tamitam Pontifi. Theſſal. ab officio removit, quod in curiam ex templo pedem proferret, Nicet. 2. Anna. Alex. *Iuſtinia-nus quoq; noluit ſecularia tractari à Clericis*, Novel. 123. c. Sed neque: *& Sigiſmundus rex Polon. prohibuit Eccle-ſiaſticos miſceri judiciis ſecularibus, niſi peculiariter à rege requiſitos*, Lib. 1. ſtat. c. 2. a. 11. l. 5. c. 3. a. 1. l. 19. Lib. 4. a. 1. & c. 5. *tamen in ſuum ordinem conceſſa eſt ſuperioribus cogni-tio, &* ut explicat Cuiac. ad tit. de Epiſc. aud. *audientia, ſeu poteſtas judicium ferendi. Ita enim* Iuſtin. Nov. 123. c. 21. *Si quis contra Clericum habeat actionem, adeat prius S. Epiſcopum, cui is ſubjacet: ille verò cauſam inter eos judi-cet, & ſi quidem utraq; pars iis, quæ judicata ſunt, acquie-verit, jubemus per loci judicem hoc executioni perfectæ tradi. Et ſic autoritati ſacri ordinis datur cognoſcendi jus, exequendi verò relinquitur poteſtati ſeculari, ſicut Ran-dolphus prorex Scotiæ, cum quidam Latro à Papa admer-catus eſſet literas impunitatis: ad Papam dixit, pertinere quidem condonationem culpæ, ſed pœnam corporis ad regē*, Buchan. lib. 9.

Receptum fuit idem jus apud Orientales & Romanos. Quod enim Lentulus Pontifex in ſenatu dicit: Pontifices religionis judices fuiſſe, legis Senatum, Cicero ad Att. li. 4.

ita

ita interpretari debemus, quod de religionis veritate judicarint, non quod violatam puniverint. Clodium enim, quamvis violatæ religionis reum, Cicero tamen coram Senatu accuſavit, Plutarch. in Cæſ. & Cic. *& Minutiam veſtalem inſimulatam apud Pontif. ab indice ſervo, Pontifices tantum juſſerunt ſacris abſtinere, familiamq́ in poteſtate habere. Sed poſt facto judicio, viva ſub terram ad portam collinam dextra via ſtratam defoſſa eſt, ſcelerato campo*, Livius lib.8. *Cæterum quia alibi plus, alibi minus de imperio & juriſdictione Eccleſiaſticis conceſſum fuit, ſtandum hic eſt legibus cujusq́ Reipub. Fridericus enim II. in univerſum ferè Clerum exemit à poteſtate forenſi, §.* Item ſtatuimus 4. in nov. conſt. Frider. *quod & Carolus IV. feciſſe ſcribitur à Bonifacio Papa* in Bulla ſuper hac re confecta. *Item apud Polon. idem obtinuit Ivo Ep. Cracou. anno 1217.* Crom. li. 7.

Unicum adhuc ſupereſt, utrum cognitio ſumma Eccleſiaſticorum, quoad cauſas Politicas, jure pertineat ad unum Pontificem Romanum, ſicut Gelaſius ſtatuit c. Renovantes di. 22. *& Innocentius III.* c. Antiqua. de privil. in Quint. *Nam, quod utrobiq́ ad ſtatuti antiquitatis provocatur, fruſtra ſit, cum* in Synodo Nicæn. c. 6. *tres diſtinctæ, & æquales ſedes ponantur: &* Socrates *ſcribat* lib. 3. hiſt. in 1. con. Syn. *concluſum fuiſſe, non eſſe confundendas Eccleſias, quod fieret, ſi unus Epiſcopus immiſceat ſe negotijs alterius, ſicut Papa facit*, c. omnes, c. ad Roman. c. Si quis, c. Ideo, c. placuit, ut præsbyt. 2. q. 6. c. antiqua de privil. ext. *In Conſtantinopolitana c. 36. habetur hic Canon* ὁρίζομεν, ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον τῶν ἴσων ἀπολαβεῖν πρεσβείων τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνου, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασι.

De audientia Eccleſiaſticorum.

Propterea meritò repulſus fuit Papa Roman. à concilio Africano, cum principatum omnium Eccleſiarum ſibi aſsignari peteret, imprimis cum falsò allegaret Synodum Nycæn: vt oſtenderunt Magdebugenſes Centuriatores, *contra quos parum efficaciter diſputat* Bellarmin li.c.25. *Sed præſtat ipſa verba concilij aſſcribere, quoniam tres in ijs continentur rationes, quare noluerint patres ſubijcj vnico Pontif. Rom. Verba igitur ſunt: Prudentiſſimè iuſtiſſimeq́. Nicæni patres prouiderunt, quæcunq; negotia in ſuis locis, vbi orta eſſent, finienda, nec vnicuiq; provinciæ gratiam Spiritus S. defuturam, quod ar. tractum eſt* ex Epiſt. ad Gal. c. 2. *vbi Paulus obſiſtit Petro Nam ait, qui efficax fuit per Petrum ad Apoſtolatum Iudæorum, idem per me fuit efficax erga gentes. Præterea, quia vnicuiq; conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit cognitorum, ad concilia ſuæ provinciæ, vel etiam univerſale prouocare, niſi fortaſſe quiſquam eſt, qui credat, Deum vni alicui cognitionis & examinis inſpiraſſe iuſtitiam, innumerabilibus autem in Synodo congregatis, denegare. Aut, quomodo ipſum tranſmarinum judicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis alijs interuenientibus impedimentis adduci non poterunt.*

Hactenus Eccleſiaſtici: Cætera ex alijs peti poſſunt. Ordinem Cleri Rom. deſcripſit Iſidor. li. 7. Etymol. c. Cleros. diſt. 21. c. perlectis d. 25. *Pontifi. Rom. Ethnicorum* Feſt. Pomp. de verb. ſign. Plut. in Num. Gell. li. 10. c. 15. Onuphri. li. de. ciuit. Rom. *Sacerdotum Turcicorũ* Menavinus Genu. & Autor. lib. de Rep. Turc. *qui autores adiri poſſunt. Nos pergemus ad ſeculares, quos licet alij aliter, nos diſtribuemus, in nobiles & ignobiles ſeu plebeios.*

De ſecularibus.

Romu-

Romulus interjecit ordinem medium, ut Appia. ſcribit li.1. *Nam* Halycarn. *teſtatur 300. viros robuſtiſſimos ex clariſſimis familijs ad cuſtodiam corporis electos fuiſſe à Romulo, denos*, ut ait Feſtus, *ex ſingulis curiis. Eos Celeres vocatos, conſtat ex hiſtoria Tarquinij*, ap. Liv.li.1.& Flor.1. hiſt. Rom. *ubi Brutus nominatur magiſter Celerum*. Plinius autor eſt lib.33. *qui ſub Romulo Celeres, poſtea Flexumines & Troſſuli nuncupati ſunt, nomen tantum mutaſſe, dictosq́ Equites.*

Hinc in triplici erant differentia Romani, ſicut Auſonius *canit: Martia Roma triplex, Equitatu, plebe, ſenatu*: & Paterc. ait lib.1. *Tum ſenatus, atq́ equeſtris ordinis pars melior, & intacta pernicioſis conſiliis plebs in Gracchum irruêre. Humilior habebatur illorum conditio, quàm patritiorum, ut innuit* Martial. lib.5. *Dum proavos atavosq́ refert & nomina magna, Dum tibi noſter eques ſordida conditio eſt. Dum te poſſe negas, niſi lato, Gellia, clavo Nubere, nupſiſti, Gellia, ciſtifero. Eligebantur tamen à Cenſoribus*, notante Manut. in com. orat. pro Quint. *tam ex plebe, quàm patritiis, qui CD. millia H.S. poſſidebant*, Sueton. in Cæſ. *quod vel* Horat. *oſtendit* lib.1. Ep. 1. *dum ait: Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt Plebs eris, in cujus loci enarratione refert* Acron *Roſcij rogationem, ne fiat Eques Romanus, niſi habeat CD. millia æris*, & Porphyr. ibid. *Roſcia lex eſt, qua cavetur, ut proximis ab Orcheſtra 14. gradibus ſpectent, quibus eſt cenſus 400. ſeſtertiorum.* Equites.

Sed hunc ordinem mittimus, & ad nobilium gradum redimus; Nobile eſt, quod in unoquoq́ genere excellit, adeo, ut Donat. in Hecyr. ſuper verb. Sed ſibi nobilitatem ex eo, *& meretricem & gladiatorem nobilem dici affirmet, ſi vi-* Nobilitas.

ſi videlicet in ſuo genere excellant. Sed hoc modo, ut loquitur Flandr. 5. Metaph. q. 17. a. 1. *oppoſitum gloſſatur per oppoſitum, gloſſa deſtruente textum. Quò enim meretrix in genere ſuo eſt nobilior, eò ſit ignobilior abſolutè. In genere quidem deſcribit* Gerſon. in tract. de Nobil. *nobilitatem, quod ſit præeminentia, ſeu, ut ipſe loquitur, principalitas, inter alias res ſui generis, habens facultatem aliquam, in illas, præſertim in propinquas influendi: ſed nos hic loquemur de vera tantum præeminentia, quam alij aliunde deducunt, prout alia in precio habent.*

An divitiæ nobilitent.

Vulgus, quod divitias colit 1. Eth. c. 5. *in ijs nobilitatem ponit*, ſicut Plutarch. innuit in lib. cont. nob. *dum ait: Quid aliud nobilitatem eſſe putamus, quam opes antiquas, aut veterem gloriam*, & Hieronym. ad Helbid. *Nobilitas mundi nihil aliud eſt, quam inveteratæ divitiæ. Imò, Simonides quoq; interrogatus, quis eſſet nobilis, reſpondit, qui natus eſſet ex his, qui jam multò ante divites fuiſſent*: Ariſtot. in lib. de nobil. apud Stob. ſerm. 84. *quod idem Athalaricus*, apud Caſſiod. lib. 8. Ep. 19. *ſcribit ad ſenatum: Inveteratas ſcilicet divitias & per genus deductas, nobilitatem parere. Quid? quod pauperi non licuit apud Romanos, ſenatum ingredi, poſtquam Servius ex cenſu legit ſenatores*, Livius lib. *1. qui videlicet octingenta millia H S poſſideret*. Sigon. de antiq. iur. civ. Roman. Onuphr. lib. 1. Faſt. c. de Senat. Manut. in orat. pro Quint. *Vnde* Cicero ad Attic. *quendam ſenatu motum ſcribit, quod cenſum non compleret, & Claudius Cæſar laudavit eos, qui ob paupertatẽ ſenatu cederent, removitq́; qui manendo impudentiam paupertati adijcerent*, Sueton. in Claud.

Sed hoc in Repub. Roman. meritò taxant Poëtæ, quod

in precio

in precio precium tantum ſit, det cenſus honores, cenſus amicitias, pauper ubiq; jaceat. Ovid.1. Faſt. *Solæ enim divitiæ non nobilitant, quia cadunt etiam in perſonas turpes & infames, quibus dignitatum portas claudit Conſtantinus* l. Neque 2. C.de dignit. lib.12. *Accedit, quod* Plotin. Enn. 6. l.7. Alcin. de doctr. Plat.c.30. Sen.ep.88. *vix inter bona collocent opes, quod perinde ſint, vt illius animus, qui ea poſſidet. Qui uti ſcit, ei bonæ, illi, qui non utitur rectè, malæ,* Terent. in Heaut. *Nobilitatem autem oportet de genere verorum bonorum eſſe. Præterea* Cepoll. in mater. Nobil. *malè credit, paupertate extingui nobilitatem, cum* lex 7. C. de inceſt. nupt. *id expreſſè neget. Annon Scaurum,* Plin. in lib. de vir. illuſt. *nominat ſimul nobilem & pauperem, &* Tacit. in Annal. *Cottam nobilem quidem, ſed egentem? Annon Camilli majeſtati omnes magiſtratus ceſſerunt?* Livius lib.6. *At hunc ſæva paupertas tulit, & avitus apto cum Lare fundus,* Horat.1. od.13. *Nihilominus tamen, cum omne bonum, bono additum, faciat illud præſtabilius* 10. Eth. c.3. & Ariſt. 1. Eth. *ad perficiendum ſummum bonum aliquid afferre divitias doceat, ſplendorem & decus nobilitati accedere propter divitias,* cum Tiraq. c.4. & 26. de Nobil. *confitendum eſt, nec admodum ineptè ſcripſit* Curt. ICtus in tract. de nobil. *Sicut fides ſine operibus mortua eſt, ita & nobilitas ſine divitijs. Nam genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.* Horatius 2. Sat. 2.

Alia igitur capita, ex quibus Ariſt.4. Polit.c.4. *nobilitatem deduci ſolere docet, excutienda ſunt, ſcilicet genus, virtus, & ſcientia: Poëtæ & Philoſophi, imprimis Stoici ex ſola virtute ſpectant nobilitatem: Tota licet veteres exornent undiq; ceræ Atria, nobilitas ſola eſt, atque* An ſola virtus nobilitet.

p unica

unica virtus, Iuven. Sat.8. *ubi multa pro hac ſententia diſputat, ſicut* & Ovid. 5. de Pont. & Horat.1. Sat.6. *qui ex mente Mecænatis referre negat, quali ſit quisq; parente Natus, dum ingenuus.* Seneca in lib. de Mor. Ep.31. 4. 5. lib. de Ira. & *pertinaciter* lib.2.cont.6. *diſputat contra nobilitatem generis, quam &* Hoſtienſ. in c. venerabilis. de præben. *vocat nobilitatem ſtercoris*, Galenus in exhort. ad bon.art. *comparat numiſmati, quod in ſua tantum Repub. valet, in aliena adulterium eſt*, Ariſtot. 1.polit.c.6. *vocat nobilitatem, quæ domi tantum valet. Nam virtus non in uno loco, ſed ubiq; nobilem facit, & dictum* Epicharmi *eſt*: ὅσ αὖ εὖ γεγονὼς ᾖ τῇ φύσει πρὸς τ' ἀγαθὰ, καὶ αἰθίοψ ἡ μήτηρ ἐστὶν εὐγενής.

Propterea Poggius Florenti. & Platin. in libr. de Nobil. *omnem nobilitatem definiunt per virtutem, eamq; ſententiam Philoſophis aſſcribit* Bald. in l. Nobiliores in fin. C. de com. & mercim. *ubi nobilem ſcribit dici tribus modis: Genere, & ita, inquit, vulgus accipit, Virtute, & ita Philoſophus: tandem utroq; modo, quæ eſt nobilitas perfecta: Quin etiam Tullius Hoſtilius* apud Halyc. lib.3. *ſingulari laudi vertit ſuis Romanis, quod nulla alia in re, quàm virtute nobilitatem collocent: quod in iiſdem commendat* Pater. lib.2. & Liv. lib. 1. ait. *Romæ omnis repentina & ex virtute nobilitas fit. Cæterum quicquid ſit de Romanis, de Turcis certè teſtatur* Petrus Bellon. lib.2. obſerv. c.95. *nullam ab iis cenſeri nobilitatem, niſi quam ipſa facta pepererunt. Nam, quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra putant*, Ovid.13. Met.

Atq; ut Poggio *credamus, nobilitatem veram fundari ſuper virtute, eò quod ſit præeminentia rei optimæ, tamen abſit, propterea deleamus nobilitatem generis, cum & ipſa*

& ipſa fundetur ſuper virtute parentum. quorum filij ſunt quaſi partes, vt loquuntur ICti, l. Si quis 11. C. de impub. & al. ſubſt. l. poſthumor. 13. de iniuſt. rupt. c. Iam itaque 1. q. 4. & alibi. *Debet enim*, dicente Cicero pro Sext. *valere apud nos clarorum hominum de Repub. meritorum ſenex memoria, mortuorum quidem, ſed in filiis rei viviſcentium. Nec facilè præſumuntur liberi parentum virtutes relicturi, tum, quia* concludente Stobæ. ſent. c. 86. ἡ ἀρχὴ τοιαύτην ἔχει τὴν δύναμιν, πολλὰ παρασκευάζειν, οἵαπερ αὐτή. Τοῦτο γάρ ἐστιν ἀρχῆς ἔργον ποιῆσαι, οἷον αὐτή, ἕτερα πολλά: *tum, quia impoſita eſt nobili loco natis quaſi neceſſitas, ne à majorum virtute degenerent*, ut ait Boet. 3. conſ. Philoſ. proſ. 6. *Si enim degenerare inceperint, Incipit ipſorum contra ſe ſtare parentum Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis*, Iuven. Sat. 8. *& vtcunq; defecere mores, dedecorant benè nata culpæ*, Horat. lib. 4. Od. 4. *Majorum gloria, ait Marius* apud Saluſt. in Iug. *poſteris quaſi lumen eſt, nec ſinit eorum acta obſcurari. Quantò vita majorum præclarior, tantò horum ſocordia ignavior. Quantò genus illuſtrius*, ait Gal. in exhor. ad art. *tantò plus dedecoris accedit de generibus.*

Hoc igitur voluit Plinius in Panæg. *dum ait: Nobilitas non imaginibus & ſtatuis, ſed virtute & meritis propagatur. Concedit enim propagari virtutem, ſed non in ſtatuis, verùm ſi poſteritas imitetur virtutes parentum. Alioquin omnes ferè conveniunt nobilitati detrahi, niſi propagetur virtus. Quis enim generoſum dixerit hunc, qui Indignus genere, præclaro nomine tantum Inſignis* Iuven. Sat. 8. *Hinc* Salicet. ait in l. providendum C. de [illegible] ſtulando. *Non eſt no[illegible] qui de nobiliori eſt genere,*

niſi & ipſe bonis polleat moribus : & Chryſoſto. *verba ſunt* ex Homil. 5. *Nobilitas vel bonitas cognatorum non valet, niſi fuerimus nos ipſi boni. Notum eſt & illud* Ariſt. 1. de hiſt. an. c.1. ex verſione Gazæ, *Nobile eſt, quod ex bono prodijt genere generoſum, quod non à ſua natura degenerat.*

Concluſio de nobilitate generis.

Duo igitur nobilitatis fundamenta rectè poſuit Plato: *aut virtutem, dignitatem, honorem parentum: aut virtutem propriam* Laërt. in vit. Plat. *De genere ait* Ariſt. 3. polit. c.13. 4. polit. c.5. *Nobilitas eſt virtus generis, &* 2. Rhetor. c.15. *Nobilitas eſt quædam majorum claritas. Item* Boët. in Top. & 3. conſ. Philoſ. pro. 6. *Nobilitas eſt quædam laus, veniens de meritis parentum. Quin & Socrates Ariſtidis filiam propter patris virtutem nobilem dicebat.* Ariſtot. de nobil. apud Stob. ſerm. 84. *& Gratianus* l. provid. 7. C. de poſt. *in æquali ferè gradu ponit antiquitatem & merita, quod elicitur etiam ex* l.1. in pr. ff. de cenſ. ex §. 3. v. ſimiles de pace ten. & eius viol. *Nam ipſa antiquitas res commendat, patresq́; Romuli, non alia ratione digniores cenſentur patribus conſcriptis, aut minorum gentium, niſi quod antiquiores. Vnde* Iohan. Raynud. in tr. nobil. q. 3. *nobilitas, inquit, tantò major eſt, quantò plus inveteraſcit.*

Collatio eius, qui nobilis fit, & qui nobilis naſcitur.

Vtrius verò, an qui ex genere, an qui ex propria virtute nobilitatur, major ſit dignitas, cum diſtinctione diſputandum eſt. Nam ſi nobilis genere à parentum virtute deficiat, ſuapte culpa genere cadit, genus ingenuum improbat. Plaut. in Merc. *illiq́; putat* Ariſt. in lib. de nobil. ap. Stob. ſerm. 84. *recentem virtutem meritò præferendam, quia & in ſe commendabilior eſt, & plus prodeſt Reipub. Nec novitas exprobrari poteſt. Si enim jure obijciunt mihi novi-*

novitatem, ait Mar. apud Saluſt. in Iug. *Idem faciant majoribus ſuis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cepit.* *Omnia enim* (verba ſunt Taciti lib. 11. Annal.) *quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, noua fuêre. Inveteraſcet hoc quoq;, & quod nunc exemplis intuemur, inter exempla erit.* *Quemcunq; volueris,* ait Sene. lib. 2. contr. 6. *revolve nobilem, inuenies humilem. Patritios Romanos intuere:* *An vnquam fando accepiſtis, ait Canuleius*, ap. Liu. li. 4. *patritios eſſe primò de cœlo miſſos & non factos? Vt igitur cum Mario concludamus: iniqui ſunt, qui, quod ex aliena virtute ſibi arrogant, aliis ex propria negãt.* Saluſt. in Iug.

Si verò nobilis genere imitetur virtutem paternam, malè ſentit Barb. con. 57. li. 2. in c. ad aures. de reſcript. *doctorem literatum & ignobilem præferendum eſſe nobili & literato: quo errore* Cicero *quoq;* in reſp. cont. Saluſt. *maiori ſibi laudi vertit, quod nobilitatis initium poſteris relinquat, ſeu quod genus ſuum à ſe incipiat, vt reſpondebat Iphicrates Harmodio, obſcurum genus ſibi exprobranti.* Plutar. in. Apoph. *Certè, quia difficilius eſt emergere ex humili loco, putat* Panormitan. in c. de multa extr. de præben. *inter duos æquè benè moratos, nobilem genere eſſe magis honorandum, ſed ignobilem magis commendandum, idemq; tenet* Archidiac. in probatione vlt. partis cap. Nunquam di. 56. vbi notat Barbat. *idem ſtatuere* Chryſoſtomum, *ad quod adduci poteſt* tex. c. in ſcripturis d. 96. *Sed quia non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri, cum* Tiraq. de nobil. c. 5. *putamus præferendum eum, qui nobilitatem ex genere deductam, nova virtute adauget, quia novus nobilitatis novum gradum dignitatis adijcit*, vt ait [illegible] in c. venerabilis in ver. non multos, depræ- [illegible] *enim de cauſa filij ICtorum in complendis aduo-*

catis præferantur cæteris l. Nemini 11. C. de advoc. diu. iudicior. *quem tex. ad id ibi notat* Bald. *dicens: Si duo ſint æqualis ſcientiæ, is eſt magis honorandus, qui eſt de meliori ſanguine*, arg. l. 2. §. Quæ omnia. 9. C. de vet. iur. enucl.

Confirmatio nobilitatis.

Oſtendimus fundamenta, in quibus nobilitas recumbit. Sed ſicut gradus Doctoris aut Magiſtri confertur quidem, conferri ſanè debebat, propter eruditionem, nemo tamen pro doctore ſe venditare audet, niſi renunciatus ab eo, qui rei illius poteſtatem habet: Ita nec ex virtute quiſquam nobilis eſt, niſi declaratus conſenſu ejus, cujus ea eſt poteſtas. Hinc Paul. Caſtrenſ. lib. 2. conſ. 22. *illos propriè vult dici nobiles, quos Princeps nobilitat, deq́; ijs reſcripta de Nobilibus loqui autumat. Pertinet autem poteſtas conferendi nobilitatem ad majeſtatem*, ut patet ex l. 5. C. de diu. reſcr. *ubi* Bald. *ait: Imperator poteſt nobilitatem conferre alicui non habenti, & nobilitare, quemcunq; vult, &* Bart. in l. 1. C. de dignit. lib. 12. *ubi tractat materiam nobilitatis, majeſtatis teneri putat, qui, cum non ſit, venditat ſe pro nobili. Certè tenetur falſi* per l. Eos. §. qui ſe pro mili. ff. de falſ. *ut notat* Raynud. in 6. q. de nobil. & Tiraquel. c. 13. *Item* per l. Vnicam C. ad l. Viſcelliam. Damhud. prac. crim. c. 123. n. 10. Hottom. conſ. 35. in pr. quod incipit: Magnum habet pondus.

Et quanquam Impp. hoc jus tribuitur in Iure Rom. & Plinius in Panæg. *dicit: Cæſaris eſt, ut nobiles efficiat, ac tueatur: tamen adæquatè ijs non competit, ſed omni majeſtati, quippe cum omnis majeſtatis æquè libera ſit poteſtas. Supra enim inter jura majeſtatis repoſuimus natalium reſtitutionem. At plus videtur eſſe nobilitare: quanquam* Budæus in annot. ad n l. ult. de Senat. *natalium*

lium reſtitutionem coincidere facit cum reſtitutione natalium. Sed tamen, canente Boët.lib.3. conſ. philoſ. *Omne hominum genus in terris Simili ſurgit ab ortu. Quid genus & proavos ſtrepitis? Si primordia veſtra, Autoremq́ Deum ſpectes Nullus degener extat, Ni vitijs pejora fovens Proprium deſerat ortum. Unde cum nemo nobilis naſcatur, non commodè videtur, nobilium creatio cum reſtitutione natalium confundi.*

Sed ad majeſtatem hoc jus pertinere, adeò certum eſt, vt indignum quoque nobilitare poſſit, ſi ex certa ſcientia, & non ex ignorata ejus conditione id facit, vt diſputat Raynud. in tr. de nobil. in 3. q.4. *Nam ſacrilegij inſtar eſt, dubitare, an is dignus ſit, quem elegerit Imperator*, l. Diſputare 3. C.de crim. ſacril. *& Princeps præſumitur diſpenſare voluiſſe cum ejus defectibus*, arg. l. Quidam 57. ff.de re judic. *Quod ſi tamen id faciat majeſtas, & nobilitatem ſolo precio vendat, rectè putat* Poggius in lib. de nobil. *ab ea peccari, quia pecuniis comparari non poſſunt, Generoſitas & Virtus*, ſecundum Eurip. apud Stob.ſer. 85. *& Theoctiſtus tutor, Michaëlem Imp. cum meditaretur, vili cuidam homini dignitates maximas conferre, admonebat, ne dignitates indignitate afficeret*, Zonar. in Michaël.

Quæ de virtute hactenus diximus, non dubitamus, quin plerique de Morali, & imprimis fortitudine, interpretentur: ſed nec tamen dianoëticarum principaliores excluſas volumus. Nam Salicet. in l. provid. C. de poſtuland. *ex eo, quod ibi dicitur, Scientia nobiliſſimos facit, colligit: Nobilitatem eſſe filiam ſcientiæ. Scientia enim precio nummario æſtimari non poteſt*, l. 1. ∫. 4. & 5. ff. de extraord. cognit. *Ius Canonicum* c. de multa verſ. Doctores

circa

circa ſublimes, de præben. & dign. *nobiles & literatas perſonas pro iiſdem accipit. Nam doctrina facilè exornat, generoſum, quæ etiam ex obſcuro nobilem facit.* Caſsiod. lib.9.Ep.7.*Vnde* Spartian.in Iulia. *proavum Iuliani magis nobilem fuiſſe ſcribit, quod eſſet ICtus:& Vlpianus nobiliſſimus appellatur* l. diximus 4.de Excuſ. *Quod verò de ICtis dicitur,in ſimilibus quoq; habet locum. Non enim ICti tantum, ſed & Grammatici & Sophiſtæ, 20. an. profeßi, vicariis annumerantur.*l.vn.C. de profeſ.qui in vrb. li.12. *Vicariorum autem dignitas ſimilis eſt comitibus.*l.1.C. de Comit.& Archi. *Et quanquam Medici prædicto tit. non exprimuntur,ad eundem tamen honorem extolluntur.*l.vlt. C.de prof. &Med.li.10. *cum* Lucian. in Medi. abdicato *iam olim Medicis publicitus, honores, immunitates &c. tribui ſolitas ſcribat. Omnes enim profitentur tales diſciplinas, quæ nobiles faciunt.*

Prudente;

Vt verò ſic nobilitatorum quoq; ordinem proponamus, primum locum damus Theologis, ob rationes ſupradictas: Secundum prudentibus. Quanquam enim ſcientes abſolute præſtantiores ſunt, 10. Eth. *quia αὐταρκείαν ſuam in ſe habent.*3.Top. *& ad divinitatem propius accedunt: tamen propterea primum locum in Rep. ſibi vendicare non debent, quoniam eorum dicebat* Ariſt. 4.Polit.c.12. *potißimum habendam rationem,in quibus Reip. ſalus maximè conſiſtit, ſeu quibus minimè cavere poteſt. Pictoria ars pura quidem eſt, multisq; commendata* à Plin.li. 35. *Fabioq; nobilißimo viro,* ait Cic.1. Tuſc.*laudi datum,quod pingert. Sed apud Turcas prorſus, ſordet, cum nullum ibi habeat vſum* Duſa. in itin.Conſtant.*Nec quiſquam pictores agrorum poſſeſſoribus aut mercatoribus liberalioribus præfert. Quid? quod* Sen.Ep.88. *pictores ne recipit quidem in ordinem liberali-*

um;quia

rum quia tantum ad delitias comparati ſint. Prudentes verò plus proſunt Reip. quàm ſcientes.

Nec verò nobis hic obſunt Corraſii 1. de art. jur. c.14. Chaſſan. in Catal. de glo. mundi par.10. conſid.18. *& aliorum ICtorum diſputationes: Iuriſprudentiam eſſe ſcientiam. Quanquam enim illi, cum Scholaſticis, dum diſtinguunt ſcientiam in ſpeculativam & practicam, contradictoria loquuntur, cum ſcientia vera non magis ſit practica, quam ars ſpeculativa, tamen gravius errant, & nullo probabili argumento contendunt Iuriſprudentiam eſſe ſcientiam propriè dictam. Profert pro hac ſententia* Chaſſan. *multa argumenta, quæ, quia nullius momenti ſunt, & res illa huc propriè non pertinet, prætereo. Lubet ſaltem* Gilkenii ex q. An Iuriſpr. ſit ſcientia *argumentum obiter tangere, qui ex eo probat Iuriſpr. eſſe ſcientiam, quod habeat nonnulla axiomata Philoſophica. Illa enim axiomata maximam partem ſunt ex Ethica & Politica, aut ex Logica & Rhetorica, quæ mutuò eadem poſſident, petita, ideoq́; ſcientiam demonſtrare non poſſunt. Præterea licet ſint generalia principia, & ex ſuprema Philoſophia petita, an inde liceat mihi concludere, Iuriſpr. eſſe Philoſophiam: quaſi Mathematica eſſet Metaphyſica, quia utitur principiis Metaph. aut Medicina eſſet ſcientia, quia utitur principiis Phyſicis. Principia enim non faciunt ſcientiam, ſed affectionum per principia demonſtrationes. Imò principia, quæ ſcientiam pariunt, debent priora & propria eſſe. Sed hæc principia ICtorum ſunt à poſteriori, & præterea rei demonſtratæ eſſentiam non attingunt, cum ſint prorſus generalia.*

Dividit autem Ariſtot 6. Ethic. c.7. *prudentiam in tres partes:* Νομοθετικὴν, βουλευτικὴν *&* δικαστικὴν, *quarum*

priores duæ majores, plures & Reipub. magis neceſſarias res pertractant, quàm poſterior, quæ pronunciat tantum ſecundum leges, quibus obligatur, cogiturq́ cum Vlpian. l. proſpexit ∫. 1. Qui & à quibus *dicere: Dura quidem lex eſt, ſed tamen ſic ſcripta. Hæc in rebus ad forum pertinentibus, quæ in comparatione cæterorum minima ſunt portio, potiſſimum occupata eſt, domiq́ tantum prodeſt, & non apud exteros. Sed illæ longè plura & majora ſibi propoſita habent, inq́ omnem Rempub. curam conijciunt. Vnde* Cominæus lib. 3. bell. Gall. *conſiliarios Principum monet, ne in ſola ultima parte occupent curas ſuas, ſed tales evadere potius cogitent, qualis deſcribitur Labeo ICtus* à Pompon. l. 2. ∫. ult. ff. de orig. jur. *qualesq́ Vlpianum, Paulum & cæteros extitiſſe* Tiraquel. in præfat. part. 2. *rectè auguratur.*

His enim Reſp. nullo modo carere poteſt, cum tamen Thom. Morus *ſine iſtis ſuam conſtituerit Remp. iiſdemq́ caruerit Reſpub. Athenienſ. & Lacedæm. &* Colum. li. 4. rei ruſt. *ſcribat: ſine cauſidicis olim ſatis felices fuiſſe, futuraſq́ urbes. Imò cum* Ludovvicus Viues de emendat. Iuriſp. *Vngariæ Remp. melius viguiſſe doceat, antequam Neapolitani legum aucupes eò ingrederentur, quod & in Rep. Roman. oſtendit* Ammian. Macell. *prolixè, &* Petron. Arbit. in Sat. *&* Lucilius Satyr. *cujus verſus refert* Lactant. li. 5. *Nec efficax eſt argumentum* Chriſtoph. Ehemij li. 2. princ. Iur. c. 6. *pro eorum dignitate. Non enim quovis modo dirigi ad nobilem finem, dignitatem parit, ſed modo quoq́ nobili. Alioqin ſunt inſtrumentales nonnullæ diſciplinæ ad juſtitiam comparatæ, quæ tamen propterea æquè nobiles non ſunt. Quin etiam priores duæ partes, cũ univer-*

univerſali Reip.ſalute attingũt juſtitiam, ſed eminentiori modo, prout Cicero *docet* 1.de leg.

Poſt ICtos, collocamus Medicos, quorum conditio, vt ait Vlpian.l.*1.§.*1.ff.de extraord cogn.*juſtior eſt, quam Philoſophorum, cum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam gerant. Meritò enim* Modeſtin.l.Inter eos.*§*.2.ff. Ex quib.cauſ.mai.*medicos militum dicit publicè prodeſſe, quia, quid vtilius fieri potuit, quàm quod Hippocr.plurima oppida à peſte liberavit*, Gal.de commod.Ther.c.6.Aet. Tetrab 2.ſer.1,c.94.*pro quo beneficio ipſi Athenis honores Herculis decreti ſunt, eiuſdemq́ manibus Coi ſingulis annis parentarunt*.Soran.in hiſtor. *Annon Democedes Crotonienſis regnum ſervavit, cum Darium ſervaret*, Herod.li.3. *& Antonius Muſa, cum Auguſtum, cui ob id ſtatua decreta eſt iuxta Æſculapium*: Tranquil.in Aug.c.59. *ipſiq́ Æſculapio habita erat Romæ ſupplicatio, vt ex Epidauro veniret, & Romam peſte liberaret*. Liu.li.25. *Tantum honorem Medicis habuerunt, quod illud* Quintiliani *ſcirent: Sola medicina eſt, qua omnes indigent. Sicut enim ſine ſanitate*, dicente Orpheo in Hym.*cætera ſunt inutilia, ita & ſine medicina. ſicut pulcrè ediſſeruerunt* Lucian. in Med.abdic.Alex.Aphrod in pr.ſect.2.probl.& Caſſiod. li.9 Ep.19 *vbi ſcribitur formula comitis Archiatri.*

Medici.

Propter has & alias rationes Petrus Charmenſis in Lixoperita *medicum exæquauit ICto, imò* Bernardus medicus Florent.in diſput. ſuper hac re *antepoſuit, quam diſceptationem* Poggius Flor. *olim in medio reliquerat. Quicquid ſit, certè* Panormit. c. cæterum. verſ. venio ad gl.ext.de iura. cal.& Luc. Pen.in rub. C. de prof.& Med.li.10, *argumentum nõ valet, alioquin univerſa philoſophia, tum Iuriſprudentiæ, tum Medicinæ præ*

ponenda erit. Antiqui ſane cum maximam Medicinæ utilitatem viderent, Medicos pro Dijs habuerunt, Hippocr. de antiq. medic. *ipſiq; reges & Pontifices Medicinam exercuerunt, vt latè aiducit* Tiraq. de nobil. c. 31. Caſtella. lib. 1. de off. reg. c. 17. *Nec paßi ſunt à civitatibus medicos abeſſe. Quam ſollicitè Artaxerxes accerſiverit Hippocratem* ex Ep. eius ad Hyaſt. *patet. Melampo Argivi dederunt regnum, vt mulieres ab inſania liberaret*. Herod. li. 9. *Dioſcorides in delitijs fuit Antonio & Cleop.* Suid. in Dioſc. *Alexandro Philippus*, Arrian. in Alex. hiſt. *Pyrrho Timochares & Nicias*, Plut. in Pyr. *&* Virg. 12. AEneid. *Iapidem medicum adjungit ſuo Æneæ, quem imitatus* Syli. Ital. li. 5. *Hannibali addit Synalum Nullibi enim Medicina carere poſſumus, quod ubi advertit Auguſtus, cum peregrinos omnes eijceret urbe, ſolos medicos & præceptores reſervavit.* Sueton. in Aug.

Philoſophi. *Succedunt Philoſophi ſpeculativi, quorum vitam dicebat* Ariſt. 10. Eth. *á Rep. alieniorem, qui tamen propterea Rep. non ſunt eijciendi, ſicut tempore Domitiani Philoſophos Italia pulſos memorat* Xiphili. in Domit. *Nam* Plato 5. & 6. de Rep. *tum demum ſalvas futuras Reſp. ſcribit, ſi vel imperantes philoſophentur, aut philoſophi imperẽt, quod in ore habuit ſemper Antoninus*, Capitol. in Anton. *latiusq; explicant* Philo. li. 2. de vir. Moſ. Cic. in Ep. ad Q. Frat. Nicepho. Blemi. in pr. ſuæ Log. Boet. in conſ. *Nec eſt, quod de Metaphyſica* cum Ramo *quiſquam obijciat illud* Plutarchi: *Eam eſſe inutilem, & proinde cum* Gell. li. 5. c. 15. *Ennianum Neoptolemum probet, qui ait: Philoſophandum eſt paucis, nam omninò haud placet. Quamvis enim nobilior eſt Metap. quam vt ex vtili æſtimari debeat, tamen, quod* Themiſt. 1. de an. c. 1. *de ſcientia animæ dicebat, tam*

fœcunda

fœcunda eſt eius bonitas, vt præter intentionem ſuam eius ra dios ad omnes diſciplinas diffūdat, iiſq́; incredibile momẽtum afferat.

Cum hoc doctorum ordine coincidit militaris, quia ſicut illo in pace, ita hoc opus eſt in bello 2. Pol. 7. 7. Polit c 8. *Apud Polonos ordo militaris primas habet,* vt dicitur li. *1.* Stat.c.3.a.1.l.*2. cuius quandam rationem affert* Polydor. Virg.li.*2.* c.10. *quia facta dictis præſtant: Sed, quia parui ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi,* Cic.1.de off. *& qui conſilio iuvat, plus iuvat, quàm qui armis,* Cice. in Cat. *æqualis eſt vtrorumq́; dignitas, niſi præſens neceſſitas vnius conditionem nobiliorem efficiat. Tum enim is præferendus, quem præſentia magis exigunt, ſicut Valent. & Valens ſtatuerunt* l.in ciuilib.1.C.de offic.Vicar. *vt in civilibus cauſis Vicarij comitibus militum anteferrentur, in militaribus negotijs comites vicarijs. Vide* Bolog. in diſp. & Lauterb. in li. de hac re, &c.

Militaris ordo.

Alias militia per ſe non nobilitat, cum apud Romanos cogerentur cives omnes militare: Polyb. li. 6. l.cum ob C. de his qui non impl.num.l.fin. C.de veteran. *& qui ad dilectum, non reſpondebat, libertatem perdiderat* l.4. §. 5. de re milit. *nec tamen omnes fiebant nobiles, imò libertini repellebantur à dignitatibus,* l. 1. C. ſi ſerv. aut lib. *cumq́; App. Claudius libertinorum filios legiſſet in ſenatum, ſenatus inquinatus putabatur indignis.* Flor. lib. 9. Epit. *ſed his patebat militia, vt conſtat ex* l. ſi duobus, ff. de teſtam. milit. l. 43. de op. lib.1. ſuper ſervis, C. Qui mil. poſ. *Præterea* Faber in rub. de milit. teſtam. Inſtit. *hoc argumento utitur: Infamia non compatitur dignitatem* l. infamia C. de Decur. lib.10. *ſed miles po-*

teſt infamis eſſe, quia damnatus publici criminis, fit infamis, l. Infamem de publ. iud. *non tamen deſinit eſſe miles,* l. ſi quis filio §. irritum ff. de iniuſt. teſtam. *Non tantum oſtendit ratio hæc, militiam non nobilitare, ſed ne dare quidem dignitatem, quod elici videtur* ex l. ult. C. qui mil. poſſ. & Salicet. *idem notat ex* l. ult. C. de pagan. *Proinde non rectè ſentit* Alciat. in lib. de ſing. cert. c. 30. *ex ſententia* Iacobi Trivultii, *militiam omnem nobilitare, quod tenet etiam* Raynud. de nobil *ſed* Matth. de Afflict. in conſt. Sicil. quæ incip. Conſtitutione præſenti in 1. notab. *rectè ſentit; Licet ſimplex militia non connumeretur inter gradus dignitatis, ea tamen, quæ cum præpoſitura eſt, ut ſunt Capitanei Equeſtres, vel Pedites, dignitatem habet.*

Reſtat jam ordinem nobilium ſubijciamus.

Ordo nobiliũ. *Nobilium autem nomen latiſſimè patet, ita, ut complectatur omnes ordines infra majeſtatem uſq; ad plebeios. Nam & Marchionem Miſnenſem Innocentius III. vocat nobilem virum* c. conſtitutis, de teſt. & atteſtat. *& Innoc. IV. comitem Bononienſem, regis Portugaliæ fratrem, nobilis nomine citat,* c. Grandi in pr. de ſuppl. neglig. præl. in ſext. *Eadem vis eſt nominis Generoſi. Licet enim ſi Etymologiam ſpectemus,* Cornel. Front. in lib. de nom. verb. diff. *nobilem dicat nominari nobilitate rerum, Generoſum autem eum, qui Græcè γεννᾶιος* apud Ariſt. 2. Rhet. *appellatur, quod & indicavit* Ovid. 4. Triſt. El. 3. *O, qui nominibus cum ſis generoſus avorum, Exuperas morum nobilitate genus: tamen uſus Latinitatis obtinuit, ut & de nobi-*

nobilitate ex proprijs factis dicatur generoſitas. Ita enim Marius fortiſſimum quemq; vocat generoſiſſimum, Saluſt. in Iug. *&* Iuven. Sat. 8. *ait: Quis generoſa putet, niſi fortia?*

Sed, quia ambitio hominum plures honorum gradus excogitavit, quam ſuppetant nomina, hinc factum, vt ex conſuetudine coacti fuerint communibus titulis peculiares affingere gradus, qui in ſignificatione nativa non continentur. Oſtendit Tiraq. c. 2. de nobil. *nomina: Clarus, Illuſtris, Spectabilis, Generoſus, Nobilis, apud Latinos de univerſa latitudine nobilitatis accipi, jam olim tamen, & nunc multò magis, quando titulorum proventus luxuriat uberrimus, alium atq; alium dignitatis gradum deſignāt. Clariſſimatus enim, honorem denotat ſenatorium in jure Rom.* l. unic. C. de Eq. dig. lib. 12. *ſeu conſularem.* l. 2. C. de dom. & prot. lib. Eod. Marcel. lib. 21. Caſſiod. 7. Ep. *38. Spectabilitas olim denotavit honorem ducalem* l. 2. C. de dom. & prot. lib. 12. Caſſiod. lib. 7. Ep. 4. 37. *Illuſtrium verò ordo alius fuit, & ſuper illuſtrium, quanquā hunc titulum in jure reperiri negat* Alciat. 3. diſpunct. c. 4. *De quorum omnium, aliiſq; dignitatibus & gradibus conſule* ICtos ad l. 1. ff. de off. ei. cui mand iuriſd.

Impoſſibile enim eſt, in tanta honorum varietate præciſè & ordine nobilium in quavis Repub. numerum determinare, cū is à puro arbitrio ſummæ poteſtatis dependeat. Nam, cum Impp. Græci plurimis cogerentur blandiri, immenſum, quantū multiplicaverint dignitates, vt alia eſſet Imperatoris, alia Auguſti, alia Cæſaris, alia Protoſebaſti, alia Sebaſti, &c. prout ex Paulo Diac. Zonar. Gregor. & Nicc. *patet. Imperij German. nobilitates recenſentur,* c. unic. Quis dic. dux. *Dux, Marchio, Comes, Capitaneus, aliiq;*

aliiq; valvaſores majores, quibus anteponendus eſt Rex Romano. cum cæteris fiduciariis Regibus. Eundem fuiſſe ferè ordinem inter Mammelucos ſeu Nobiles Ægyptios, Martyr refert de legat. Babyl. *Apud Chinenſes*, ait Bot. p. 2. Gæog. *principum nomen ignotum eſt, nec ſunt niſi unus gradus nobilium poſt regem: Apud Muſcovitas ſimiliter, ubi Bajoreni vocantur.* Sigiſm. Bar. in Muſco. *Apud Polonos non tam nobilitas, quam officiorum gradus diſtincti ſunt in Palatinos, Caſtellanos, Capitaneos, &c.* Cromer. de Mag. Polon. *ſicut & apud Turcas in Viſiros Baſſas, Baſſas, Bellerbeios, &c.* Busbeq. 1. Ep. Menavi. de offic. ſecul. Turc. *In aliis Rebuſpub. alii ſunt gradus, quos ſollicitus huc inferciri operæ pretium non eſt.*

Agricolæ. *Ad plebejos pergimus, qui officia tractant ſordidiora, vt agricolæ, mercatores, opifices, &c. De Agricolis extat lex Romuli: Plebeii agros colunto*, Halyc. lib. 2. Liv. lib. 1. *& apud Thraces agricolæ erant contemtiſſimi:* Herod. lib. 4. *Apud Cretenſes Ilotæ & Periæci exercebant agros*, 2. polit. c. 8. *Unde* Iaſon in §. item Inſtit. de Action. *ignobilem putat fieri, qui rus exit ab urbe, quod tamen mos Gallorum, Angl. German. Polon. falſum demonſtrat, & quod* Plin. ſcribit lib. 18. cap. 3. *Manibus Impp. tractatam fuiſſe agriculturam, cum & Cyrus hortos ſeverit*, Xenoph. in Oecon. *& Attalus*, Var. 1. de re ruſt. cap. 1. Columel. lib. 1. c. 1. *Item Archilaus, Hieron*, Plinius dict. lo. *& nobiliſſimi Romanorum agros exercuerint*, Cicer. in Cat. Mai. Colum. 1. de re ruſt. c. 1. Plinius lib. 18. *Ideoq;* Ariſtot. 7. polit. c. 9. & 10. *diſtinguit inter poſſeſſores agrorum, quos nihil vetat eſſe nobiles: & inter cultores, qui ad ſervilia opera non parum deflectunt: ſin verò precium pro labore accipiant, omninò ad ſordes abeunt.*

Oportet

Oportet autem hunc ordinem præ cæteris diligenter in Repub. conſervari, Plato 3. de ll. Ariſt. 1. polit. c. 5. 7. Pol. 8. 1. Oec. 2. Aver. tr. 3. Pol. *quia in omni Repub. ante omnia neceſſarium eſt alimentum*, 7 polit. c. 8. *At hoc maximè & commodiſſimè acquiritur per agriculturam, qua de cauſa Terram eandem vocabant matrem & Cererẽ*, Var. 3. de re ruſt c. 1. *Unde & leges vetant ruſticos avocari ab operis*, l. 2. de Nund. l. 1. C. de agric. *ne*, ut loquitur Calliſtr. *deſtituatur annonæ præbitio, eademq́ de cauſa cenſorium probrum erat, agrum malè colere*, Plinius lib. 18. & Varro 2. de re ruſt. in præf. *conqueritur de Romanis, quod, poſtquam intra murum ferè correpſerunt patresfamiliæ, relictis falce & aratro, frumentum locent, qui nobis advehat, qui ſaturi fiamus, ex Africa & Sardinia, & navib. Vindemiam condiant ex inſula Coa & Chia, quæ verba repetit* Colum. in præf. 1. de re ruſt. *Accedit, quod honeſtiſſimus modus acquirendi ſit ex agris. Cætera*, inquit Colum. d. lo. *diverſa & repugnantia, quaſi diſſident à juſtitia: ſed hoc genus amplificandi retinendiq́ patrimonij omni crimine caret. O Fortunatos nimium, bona ſi ſua norint Agricolæ, quibus ipſa, procul diſcordibus armis, Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus*, Virgil. in Georg.

Varro 3. de re ruſt. c. 1. Colum. in præfat. lib. 1. *duas alias tangunt rationes, quas una cum præcedenti complexus eſt* Cato in pr. lib. de re ruſt. *Virum bonum, inquit, cum laudabant, ita laudabant: Bonum agricolam, bonum colonum. Ampliſſimè laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur. Mercatorem autem ſtrenuum ſtudioſumq́ rei quærendæ exiſtimo, verum periculoſum, & calamitoſum. At ex agricolis viri fortiſſimi & milites ſtrenuiſſimi gi-*

gũntur: maximeq́ pius quæſtus ſtabiliſſimusq́ conſequitur; minimeq́ invidioſus: minimeq́ malè cogitantes ſunt, qui in eo ſtudio occupantur. Nimirum optimus eſt populus, qui conſtat ex agricolis : 6. Polit. c. 4. *quippe, Extrema per illos Iuſtitia, excedens terris, veſtigia fecit.* Virgilius in Georg. *deinde uſu indureſcunt ad belli labores ſuſtinendos, qua de cauſa annum ita olim diviſerant, vt nonis modo diebus urbanas res uſurparent, reliquis vt rura colerent. Quod dum ſervârunt*, ait Var. in præf. lib. 2. *utrumq́ conſecuti ſunt, vt & agros fœcundiſſimos haberent, & ipſi valetudine firmiores eſſent. Inde Gallos robur ſuum acquiſiſſe autor eſt* Polyb. lib. 2. *& Maximinum.* Capitol. in Max. Philo 1. de vit. Moſ. Xenoph. in Oecon. *Vt taceam jucunditatem ſtudij hujus, quam* Xenoph. d. lo. Virgil. in Ecl. & 2. Georg. Horat. in Epod. Cicer. de ſen. Polyd. Virg. lib. 3. de inu. rer. c. 1. *in commendationem producunt, quia Politicus rationem habet, non jucundiſſimæ, ſed optimæ vitæ.*

Mercatores. *Poſt Agricolas neceſſarij videntur negotiatores ſeu mercatores, quos plerarumq́ Rerump. authoritate inter plebeios reijcimus.* Halycar. lib. 2. *ne quidem inter cives Rom. eos relinquit, &* Martian. l. legatis 65. de leg. 3. *negotiatores accenſet ſervis. Sed huic l. derogatum oportuit, cum admiſſi fuerint ad ſuffragia,* Sigon. 2. de jur. Rom. c. 7. & Cic. 5. in Ver. *introducat Gavium Coſſanum, conquerentem, ſe civem Roman. eſſe, & meruiſſe cum L. Pretio Splendidiſſimo Equite, qui Panormi negotietur, in quem locum* Manut. *Equitibus, inquit, mercari licebat: patritijs minimè. Vnde illud* Cice. in Parad. *propter aviditatem nullum quæſtum turpem putas, cum iſti ordini ne honeſtus quidem poſſit eſſe ullus. Clarius* Liv. lib. 20. *Quæſtus omnis*

patribus

patribus indecorus viſus, & Scævola l.3. de vac. & excuſ. mun. *Senatoribus navem habere non licet, l. Iulia Repet. Quin & Tarquinium viliorem fecit, quod mercaturam pater ejus exercuiſſet*: Val.Max.li.3.c.3. *Veſpaſianũ vituperat* Suet.c.16. in Veſp. *quod negociationes, vel privato pudendas, propalam exercuerit, coëmendo quædã tantum, vt pluris poſtea diſtraheret.* & Capitol. in Pert. *inter Pertinacis ſordes numerat, quod mercaturæ ſtuduerit, quod* Comin. lib.2.bel. Neap. *Ferdinando quoq; regi Neapol. exprobrat. Sed* Damian. à Goës, *regem ſuum, cui idem objectum erat, excuſat, quod in commutandis rebus non tam quæſtum, quam occaſionem propagandæ religionis ſpectet.*

Theophilus enim Imperat. uxoris negotiatoriam navim in portu combuſſit, cum hac increpatione: Cum Deus me Imp. fecerit, tu me nauclerum facere contendis. Scito autem mercaturam privatis hominibus eſſe attributam, vt eam tolerandæ vitæ occaſionem habeant. Quod ſi nos præter imperij opes, etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, unde nam fortunæ tenuioris homines victum comparabunt. Zona. in Theoph. *Revera enim mercatura aliquid ſordium habet, quia ſine fraude vix quicquam proficit, & cum incommodis aliorum conjuncta eſt.* 7. polit. c.9. *In perſonas verò nobiles non cadunt ſordes, quo argum.* Bald. in l.cum legitimæ, ff. de ſtat.hom. *Baſtardos negat eſſe nobiles, quia ſordes, ait, non merentur nominari inter præcipuos. Quin etiam elangueſcit nobilitas & virtus, ſi in quæſtu faciendo occupetur, quam ob cauſam* Cæſ. *ſcribit* 2. de bel. Gall. *Nervios à ſuis oris repuliſſe mercaturam, & Apollonius Thyanæus ſolitus fuit adoleſcentes ab ea abducere, tanquam à re vili, quæ non veretur odium*

omnium capere, modò ſit cum aliquo conjunctum lucello. Philoſtr. lib.4.& 8.

Hinc factum eſt, ut nobiles negotiari prohibiti fuerint, l. Nobilior. C. de com. & merc. l.6. C. de dignit. *quia & inter ſordidos & abjectos quæſtus mercatura reponitur.* l. Humilem, C. de inceſt. nupt. l.Senatores 1. C.de nat. liber. *Ruſſorum nobiles adeò deſpicatui habent mercaturam, ut mendicare malint, quam eam exercere,* Sigiſm. Bar. *Apud Polonos pro Nobilibus non reputantur, qui exercent eas artes & actiones, quas communiter cives, & qui in civitatibus morantur, exercere ſolent, ut ſtatuit Alex. Anno 1505.* Lib.1. ſtat.Polon.c.15. a.1. l.3. *Nec apud Saxonas olim nobiles æſtimabatur, qui mercaturæ dabat operam, ut patet ex 9. articulo Torneam: quem Philippus Cæſaris Canc. rogavit, & Henricus Auceps confirmavit, ne liceat ad illam palæſtram prodire, qui mercatura nobilitatem contamminaſſet,* Münſter.in deſcript.Torneam. *Cautum quoq; eſt in Saxonia anno 1573. ne nobiles mercaturam, cæteravé civium opificia ad ſe transferant, quod Mauritius & Auguſtus Electores propterea ſe conſtituiſſe addunt, ne nobiles civitatibus debitum lucrum præverterent, & ſuo genere quicquam indignum admitterēt,* Conſtit. Electoral. Saxon. pag.17. & 124. *Civitates Daniæ, Haffnia & Ellenbogen, inter cætera, quibus ſe à nobilitate prægravatas putabant, hoc quoq; urſerunt, quod commercia ipſi nobiles tractarent, nec civibus relinquerent, unde familiam alere poſſent.* Vide reſponſ. civitat. contra nobilitatem pro Chriſtierno.

Veneti tamen, Genuenſes aliæq; ad mercaturam ſitæ civitates, non credunt per negotiationes nobilitati detrahi, ut Poggius refert de nobilit. *quanquam* Cepoll. in mat.

mat. nobil. *etiam nobilitati per mercaturam aliquid decedere putat in illo loco, ubi ex ſtatuto licet nobilibus negotiari.*

Cæterùm ne omnes mercatores uno ſtylo perfodiamus, diſtinguendum eſt cum Cicero.1.de offic. *inter mercaturam tenuem, & copioſam. Mercatura, inquit, ſi tenuis, ſordida putanda eſt: ſin copioſa, magna & multa undique portans, multisq; ſine vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda. Et de hac interpretandum eſt illud* Ariſt.ex 6.Pol. *Neceſſarium eſt in omni civitate, aliquid vendi, aliquid emi, eò, quod, quibus Reſpub. indiget, non omnia domi naſcantur. Aliam rationem affert* Plato 2.de ll.& Calliſtr.l.ſi quis.2.ff. de Nundin. *ut ſint, qui à ruſticis & opificibus emant, ne ſi ipſi cogantur in foro emtorem expectare, rus & opificia negligant. Adhuc aliam addit* Plutarch.in Sol. *Honor, ait, habitus olim fuit mercaturæ, quod ad Barbarorum neceſſitates, comparandasq; Regum amicitias valere putabatur: Ex eaq; homines multarum & maximarum rerum experientiam percipere: Eo conſilio Solon ad mercaturam ſe contulit: Plato oleum in Ægyptum exportavit:* Theod.in lib.de act. virt. *& Thales oleum in Chio coëmit,* 1.Pol.7. *oſtenſurus, etiam Philoſophos poſſe diteſcere, niſi illud* Vlpia.l.8.ff.de vac. & excuſ.mun. §.4. *nimis verum putarent: Verè Philoſophantes pecuniam contemnere.*

Oportet autem mercaturam honeſtè inſtitui, id eſt, ut res neceſſariæ ad Rempub. inferantur, nec exportentur illæ, quibus vel Reſpub. carere nequit, vel quibus armantur hoſtes: l. Non ſolum.de com. & merc. l.1.& 2. Quæ res export. C. ad liberand. de Iud. & Sarra. *idq; ſine fraude, ut præcipitur* Levit.19.v.11. *aut ita, ut lucrum non ſit propoſi-*

tum mercatori, tanquam ꝑ̄tus, ſed tanquam ſtipendium laboris, ut dicit Thom.2. 2. q. 77. *Hoc enim lucrum honeſtum vocare poſſumus*, cum Innoc.III. c. per veſtras de donat. int. vir. & ux. & Leone c. Qualitas diſt. 5. de pœnit. *Lucrum enim verum eſt*, definiente Caſſiod.lib.9. c. 15. *quod conſtat judicia divina non punire. Quanquam non infitemur, difficile eſſe, ut non plenius æquo Laudet venales, qui vult extrudere, merces.* Horat.2.Ep. *Quid enim ſtultius*, ait Cice.3. de offic. *quam venditorem vitia rei, quam vendit, narrare, & quaſi per præconem prædicere: Domum peſtilentem vendo.*

Unde Leo Pap. Ep.90. c. Qualitas.diſt. 5. de pœnit. *licet quæſtum quendam putet negotiantem excuſare, tamen addit: Pœnitenti utilius eſſe, etiam diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi, quia difficile eſt, inter ementis vēdentisq; commerciū, non intervenire peccatum.* Pompon.*enim concedit in precio Emtionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire* l. in cauſæ 16.§. Idem, ff.de Minor. *quod &* gl.d.c. Qalit. *elicit* ex l.Item ſi pretio,§. Qemad. ff. Locat.cond. Baldusq; *notat ex manifeſta* l.2. in fi.C de reſcind.vend.& c. cum cauſa ext. de empt. & vendit. *qui cum* in c. cum cauſa in fin. de Teſt. *illud dixiſſet, addidiſſetq; non tamen id licere in foro conſcientiæ, tandem infert: Quò ergo vadit anima mercatoris? Unde* Eccleſiaſt. cap.26 v.28. *duæ, inquit, ſpecies difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt: difficile exuitur negotians à negligentia, ſive à deceptione: & non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum, ex quo traxit* Chryſoſt. *quod* 2. part.Homil.38. in Matth. cap.21. *nimis duriter ſcribit, repetitq;* Gratian.c.Eijciens diſt. 88. arg.Pſal.70. *De tenui denique mercatura conſentiunt*

omnes

omnes Ciceroni 1. off. *qui ſordidos eos ait eſſe, qui emunt à mercatoribus, quod ſtatim carius vendant. Nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. Nec verò quicquam eſt turpius vanitate, nec quicquam ingenuum habere poteſt officina.*

Reliqui opifices viliores ſunt & inter plebeios infimi, quos Ianott. de Repub. Venet. *peculiariter populares vocat. E, inquit, ſon quelli, i quali eſercitano arti viliſſime per ſonſtar la vita loro. Et nella città non hanno grado alcuno. Iam olim manuarij opifices excludebantur Reipub. honoribus, priuſquam rerum ſumma ad plebem devolveretur.* 3 Polit. 3. *Nec Lycurgus in ſua Repub. opificibus locum dedit,* Plutarch. in Lycurg. *nec Romulus.* Halyc. lib. 2. *Nemini enim Romanorum, ait, licet cauponariam, aut ulla opificia tractare, ipſeq́;* Cicero pro Flac. *opifices, tabernarios, &c. vocat fecem civitatum, &* Herod. in Euterp. *ſua ætate ſcribit opifices fuiſſe contemtiſſimos. Ariſtot. licet* 7. polit. c. 8. *eos putet neceſſarios,* c. 9. *tamen in optima Republic. non vult miſceri civibus, quia,* ut 3. polit. c. 5. ait, *non poteſt virtutem ſectari, qui in vilibus opificijs vitam traducit, quam rationem huic rei aſſignat quoq;* Demoſth. in orat. de Repub. ordin. *In optima verò Repub. civis debet perfectiſſima virtute præditus eſſe.* 7. Polit. c. 8. *Idemq́; docet* Eccleſiaſt. c. 38. *qui propterea à ſella judicis opifices excludit, &c.* Opifices.

Sed quia noſtræ Reſpub. non ſunt omninò perfectiſſimæ, demus cum Libye regina Ægypti, Iſocr. in laud. Buſir. *inter cives eſſe opifices, quos* Plat. 2. de ll. *facit materiam civitatis,* & Ariſt. 4. Polit. c. 4. 7. Polit. c. 8. *poſt agricolas numerat, propter neceſſitatem, quam artes præſtare Reip.* Cic. *docet,* 2. de off. *Adhuc tamen* cum Cic. d. lo. & Ariſt.

Ariſt. 4. polit. 4. *diſtinguendum eſt inter artes ad neceſſitatem: & ad voluptatem comparatas. Hæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum, (loquor cum Cicero.) minimè probandæ, vt cetarij, lanij, coqui, fartores, piſcatores,* ut ait Terent. *Adde his, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, totumq; ludum talarium.* *Rectè* Cicero *& poſt eum* Sene. Ep. 88. *à Rep. tales opifices amandat, quod ingenia ſua ad perniciem civium accommodent.*

Coci. *Et, quod ſaltatores, & id genus homines attinet, de ijs dicemus proximè ſub officio Cenſorum: Cocos verò etiam Lacedæm. Repub. ejecerunt,* AElian. 14. var. hiſt. *exceptis, qui jus atrum coquerent.* Plutarch. in Lyc. *Nam Mythecum, qui in coquinaria peritior erat, juſſerunt urbe exire.* Max. Tyr. ſerm. 7. *Quo in loco apud Romanos fuerint, docet* Livius lib. 39. *Coquus, inquit, viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione & uſu, tum in pretio eſſe, & quod miniſterium fuerat, ars haberi cepta: Imò adhuc inter ſervos cenſentur.* l. legatis. 65. de leg. 3. l. 99. eod. *Piſtores quoq; nullos Romæ fuiſſe, usq; ad bellum Perſicum anno V. 580.* Polydor. Virg. *docet* lib. 3. cap. 2. de inu. rer. ex Plin. lib. 18. c. 11. *Sed, vt eos, qui panem ſimpliciter conficiunt, in Rep. patiamur, dulciarios tamen, & id genus alios ſcitamentorum fabros ablegamus, eodem argumento, quo* Veget. 1. de re milit. cap. 7. *eos à caſtris abeſſe jubet.*

Tabernarii. *Tabernarios etiam, ſeu,* ut vocat Marcel. *Popinones & Caupones in viliſſima fece civium ponit* Cice. pro Flac. *& Clem. V. clericos, in talibus artibus occupatos exautorat, quaſi inhoneſtis artibus ſuum ordinem inquinantes:* Clem. 1. de vit. & hon. Cler. *Imò* c. Clerici diſt. 14. *vetantur Clerici tabernas ingredi, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi, & Demoſthenes Diogeni exprobravit, quod in taberna*

taberna cœnaret, Ælian. Var. hiſt. *Eodem gladio jugulantur unguentarij, quos* Plut. in Pericl. *ſordidis opificibus immiſcet: ſed* Senec. lib. 4. nat. qq. *teſtatur à Lacedæmon. urbe pulſos, & Auguſto vitio datum eſt, quod proavum habuiſſet unguentarium, Græci vocant μυρεπώλας, ne quis fortaſsè pharmocopolas intelligat, quos tamen olim quoq; cum inhoneſtis numeratos fuiſſe,* Lambin. *colligit ex illo* Horatii: *Ambubajarum collegia, pharmacopolæ.*

Omnium verò conſenſu inter infimos collocandi ſunt Pantomimi, hiſtriones, ludiones &c. Pantomimorum enim ædes vetuit Tiber. ſenatores ingredi, Tacit. 1. Annal. *& hiſtriones Italia excluſit,* Tacit. 4. Annal. *quos unà cum pantomimis removit Trajanus,* Plin. in Panæg. *Comprehendo autem ſub hoc ordine, non tantum ludiones ſcenicos, quos Pegaſus & Nerva filius infames pronunciãt, ſi ob præmium in ſcenam deſcendant,* l. 2. §. Ait prætor. in fin. ff. de his qui not. inf. & AEmil. Prob. in præf. *partim infames, partim humiles, atq; ab honeſtate remotos putat: ſed & tibicinas iſtos, qui fruſto panis ad cantandum conduci ſe patiuntur. Eos enim in ſordidorum & infamium loco habent Canones,* c. definimus 4. q. 1. c. pro dilectio. de conſ. di. 2. *& Ius Saxon. ab Vnionibus honeſtis repellit, non propter Muſicam, quam nunquam ſatis laudatam à* Plut. de Muſ. Boet. in pr. 1. lib. de Muſ. Capell. de Muſ. antiq. Aleſs. Picoll. lib. 4. Inſt. Mor. c. 12. 13 *credimus, ſed quod Muſica ad turpem quæſtum abutantur, & malè præterea vitam deforment, ſicut Diog. Cyni. dicere ſolebat: Eos chordas quidem benè temperare, animi autem mores diſtemperare,* Salmuth. in not. 1. p. ad Pancir. *& rectè* Livius lib. 9. *cum ſcripſiſſet, tibicines, ebrietate* Mimi

ſepultos, Romam revectos fuiſſe, ſubjungit: Solet enim id genus hominum, vini avidum eſſe.

Non poſſumus plures jocularium artium in ſcenam producere, ſed ſi quæ ſunt ad corruptelam comparatæ, aut Repub. excludi, aut infimo loco negligi debent. Neceſſaria verò non habentur omnes eiusdem rationis. Nonnullæ enim licet deſiderari commodè nequeant, tamen ſua natura ita ſordidæ ſunt, ut ingenui ab ijs abhorreant, quale eſt officium lictorum, Carnificum, Libitinariorum, Agitatorum, &c Carnifice opus eſt, niſi accuſator ipſe, reo manum inferre velit, qui mos fuit apud Lituanos olim, Alexand. Guagn. in deſcript. Litu. Crom. lib.16. *& Gandavenſes, cum filius patris jugulum hauriret, quod publica perſona, quæ id faceret, non eſſet.* Bodin.3. de Repub. c.8. *Sed tamen carnifex honeſtis civibus admiſcendus non eſt, verum,* ut ait Cicero pro Rabi. *extra mœnia ablegandus, in quo loco & Romæ habitabat, ut patet ex illo* Plauti: *Extra portam Metiam currendum eſt prius, Lanios inde accerſam duos cum tintinnabulis. Idem apud Rhodios obſervari ſolitum, teſtis eſt* Dion Chryſoſt. orat. 31. Kirchman. lib.2. de funer. Roman. c.24. *Eadem de cauſa, ſcilicet ob ſordes, amoti ſunt urbe Coriarij & Veſpillones, ut conſtat ex verbis* Artemidor. lib.1. c. 53. *Coriariam exercere malum omnibus. Corpora enim mortua abjectat cerdo: ideoque ab urbe ſecluditur.*

Cæteri opifices, qui nec ſordida opera, nec inhoneſtum quæſtum exercent, nec corruptelas inducunt, civibus aſſcribi queunt cum Plato 2. de ll. & Iſocr. de laud. Buſ. *eo tamen ordine, ut, qui honeſtioribus utuntur medijs & plus proſunt Reipub. potiorem ſemper obtineant locum. Fabros enim commendat ipſe Deus,* Exod. 31. *nec pudet Vlyſſem ſe fa-*

ſe fabrum profiteri, apud Hom. 23. odyſ. *quod ſine hac arte civitas commodè extrui, muniri, aut arma ad bellum parari nequeant. Unde non parvum incurrerunt periculum Iudæi, cum faber ferrarius nullus eſſet in Iſraël.* 1. Reg. cap. 13.

Declaravimus ordinem civium, quoad dignitates, ſed, quam Thucyd. lib. 5. *putabat cauſam eſſe, quapropter exercitus Lacedæm. tam accuratè diſtincti fuerint, eadem coget politicum diſtinguere cives in certas claſſes, ut ſcilicet commodè gubernari per juſſa & imperia majeſtatis poſſint. Id enim ſumma regis Servij ſolertia factum teſtatur* Flor. 1. hiſt. c. 6. *ut omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq́; diſcrimina in tabulas referrentur, ac ſi maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur.*

Tribus & curiæ.

Antiqua eſt diſtributio civium in tribus, in quas Hebræi diſpoſiti erant, & Athenienſes à Theſeo. Quatuor enim φυλὰς *inſtituiſſe Theſeum*, Stephanus, Pollux lib. 8. Pauſan. in Att. *aliiq́; ſcribunt, quas alij eo numero manſiſſe, alij ad 10. alij ad 12. uſque auctas fuiſſe putant, de quibus videatur* Plutarch. in Solo. Theſ. Cimo. Vlpian. in Timocr. Pauſan. in Att. Covar. lib. 4. Var. reſol. c. 1. n. 6. Sigon. 1. de Repub. Ath. c. 2. *Romulus in ſua Repub. imitatus eſt ſimilem diviſionem. Quanquam enim* Livius li. 1. *à ceteris diſſentit*, Varro *tamen* 4. de ling. Lat. Plutarch. in Rom. Dionyſ. lib. 2. Aſcon. lib. 3. in Ver. Propert. lib. 4. Eleg 1. *urbem à Romulo teſtantur in tres partes diviſam fuiſſe, Tatienſes, Ramnenſes & Luceres, quas inde tribus appellatas veriſimilius putat* Perion. lib. 2. de magiſtrat. Roma. *quam* Livius *à tributo. Tarquinius*

Priſcus duplicavit quidem prædictas tribus, ut Dionyſius docet, *ſed numerum non mutavit. Servius verò Tullius, quem* Livius lib. 1. *autorem tribuum laudat, quanquam* lib. 10. *ante eum tres tribus concedat, non tantum nomina, ſed & numerum tribuum mutavit, quatuorq́ urbanas inſtituit, quibus quot ruſticas adjecerit incertum eſt.* Dion. lib. 3 Sex. Pomp. Var. 4. de ling. Lat. *In ſumma tamen 35. tribus fuiſſe* ex Cic. cont. Rull. lib. 3. in Ver. & ibi Aſcon. Pædian. Liv. lib. *1.* 6. Plut. in Grach. *colligunt* Onuphr. Panuin. Nicol. Gruch. lib. 2. de comit. Rom. Sigon. de antiq. iur. Rom. c. 3. Godoleu. ad lib. *1.* Liv. Covar. lib. 4. var. reſol. c. 1.

Tribus ſubdiviſit Romulus in Curias, has in decurias. Quanquam enim Curiarum notionem admodum obſcuram facit Livius, *adeò ut* Perion. lib. 2. de mag. Rom. *fateatur ſe ignorare, quid per curias* Livius *intelligat: tamen* Gruch. lib. 3. de Com. c. 1. & Budæ. in poſt. annot. n. *curias comparant paræcijs apud nos, cum* ex Dionyſ. lib. 2. *manifeſtum ſit: Curiam fuiſſe decimam partem tribus, certis ſacris, certoq́ loco alligatam. Athenienſes tribus diviſerunt in τρίττυας, ἔθνη, & φρατρίας, easq́ viciſſim in partes tricenas, quas γένη, ſeu gentes dixerunt.* Sigon. 1. de Repub. Athen. c. 2. *Sed præterea Serv. Tullius aliter diſtribuit populum, non ex regionibus vel locis, ſed ex cenſu, in claſſes & centurias. Sex enim claſſes, in 193. centurias diviſas, inſtituit pro ordine cenſus & divitiarum;* ut patet ex Liu. lib. 1. Diony. lib. 3. Flo. lib. 1. hiſt. c. 6 Gell. lib. 10. c. 28. Aſcon. in Cornel. *de quibus prolixiùs diſſerere, inſtituti noſtri anguſtia vetat.*

Collegia. *Unica tamen diviſio magni adhuc momenti eſt, à Solone profecta,* l. ult. de colleg. *& à Numa uſurpata,*

Plut.

Plutarch. in Num. Plin. lib. 34. 35. *vel*, ut Flor. Oroſi. & Iornand. ſentiunt. *à Ser. Tullio, qua diſpeſcuntur cives in collegia, corpora & Univerſitates. Collegium eſt trium ad minimum*, ex l. Neratius de V.S. *aut plurium perſonarum eiuſdem conditionis ſocietas. Societatem voco, quia collegium eſt nomen juris, quod ſi in pluribus fuerit firmatum, etiam in uno ſervari poteſt. Collegæ autem quos* Var. 2. de ling. Lat. *interpretatur, quaſi ſimul lectos, debent ſimiles eſſe & eiuſdem profeſſionis. Propterea enim* M. Meſſal. lib. l. 1. auſpic. *Cenſores negat conſulum collegas eſſe, quia non iiſdem creantur auſpiciis.* Gell. lib. 13 c. 14. *& in dubium meritò vocatur, an non error ſubſit, quod* ibidem *prætor dicatur collega conſulis, cum ab illo ad hunc provocari potuerit, ut ſuſpicatur* Bodinus. *Nec Medicus eſt collega ICti, niſi in alio quodam communi officio & magiſtratu conveniant. Ex diverſis enim profeſſionibus naſcitur corpus: ex corporum & collegiorum congregatione Univerſitas. Quod ſi unus etiam autoritate & poteſtate excedat nimium, ita ut non tantum in ſingulos, ſed & univerſos jus habeat, qualem ſe facit Pontifex Romanus in concilio, eum non ulterius collegam dici putat* Bodin. 3. de Repub. c. 7. *Abbas enim aut Rector, tam diu collegæ nomen retinet, quàm diu ab aliis ſuam ſententiam vinci patitur.*

Quanquam verò collegia ad amicitiam civium firmandam, diſtinctionem ſervandam eorum, qui eadem tractant, item ad melius excolendas artes, inſtitui debent: tamen ne hoc prætextu, noxia irrepant conciliabula, videndum, nec ulla concedenda ſodalitas, ut vocat Cic. & Cajus ICtus, *niſi conſenſu Reipub. confirmata*, l. 1. 2. & 3. ff. de coll. *Nam cum 300. juvenes Pythagorei Crotonæ novum genus vivendi inſtituere vellent, tantum non à civi-*

 bus tra-

bus trucidati ſunt: Iuſtin.lib.20. *& Athenienſes Alcibiadem damnarunt, quod ſacra collegia privatim tractaret*, AEmil. Prob. & Plvt. in Alcib. Xenoph. 1. re geſt. Græc. *Romæ contra talia collegia, quæ contra Rempub. coierant, L. Cæcilio & Q. Martio Coſſ. SCum factum eſt, ut irrita eſſent*, Cicero in Piſon. *quæ cum reſtituiſſet Clodius, Cæſar iterum ſuſtulit*, Dion.lib.50. *eumq́ ſecutus Auguſtus*, Suet. in Aug. *Claudius*, Dion lib.58. *M. Antoninus* l.1. de manum. quæ ſcr. ad Vniv. *Severus*, l.1. ff. de colleg. *Diocl. & Maxim.* l. Collegium, C. de hered. inſtit. *& Fridericus I.* §. conventicula de pace ten. lib.2.F. *Pontifices item negant collegia ſubſiſtere, quæ non à ſede Apoſtol. ſint probata*, c.1. de relig. dom. in ſext. *quod &* gl. c. ult. de rel. dom. in Quint. *elicit ex* eod. cap. & c. cum olim de conſuet. c.1. diſt.21.

Jus verò collegiorum conſiſtit in hoc, quod poſſint de rebus ſuis, & in collegas ſtatuere, dummodo non ſtatuant, contra ll. publicas. Ita enim Solon, qui hujus privilegij autor eſt, cenſuit, κύριον εἶναι, quicquid ab ἑταιρίαις poſitum fuerit, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα l. Sodales, ff. de colleg. *Et Carolus V. quoq́ irrita declaravit edicta collegiorum, quæ publicæ utilitati præjudicent*: In conſt. Bruxel. editis, *ſicut & Franciſcus I. Gall. rex* in Edict. anno 1539. promulg. tit. de coll. & magiſt. artif. *Nonnullis collegijs etiam juriſdictio in ſingulos collegas conceſſa eſt, ſicut Fridericus II. rectoribus Academiarum, dedit*, Autent. habit. C. ne fil. pro pat. *Sed hæc ex uſu dijudicanda ſunt. Tum autem valet edictum collegij, quando major pars conſentit, niſi aliud ſit exceptum in ll. collegij*, 4. Polit. c.5. l. Quod major 19. ff. ad Municip. de Incol. c. Cum in cunctis de ijs quæ fiunt à mai. par. cap. *quanquam Io-*

han.

han. And. in gl. c. Quod omnes de R. I. in Sext. *diſtinguit in ea, quæ omnes & quæ ſingulos attinent.*

CAPUT XIIII.

De Officiis Reipub. in genere.

POſtquam duas primas partes Reipub. explicavimus, abeundum eſt, ad inſtrumenta, quibus ſuperior regit & continet inferiorem, cum impoſſibile ſit, vt ſumma poteſtas etiam πανόπτης ſit, qualem Argum regem Pelop. extitiſſe ferunt, Euſtath. 2. Iliad. *ſua unius opera a l tantam molem ſufficiat. Quantum enim imperandi onus ſit, prolixè explicavit Tiber. in ſenatu, cum diceret, ſe in partem curarum ab Auguſto vocatum, experiendo didiciſſe, quàm arduum ſit regendi munus.* Tacit. 1. Annal. *quam ob cauſam Diocletianus depoſuit imperium, quod ejus magnitudini non ſufficeret.* Pomp. Læt. in Dioclet. *Imò Seleucus dicere ſolitus fuit, ſi multi ſcirent, quantum eſſet negotij, tantum tot Epiſtolas mittere ac legere, nunquam humo diadema tollerent, quibus non diſſentiunt, quæ ſcripſit Gordianus ad ſocerum ſuum Miſitheum.* Capit. in Gord. Iun. *Hinc oritur neceſſitas vicariorum, de quibus* Cicero in 3. de ll. & Ariſt. 4. Polit. 4. ἄνευ ἀρχόντων ἀδύνατον εἶναι πόλιν. Neceſsitas officialium.

Horum vicariorum munera, ut vocat Paulus l. Munus de V. S. *quia* Cicero 1. de offic. *officia indigetat, inde ICti antiquiores flexerunt nomen officialium, quo utitur &* Vlpian. l. 9. de op. liber. & Conſtantin. l. 1. C. de offic. diverſ. jud. Nov. 17. c. 5. Martin. Laud in tract. de officialib. domin. *Officiales definit* Bod. 3. de Rep. c. 2. *qui habent*

habent munus ordinarium, l. definitum. Sed quia Papinia. l. Filius 7. de legatio. *etiam legationem vocat officium publicum, quam* Paul.l.11. ſ. Eod. & Vlpian. l.22.ſ.2. Eod. *nominat munus. Item* Papin.l.13. Eod. & Paulus l.12. de vacat. & excuſ.mun. *negotium publicum, nihil cauſæ eſt, cur non extraordinarios vicarios, qui gerunt officia majeſtatis, ſub officialium nomine in genere comprehendere queamus.*

Cum igitur ſupra oſtenſum ſit, officia & honores debere dari inquilinis, porrò ſciendum eſt, inquilinos, ſi ea detrectent, à Repub. ad gerenda munera cogi poſſe, Arri. Epict. lib.3.c.7. *ne Reſpub. deſtituatur gubernatoribus, cum videamus, multos refugere adminiſtrationem Reipub. vel magnitudine deterritos,* Vida lib.1. de dign. Reipub. *Vel invidia & mala gratia civium. Non enim* ut dicit AEmil. Prob. in Chabr. *magnarum tantum & liberarum civitatum hoc vitium eſt, ut invidia gloriæ comes ſit, & libenter iis detrahant, quos emergere vident altius, nec animo æquo pauperes alienam opulentum intueantur fortunam: Sed &,* dicente Cromer. lib.30. *apud principes ita fit, ut, qui apud eos principem aut aliquem gratiæ locum obtinent, difficulter invidiam & obtrectationes hominum vitare poſſint. Nec enim tam modeſta ulla felicitas, aut virtus ſuis utilis, mitisvé extitit, quam invidia non vellicarit:* Sabel. lib.7. *ita ut mirum non ſit, Xenophontem repudiaſſe imperium Græcorum, ex hac ratione: Qui enim, inquit, tantam invidiam ſuſtentare poſſem?* Xenoph. lib. 6. de Exped. Cyr. *Et Chryſippus rogatus, quare ab adminiſtratione Reipub. abſtineret, reſpondit: Si benè adminiſtravero, civibus, ſi malè, Deo diſpliceo* Lauterb. lib 2. c.4. *Qua de cauſa & Chabrias multùm civitate aberat, & Iphicrates*

crates in Thracia, Plutar. in præc. reg. Reipub. *Conon in Cypro, Thimotheus in Lesbo, Chaces in Sygeo, Lucullus in prædio &c.* Prob. in Chabr. Athen. lib. 12. Plutarch. in Lucull.

Si quis enim Belliſarium clamantem audiat: Date Belliſario Eleemoſynam, quem virtus extulit, invidia & ingratitudo depreſſit: Crinit. lib. 9. Egnat. lib. 5. *aut Scipionis Africani Epitaphium Linterni legat: Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habes:* Valer. lib. 5. c. 3. Oroſ. lib. 4. c. 10. *Quis non patris Themiſtoclis apophtegma probet, qui filio ſeniles rates in mari diſperſas oſtendens, eandem dicebat eſſe rationem eorum, qui officia publica gerant, quos poſtquam emeriti ſunt, non tantum neglectos, ſed & infortunijs multatos vidimus.* Plut de ger. Rep. *Nam cum Phocioni, ad mortem tracto, Eraphylæus occurriſſet, dicens: O quam indigna pateris, Phocion. At non inopinata, inquit. Hunc enim exitum plerię clari viri Athenis habuerunt.* Æmil. in Phoc.

Sed ſicut Seneca 1. de benefi. *diſputat, ob ingratitudinem hominum non eſſe à benefaciendo abſiſtendum, ita nec cum Coriolano arma movenda ſunt contra ingratam patriam,* Plutarch. in Coriol. *ſed cum Ariſtide precandum, ne tale tempus incidat, quod pœnitentiam facti inducat,* Plut. in Ariſt. *aut cum Camillo, vt eveniat occaſio, invidiam extinguendi, ingratitudinemq́; patriæ exprobrandi,* Livius lib 5. *Interim, quantum licet, cura ad Rempub. adijcienda. Si quis tamen his & alijs moleſtijs abſterreatur, per præſidem, munus agnoſcere, cogendus eſt,* ait Vlpian. l. ſi quis, de Mun. & hon l. Lucius 21. ff. ad municip. *quod jam ſtatuerat* Plato in polit. *idoneos cives ad officia cogi poſſe, ne ea recidant ad indignos: & Græci*

Sophonætum 10. minis multabant, ὅτι αἱρεθεὶς κατημέλει, Xenoph.5.Exped. Cyr. *Severus Imp. ne quidem à patria poteſtate vult filium retineri poſſe, quò minus cogatur patriæ obſequi.* l.Honor, ff. de mun. & hono. *Si enim filius ad officia patri præſtanda cogi poteſt*, ut notat Cujac. in parat. de obſeq.par. *multò magis poterit civis cogi, ut præſtet obſequium patriæ, quia*, ut Plato loquitur in Crit. *An ſic es ſapiens, ut te latuerit, & patri & matri, & progenitoribus omnibus patriam eſſe anteponendam?*

Nec retrahere quenquam debet neglectus proprij commodi, quia, ut Ariſt. *ratiocinatur* 5. Eth. *honor & dignitas pluris æſtimanda ſunt, quàm opes. M. enim Curius, cum rapa in foro torreret: Malo, ait, hæc in fictilibus meis eſſe, aurum habentibus imperare.* Plinius de vir.illuſt. c.33. Sabell lib.8. *Deinde bonus vir ſemper magis penſi habet bonum publicum, quàm privatum*, & Ariſt.2. Polit. 7. *ait: Melius eſſe, ut boni etiam periculoſam gerant magiſtratum, quàm ut Reſpub. peſſum eat, quia jus publicum præjudicat privato.* l. Quod ad jus.14. ff. ad Trebel. & Vlpia. l. uni. ſ. generaliter, de ventr. in poſſ. mitt. *Ventri propterea magis faveri ſcribit, quia puero favetur, ut in familiam inducatur, ventri verò, non tantum, ut parenti, ſed ut Reipub. naſcatur. Deniq. poteſt cauſa hæc præſcindi, ſi poſteriori ſuſtententur ex publico, ut filiæ Ariſtidis*, Plut. in Ariſt. Fulgo. lib. 4. *& Scipionis*: Front. lib.4. *aut pinguia dentur magiſtratibus ſalaria, quod in Repub. omninò fieri neceſſe eſt.*

Salaria officialium.

Æquum enim eſt, ait Caſſiod. lib.2. Ep.33. *ut unicuiq. proficiat labor ſuus, & ſicut expendendo cognoſcit incommoda: ita rebus perfectis conſequatur augmenta. Quid contra iniquius, quàm ſi populus & ſenatus judices, merce-*

de ſua

de ſua priventur? Demoſth. in Timocrat. *Adeò quidem omnibus ſuarum rerum cura inſedit, vt & de Dione, viro bono, ſcribat* AEmil. Prob. in Dion. *quod res Dionyſij propter ſuas curaverit: ſi jam, cives, dum publica tractant, ſua negligere cogantur, non eſt dubium, quin cum uxore Periclis,* Plut. in Pericl *ſemper illud conqueſturi, & inviti ad Rempub. adminiſtrandam ſint prodituri: quo argumento diſputabant Suilius & Coſſutianus contra ſenatum pro ſtipendiis advocatorum: Eloquentiam ſcilicet gratuitò non contingere: omitti curas familiares, vt quis ſe alienis negotiis intendat.* Tacit. 11. Annal.

Baſilius I. Impe. alia de cauſa officialibus larga dabat ſtipendia, ne cupidinem in ſubditorum bona converterent, aut ab ijs munera extorquerent, Cedren. in Baſil. *quam rationem ſtatuto Andronici Comneni quoque aſſignat* Nicet. 2 An. *quo ſalaria ampliabat judicibus. Nam & illud diſputatur, utrum Xenia, & munera liceat magiſtratibus accipere, & Severus* l. Solent, 6. de offic. proconſ. *Modeſtinus* l. 18. de off. præſid. *Bonifacius VIII.* c. 11. verſ. inſuper, de Reſcript. in Sex. *eſculenta & poculenta tantum concedunt accipi licere, quæ neceſſaria ſunt in dies paucos: Sed non à reo vel actore hæc accipi voluerunt, ſed ab ijs, qui mera liberalitate offerunt. Litigantes autem non offerunt ex mera liberalitate, ſed ad favorem judicis conciliandum. Unde Ephialtes ne ab amicis quidem accepit, veritus, vt vel contra jus ijs gratificaretur, vel, ſi id non faceret, ingratus videretur.* AElian. lib. 11. Var. hiſt. c. 9. *Nec Cicero, quod ultrò ſibi in Cilicia muneris loco offerebatur, accipiendum putavit:* Cicero 5. ad Att. Plut. in Cic. *& Gracc. de ſua Sardiniæ adminiſtratione ita loquitur: Ita verſatus ſum in provincia, vt nemo poſſet verè dicere,* An liceat magiſtratui accipere munera.

aſſem, aut eo plus in muneribus me accepiſſe, aut mea opera quempiam ſumtum feciſſe, Gell. lib. 15. c. 12. *Nunc quoq; aſſeſſores Iudiciorum provincialium in Saxon. Lipſ. & Witebergæ, & alibi jurant, ſe pro judicio munera non accepturos.* In conſtitut. Mauritij, Anno 1540. pag. 196.

Ambitus. *Diximus de ijs, qui officia refugiunt: è contrario, qui ea ambiunt, non ſunt admittendi, niſi id faciant ad evertendos potentiorum & improborum conatus. Sicut enim T. Manlium excuſatum habuerunt Romani, quod diceret, nec cives ſuum imperium perpeti, nec ſe civium mores ferre poſſe,* Valer. lib. 6. c. 4. Plinius de vir. illuſt. c. 28. *& Ludowicus Landg. Thuring, imperium recuſavit, quod literas neſciret:* Fulgoſ. lib. 4. *ita excuſandus eſt Ariſtides, quod ſe Themiſtocli collegam adjunxerit:* Plut. in Ariſt. *& Cato, quod affectaverit tribunatum plebis, quò poſſet Cæſaris potentiæ obſiſtere.* Plut. in Cat. *Sed, qui alias in Rempub. ſe ingerunt ſui commodi gratia, ſicut Stratocles & Dromoclidas dicebant, ſe ad Rempub. accedere, tanquam ad auream meſſem:* Plut. in lib. de ger. Repub. *hos officijs indignos judicare debemus. Indignus eſt ſacerdotio,* ait Imp. l. 31. in fin. C. de Ep. & Cler. *niſi ordinetur invitus: & Severus invitos, non ambientes dixit in Repub. collocandos.* Lamp. in Sev. *Nec Galba dedit equeſtria & ſenatoria officia, niſi recuſantibus.* Sueton. in Galb. *Qui enim per precium vel alio illicito modo aſpirant ad dignitates, indicant, ſe virtute vera carere, tum quia virtus contemnit per ſordes inclareſcere,* Siman. 2. de Repub. c. 8. ex Plat. Ep. 9. *tum quia ſuis viribus potius, quàm iſtis medijs exurgeret.*

Sordidum enim eſt, & contemtibilem facit magiſtratum ſi per ambitum acquiratur. Plut. de ger. Repub. *Pericles*

ricles enim liberè & ſine timore auſus eſt populum caſtigare, quod ſine malis artibus ad dignitatem aſpiraſſet. Thucyd. lib. 1. *Quod precio æſtimatur, vile eſt* arg. li. 1. §. 4. & 5. ff. de extraord. cogn. *ſicut* Herodia. in Iulia. *ſcribit: Imperium cepiſſe contemni, cum ceperit vendi, &* Vopiſc. in Aurel. *certam peſſum ituri imperij notam ponit, quod magiſtratus eſſent venales, quod & Iugurtha de Roma dicebat, eam venalem eſſe, & citò perituram, modo maturè emtorem invenerit,* Saluſt. in Iug. *Tanta enim* referente Nonio ex Varro: *invaſerat homines honorum cupiditas, ut vel cœlum ruere, dummodo magiſtratum adipiſcerentur, optarent, &* Mamert. ait ad Iulian. *etiam priſcis temporibus multorum ambitu campus fuit infamis. Nota diviſorum flagitia, nota bellorum præſtigiæ, tum operarum ad vim & ſeditionem manus emtæ. Nec quicquam profecerunt ll. ambitus, quarum quantam ſeriem recenſent* Manut. de ll. Roman. Nicol. Gruch. lib. 1. de Comit. Rom. Sigon. 2. de jud. c. 30. *quibus non tantum politica, ſed & Pontificia munera prenſari vetabantur* l. Vnic. §. 1. ff. ad l. Iul. Amb. *quia hic ordo maximè ab eo abſtinere debet, quod laicis divina conſideratione inhibitum eſt:* Caſſiod. lib. 9. Ep. 15. *Quid enim cautum & ſecurum eſſe poterit, ſi ipſa ſanctitas corrumpatur? ut dicitur* l. Si quenquam, C. de Epiſc & Cler. *Adde* 1. q. 1. & 3 per tot. tit. de Simon. in Quint. c. Nervi §. Alius, di. 13.

Impp. in d. l. ſi quenq. *addunt rationem aliam, ut is tantum promoveatur, qui meretur: Tunc autem*, dicente Caſſiod. lib. 9. Ep 16. *electi meritum quæritur, quando pecunia non amatur. Eandem jam tetigerit* Ariſt 2. Polit. 9. *ubi reprehendit Carthaginenſes, quod per divitias ſæpe indignos promoveant, quia,* ut Seneca dicit, *ambitio ad*

 digni-

dignitatem, non niſi per indigna, ducit, ideoq; Nero initio imperij promittebat, apud ſe nihil venale futurum, quod & alij ſervarunt, quorum catalogum refert Siman. lib. 6. de Rep. c. 14. 15. *Addit* Ariſt. 2. Polit. c. 11. *adhuc aliud argumentum, quia ubi magiſtratus venduntur, ibi oportet pecuniam magni fieri & præferri virtuti. Vbi autem hoc fit, ſtabilis nunquam erit Reſp. Deniq; & hoc docet* Ariſt. *non parciturum ſubditis, qui pretio pervenit ad imperium, quod & Severus dicebat: Veriſimile eſſe, ut, qui emit, vendat,* Lampr. in Sev. *non tantum, ut ſumtus, quos erogavit, recuperet, ſed ut ditior factus, majora admercetur.* Caſtell. lib. 4. de off. reg. c. 3. *Et hanc rationem aſſignat* Iuſtin. Nov. 8. in pr. & c. ſic igitur 7. *itemq;* Syneſius de regn. ad Arcad. *dum negat id hominum genus injuſtitiam odiſſe. Atq; hinc dixit* Thom. in Ep. ad duc. Brab. & Sot. lib. 3. de juſt. & jur. q. 6. a. 4. *licet concedatur principi, ut vendat magiſtratus, quod tamen non expediat.*

Virtus officialium. *His viſis, videndum ante omnia, quò aptæ tantum perſonæ dignitatibus præficiantur, ut præcipit* Caſſiod. 4. Ep. 3. *& monet Gedeon Epiſc. Crac.* Cromer. lib. 6. *quia de claritate ſervientium creſcit favor dominorum: & tales provehere principem decet,* (verba ſunt Caſſiod.) *ut quoties procerem ſuum fuerit dignatus conſpicere, toties ſe cognoſcat recta judicia habuiſſe. Non poſſumus autem in tanta officialium latitudine communem omnibus virtutem præſcribere, niſi cum* Caſſiod. lib. 9. Ep. 9. *dicamus: Diſciplina imperandi eſt, amare, quod multis expedit. Latius* Cicero 2. de off. *Boni magiſtratus eſt, commoda civium defendere, non divellere, atq; omnes æquitate eadem continere; &* pro Rabir. in pr. *Boni conſulis eſt, ut, cum cuncta auxilia Reip. labefactari convelliq; videat, ferat opem patriæ, ſuccurrat*

currat ſaluti, fortunisq́ communibus, imploret civium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem communi ſalute ducat. Nã & Chiriſophus cum acciperet imperium in Græcos: Dabo, inquit, operam, ut quam maximè poſſim, veſtris commodis ſerviam, Xenoph. 6. Exp. Cyr.

Præterea requiritur probitas morum in quovis officiali, non tantum quia eſt imago majeſtatis, ſed & quia debet moribus conſpicuus eſſe, qui datur imitandus, ut ait Caſſiod. lib. 4. Ep. 3. *aut,* ut Cicero de ll. *Magiſtratuum ordo vitio careto, cæteris ſpecimen eſto. Vir magnus Lucullus ferebatur commodè reſpondiſſe, cũ eſſet objecta magnificentia villæ Tuſculanæ: duos ſe habere vicinos, ſuperiorem equitem Romanum: inferiorem libertinum, quorum cum eſſent magnificæ villæ, concedi ſibi oportere, quod ijs, qui tenuioris eſſent ordinis, liceret. At non videbat Lucullus, à ſe idipſum natum, ut illi cuperent, quibus id, ſi is non feciſſet, non licuiſſet.* Cicero 3. de ll. *Quin etiam eorum juſſa ſpernimus, quos ſcimus vitiis conſperſos,* Xenoph. 1. Cyrop. *ſicut Spartæ, cum Demoſthenes, homo intemperans ſententiam commodam dixiſſet, eam populus rejecit, donec Ephori eam alterius ore pronunciarent. Et Romani, Carbone jurante ita rem eſſe, contra jurarunt, ſe ipſi tamen non credituros.* Plutarch. de ger. Repub. τὸ γὰρ ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν πείσει λόγος γὰρ ἔκτ' ἀδοξούντων ἰὼν κἀκ τῶν δοκούντων, αὐτὸς οὐ ταυτὸν σθένει. *Verſus ſunt* Eurip. in Hecub. *quos ita vertit* Ennius: *Hæc tu & ſi perversè dices, facilè Achivos flexeris. Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles. Eadem dicta, eademq́ oratio æqua, non æquè valet.* Gellius lib. 11. cap. 4. Eraſm. in Proverb.

Hoc

Hoc jam in officialibus fundamentum eſt, ſicut Syneſ. ad Arcad. *docuit, & Marcus reſcripſit* l. 11. §. 1. ff. de municip. & hon. *ante omnia ſpectandum in magiſtratibus, ut ſint idonei, poſtea diſputandum de cæteris conditionibus. Et hoc præſuppoſito, ſi quæras, utrum dives præferendus ſit pauperi, reſpondebimus pro divite, licet nec divitias, nec paupertatem primò ſpectandum teneamus cum* Ariſtot. 2. Polit. 7. & 9. 3. Polit. c. 12. *Moventur* Andr. Iſer. & Matth. Affl. c. 1. verſ. & quæ ſit ratio, tit. de prohib. feud. al. per Feder. *quod divites ſint amantiores patriæ, quia ex interitu ejus plus perdent, quàm pauperes. Quorum verò magis intereſt, Rempub. manere ſalvam, eorum jubebat* Ariſtot. 4. Polit. c. 12. 5. Polit. 9. *potiſſimum rationem habere, quod & T. Flaminio Proconſ. placet*, apud Liv. lib. 34. *Lubet aſſcribere verba* Iulij Pauli, *quibus idem reſpondit* Gellio lib. 16. c. 10. *cur Rom. ſenatores & milites ex cenſu legerint, quoniam res pecuniaq́ familiaris obſidis vice pignorisq́ eſſe apud Remp. videbatur, amorisq́ in patriam fides quædam in ea firmamentumq́ erat.*

Divites an præferendi.

Nihil etiam pernitioſius magiſtratui eſt, quàm contemni, Lipſ. 4. Polít. c. 9. 11. *ſed paupertas homines facit contemtibiles, &* ut loquitur Plaut. in Stic. *ridiculos. Sapientia pauperis,* ait Salom. Eccleſ. 9. *contemta eſt, quia verba ejus non ſunt audita, quod rectè vidit Phormio, qui imperium claſſium Athen. repudiavit, quod ſe pauperem & obæratum, nec ſatis autoritatis apud milites, nec mentis ad cogitandum habiturum eſſet diceret.* Pauſan. in Att. *Tangit autem adhuc aliam rationem, pauperes ſcilicet timidos eſſe, nec ſat animi habere ad imperandum, quam* Ariſt. 4. Polit. c. 11. *magis exaggerat, oſtendens difficiliùs futurum imperium pauperum in divites, qui parere non didice-*

didicerunt. Quin etiam potentiam requirit in magiſtrat. Ariſtot.5. Polit.c.9.2 *At hæc maximè viget in divitiis, quibus ſæpe integram Rempub. ſervatam ſcimus, cum exhauſtum eſſet ærarium, ut de regno Scotiæ, ejecto Bothuelio, ſcribit* Buchan. *Et præſumtio bona militat pro divitibus, quod plura pauperibus didicerint, cum & in foro verſati, & facultatibus diſcendi non deſtituti fuerint: niſi fortaſsè fraude & quæſtu divitias acquiſierint. Tum enim reijciendi ſunt, eadem ratione, qua Thebani mercatores arcebant à Rep. niſi decennium abſtinuiſſent à mercatura prius.* Ariſtot.3. polit.3. 6.polit.7.

Deniq; paupertas facit magiſtratus ſuſpectos, quia periculum eſt, ne manus rebus alienis inijciant. Egentiſſimo enim, ait Saluſt.in Iug. *omnia cum precio honeſta ſunt: Et contemnere fulmina pauper Creditur, atq; Deos, Dijs ignoſcentibus ipſis.* Iuv. Sat.3. *Qua de cauſa* Caliſt.l.3.in pr. ff. de teſt. *inter cætera vult inquiri de paupertate teſtium, quia, ut ſcribitur* in c.Habebat in fi.12. q.1. *timendum eſt, ne propter inopiam juſtitia deſeratur. Magnum pauperies opprobrium jubet. Quidvis & facere & pati, Virtutiſq; viam deſerit arduam.* Horat.3.odyſ 24. *Propterea Scipio perinde à paupere, atq; ab avaro abſtinendum putabat. Cum enim Servius Sulpitius Galba & Aurelius contenderent, uter adverſus Viriatum in Hiſpan. mitteretur, neutrum mitti voluit, quia, inquit, alter nihil habet, alteri nihil ſatis eſt. Ex quo* Scip. Ammir.lib.17. diſc.6. *oſtendit in magnis perſonis æquè periculoſam eſſe paupertatem, atq; nimias divitias.* Valer. lib.6. c.4. *& meritò Indi,* Plinius lib.6. c.19. Soli. c. 60. *Carthaginenſes,* Ariſt. 3.Polit.9. *& Romani* l. Reſcripto 6. in pr. de mun. & hon. l.45. C. de Decur.li.10.l.6.de dign.C.li.12. *ex cenſu & divitiis magiſtratus æſtimarunt.*

Vtrum conſanguinei ſimul ad officia evehendi.

Pertinent huc multa aliæ quæſtiones, quas breviter percurremus. Vtrum videlicet ad idem officium congregare liceat multos conſanguineos, quod faciendum non putamus, ne illorum conſpiratione vota cæterorum ſuperentur aut prævertantur, nec vincat ſententia melior, ſed, quæ plurium calculis onerata eſt. Ideoq;, quæ in Septimaniæ provinciæ generalis conventu, anno 1557. rogatio lata eſt, ne deinceps in eadem curia judicum proximi crearentur, Bodin. 4. de Rep. c. 4. *ſatis probabili innititur rationi, recteq; in omnibus Rebusp. perferretur.*

An unus debeat multa officia gerere ſimul.

Vtrum verò uni plures debeant commendari magiſtratus, ſicut Ariſt *Carthagine ſcribit, unum multitudine magiſtratuum ferè obrui, hinc facilè dijudicabitur. Sicut enim Libye inſtituit.* Iſocr. in laud. Buſyr. & Ariſt. *docuit* 2. Poli. c. 21. *cum* Aver. 1. tr. de Rep. *ut unus tantum unicum tractaret artificium, in quo alias excellere non poſſet: ita ſatius eſt, unum verſari tantum in uno officio, tum, ut illud optimè adminiſtrare diſcat, tum, quod ad plura, benè regenda non ſufficiat, cum duas res, magnas præſertim, non modò agere uno tempore, ſed ne cogitando quidem explicare quiſquam poſſit.* Cic. Phil. 12 *Notum eſt illud Athenienſium de* πολυπραγμοσύνη *Metiochi. Metiochus exercitum ducit: Metiochus vias curat. Metiochus farinam tractat. Metiochus cunctis aliis præeſt: Metiochus itaq; plorabit.* Plut. de ger. Rep. *Is enim ſolet exitus eſſe curioſæ temeritatis. Atq; hanc rationem ſuæ aſſignat* Iuſtin. l. Nemo 14. C. de adſ. & dom. *ne, qui ad utrumq; feſtinat, neutrum benè peragat: Leo verò* l. Hac parte 10. C. de prox. ſacr. ſcrin. *aliam rationem adjungit, ne omnia conferantur in unum, & nihil relinquatur cæteris, qui æquè merentur honores & munera.* l. 10. ff. de mun. & hon. *Qua de cauſa & Cancell. &*

cell. & Vicecancell. Polon. cum ex lege ad Epiſcopatus aſpirarint, aut dignitates Palat. aut Caſtell. coguntur officio ſuo reſignare. Li.1. Stat. Pol. c.5. a.1. l.24. Vide Scipion. Ammir. lib 15. diſc.1. Mach. li.3. c.24.

Præterea conſiderandum eſt, utrum magis ex uſu Reipub. ſit, vt præſides ijs præficiantur perpetui, vel temporanei, quam diſputationem Ariſt.4. Pol. c.15. *arduam vocat, cum pro utraq; parte non contemnenda militent argumenta.* Et Michou. *quidem* lib.1. Chron. c.4. *taxat Polonos, quod Palat. Caſtell. & Capit. perpetuos faciant, quia compertum, ait, eſt, eos neglecto publico commodo, in propria intentos eſſe, cum timore non habeant, vt, vertente magiſtratu, ratio adminiſtrationis ab ijs exigatur, qua voce tribuni minitabantur Manlio* apud Livium. *Privatum redditurum rationem, quoniam Conſul noluiſſet. Magiſtratibus enim, depoſito officio, litem poſſe intendi, Adrian. conſtituit.* l. Pars eſt, ff. de judi. & ubi quiſq;. *Hoc metu cum liberi eſſent Imperatores Carthagin. pro arbitrio quidvis agere ceperunt, donec centumviri à populo creati, ad rationem reddendam eos cogerent:* Iuſtin. lib.19. & *Claudius vetuit magiſtratus in provinciis, vertente anno, manere cum legatione, ne magiſtratuum continuatione tempus exigendarum rationem eluderetur,* Dion in Claud.

An magiſtratus diu continuari, ex uſu ſit Reip.

Alias rationes aſſignat Caſſiod. *dum ait: Antiquitas voluit provinciarum dignitatem annua ſucceſſione reparari, vt ne divina poteſtate unus inſoleſceret, & multorum profectus gaudia reperirent: quarum primam* Halycar. *quoq;* li.4. Dion. li.52 Siman.8. de Rep. c.36. *reddunt, & Tiberius ipſe* apud Tacit.2. Annal. *Superbire ſcilicet ho-*

mines annua deſignatione, quid, ſi honorem quinquennium, aut æternum agitent? Nam propter Hyperionis ſuperbiam Megarenſes annuos crearunt magiſtratus, Pauſan. in Attic. *& Hannibal, cum judicum ordo Carthagine dominaretur, eo maximè, quod ijdem perpetui eſſent, ambulatoria fecit eorum officia:* Liv. lib. 35. *Tria enim ad modeſtiam voluit Agatho magiſtratui cogitanda, quod imperet hominibus, quod imperet ſecundum leges, quod non ſemper imperet.*

Tertiam rationem dat Caſſiod. *ut ſcilicet multis ad magiſtratus aditus detur. Nam ea eſt imprimis Democratiæ natura, ut ſpectet æqualitatem,* 3. Poli. c. 3. 6. Poli. c. 2. *velintq́ in ea omnes cives capaces eſſe ſceptri, ſicut plebs Roman. non quievit, niſi admitteretur ad magiſtratus curules.* Livius lib. 3. 4. 5. *Vnde &* Ariſtot. 6. Polit. c. 2. *ait: Status popularis eſt, magiſtratum nullum habere perpetuum. Nec verò, ſi plures inter cives officio digni ſint, unus præ altero excludi debet, quod in perpetuitate officiorum fieret, tum, quia unius virtus neſcit alterius imperio ſubijci, ſiquidem optimi mortalium altiſſima cupiunt:* Tacit. 2. Annal. *tum, quia evileſcit ardor virtutis, niſi honore,* ut ait Senec. *alatur. Et hoc carpebat Cato, quoties idem magiſtratus ſæpe reficeretur, quaſi plures digni non eſſent,* Plutarch. in Cat. *& Aſinius Gallus,* apud Tacit. 2. Annal. *vix, ait, per ſingulos annos offenſiones vitari, quamvis repulſam propinqua ſpes ſoletur, quantum odij fore ab his, qui ultra quinquennium rejiciantur, aut æternum excludantur.*

Quartam rationem ſuppeditat Ianot. de Repub. Venet. *qui ſcribit, propterea mutabiles fuiſſe magiſtratus Venet. factos, quod alias rei familiari conſulere non potuiſſent.*

tuiſſent. Nam niſi Prytanes Athen. poſt annum ad res ſuas rediiſſent, non potuiſſent ſine jactura familiæ totos dies in Prytaneo cauſas audire, Vlpian. in Timoc. Poll. lib. 8. *Propterea Athenienſes*, Thucyd. lib. 1. *Carthaginenſes*, Livius lib. 35. Prob. in Hanni. *Megarenſes*, Pauſan. in At. *Hædui*, Cæſ. lib. 7. *Parienſes Americani*, Mart. Dec. 2. li. 8. *& omnes ferè populares civitates*, 6. Polit. c. 2. *ambulatorios conſtituerunt officiales. Lex erat ex 12.* Cicero 3. de ll. *Cenſores magiſtratum, quinquennium habento: cæteri magiſtratus annui ſunto. Sed, quia & Cenſorum autoritas ſuſpecta erat Mamerco dict. terminum cenſuræ contraxit ad annum 1. cum dimidio*, Livius lib. 4. *ſimulq; dictatura abiit, vt oſtenderet reipſa, ſibi diuturna imperia nequaquam placere.* Scip. Ammirat. lib. 1. diſc. ult.

Cæterum, vt concluſum ita ſit, non omnia officia debere perpetuari, imprimis, quæ cum magna poteſtate, & vi armorum conjunguntur, quia magna magiſtratus poteſtas periculoſa & libertati ſuſpecta eſt: tamen, quod nonnulla ſatius ſit in una perſona continuari, quam ſæpius mutari, hinc patet. Crebra enim mutatio, novis ſubinde ſanctionibus conturbat Rempub. dum quisq; ſuum magiſtratum novis ll. memorabilem facere nititur. Omnia, inquit Livius lib. 5. *repente mutaverat Imp. mutatus: Alia ſpes, alius animus hominum, fortuna quoq; alia urbis videri. Quare* Vlpian. l. prætor, ſ. 3. de vac. & exc. mun. *tolerabilius interdum putat eſſe, judicem, qui ſemel cognoverat, aliquandiu expectare, quam judici novo rem rurſus judicandam committere. Accedit, quod brevitas officii faciat homines attentiores ad rem ſuam, ſicut vulgò dici ſolet: Non parcit populis regnum breve: & Tiberius comparavit magiſtratus hirudinibus, quarum, quæ longo hauſtu rumpuntur, quieſcunt:* Limitatio.

ſcunt: recentium verò morſus accerrimi ſunt. Siman. 8. de Rep. c. 37. ex Ioſeph. 8. antiq. Niceph. li. 1. c. 17.

Imprimis verò in ijs officiis oportet eoſdem diutius detineri, quæ citò expediri non poſſunt, aut quorum adminiſtratio uſu ipſo addiſcitur, Ariſtot. 4. Polit. *ne*, ut ait Dion, li. 52. *prius cogantur decedere, quàm ejus, quod didicerunt, ſpecimen dare poſſint. Decemviri enim ll. 12. perferre non potuiſſent, niſi imperium prorogatum eſſet in annum alterum:* Livius lib. 3. *perijſſetq; victoria Epaminondæ, ſi ſtato die magiſtratu abijſſet.* Plut. in Epam. *Propterea Antoninus Pius novenis & ſeptenis annis bonos præſides in provinciis, detinuit:* Capit. in Pio *& Mecœnas, cum Auguſto conſilium daret de inſtituenda Repub. magiſtratus quinquennio ad minimum circumſcripſit.* Dion in Aug. *Præterea, qui circa ſecreta verſantur, ut, quos hodie Cancellarios, Secretarios &c. vocamus, non poſſunt ſine incommodo ſæpius mutari, quia tutum non eſt, ſecreta pluribus communicari, ne aliqua ad hoſtes diſpergantur.*

CA-

CAPUT XV.

De Senatu.

NUnc ad officia Reipub. in ſpecie deſcendendum eſt, quæ, ut ſine confuſione diſtinguamus, ſciendum eſt, nonnulla Reipub. ita neceſſaria eſſe, ut carere ijs minimè poſſit, quæ idcircò ordinaria ſunt, & legibus definita. Alia verò extra ordinem imperantur ad explicanda ea, quæ præter ſpem incidere ſolent, quæ, licet interdum lege ferantur, ſicut Pompeio l. Gabinia contra Piratas, Plut. in Pomp. *& l. Manilia contra Mithrid. extra ordinem datum eſt imperium:* Cicero pro l. Manil. *tamen ordinaria non ſunt. Horum præfectis dedit* Pompon. l. 2. ℱ. 33. de or. jur. *titulum Curatorum: cæteros vocant magiſtratus. Sed adhuc ſeparandi ſunt ab utriſq; conſiliarij ſive ſenatores, qui non aliter, quam conſilio juvant Rempub. Rectè enim* Lipſius 3. Pol. c. 2. & 3. *adjutores principis duplices proponit, tum qui conſilio, tum qui auxilio proſunt. De illis agemus prius, quia ſunt fundamentum, in quo, tanquam immobili cardine, cæteri magiſtratus mutabiles verſantur.*

Opus autem eſt ſenatu in quovis Reipub. genere, τὸ γὰρ βουλεύεσθαι τῶν περὶ τῶν ἀνθρώπων. θειότατόν ἐστι. Ariſtot. in Rhet. ad Alex. *& nihil eſt, non modò in orando, ſed in omni vita conſilio prius.* Quintil. 6. Inſt. in fi. *Eventus enim docuit, ubiq; plura in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quam telis manibusq; geri.* Tacit. 13. Annal. *quòd multis oſtendit* Ian. Grüter. 1. diſc. ſuper Tacit. *annotatque* Annibal. Scot. com. in Tacit ſuper illud li. 2. *Suſtentaſſe opibus, Iuviſſe conſiliis dicebantur. Item* Scip. Ammir. li. 3. diſc. 15. ſuper Tacit. Hippolyt. de col. in tract. de Senat. De ſenatu & eius neceſſitate.

Propte.

Propterea, ut Phornutus tradit in palæſt. *olim colebatur Mercurius cum Hercule, vt intelligeretur, vim moderandam eſſe arte, &* Velleius *laudat Mithridatem, quod non tantum armis miles, ſed & dux conſiliis eſſet, Hectoremq́ commendat* Dictys Cretenſ. *nunquam ei vires conſilio potiores fuiſſe, Et Alexander M.* Curtius: *Conſilium par magnitudini animi, & quantum vix poterat ætas capere, ſolertia. Oſtendit enim* Cic.in Cat.Mai. *quid præſtet conſilium viribus. Sertorius item in vulſione caudæ equinæ,* Plutarch. in Sert. Valer.lib.7.c.3. *& Columbus in compreſſo ovi acumine. Unde & Agamemnon, vt Troja potiatur, non multos Ajaces, ſed Neſtores ſibi optat:* Homer.2.Iliad. *Imò de Romanis quoq; ſcribit* Cato de re ruſt. *quod ſedendo vincant, id eſt, conſilio. Quid multis? In omni vita* inquit Saluſt. in fragm. *multa audiendo & legendo ita comperi, omnia regna, civitates, uſq; eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Quã primum enim Palladium motum fuit, id eſt, conſiliorum acumen conturbatum, Troja in poteſtatem hoſtium venit.* Natalis lib.4. Mythol.c.5.

Quare opus ſit ſenatu in Democratia.

Verùm, vt res fiat planior, Plato 6. de ll. *in Democratia propterea ſenatum conſtitui voluit, vt præcipitantiam & furorem vulgi, ſua tarditate contemperaret, in quem finem Solon 400. præconſultorum collegium Athenis inſtituit,* Plut.in Sol. *ſine quorum præconſulto ad concionem nihil referebatur, unde Thraſybulus & Androtio capitis accuſabantur, quod ſine SCto ad populum referrent,* Plut. in Lyſ. Demoſth. contr.Androtion. *quam ſanctionem* Demoſth. in orat. de Ement. legat. *meritò, ut optimam collaudat.*

Quare in Monarchia.

Ariſtocratia ex ſenatu ipſo conſiſtit: Monarchia verò

conſiliarijs indiget, quia, dicente Xenoph. 8. Cyrop. *pauca videt unus aliquis, pauca audit: at principi oportet multas eſſe aures, multos oculos. Imò, quotus quisq́; eſt tanta prudentia præditus, aut quæ mens tantæ molis capax, ut alterius monitis non indigeat? Et licet aliquis tanta prudentia polleat, ſicut de Scipione ſuo* Polyb. *& de Cæſare ſcribit* Tranquil. *quod citius confecerint ſua conſilia, quam capta eſſe putabantur: tamen eum, qui de ſua unius omnia agat ſententia, temerarium magis judicat* Livius, *quàm ſapientem.*

Nam neſcio, quomodo fit, ut ſubditi, ſi nemo conſiliis principis interſit, ſe contemni ſuſpicentur, odiumq́; in principem concipiant, ſicut Romulus à manibus ſenatorum confectus creditur: Plut. in Rom. *& Cæſar in ſenatu trucidatus eſt, quem nunquam ſolitus erat conſulere.* Plut. in Cæſ. *Ea res & Tarquinio Superbo* Livius lib. 1. *& Hieronymo Sicil. regi jugulum fregit, quod nullum conſilium publicum eſſe ſineret.* Livius lib. 24. *Macrino verò ad imperium viam aperuit, quod ad Senatum ſcriberet, ſe ſine ejus conſenſu nihil acturum.* Herodi. in Macri. *Præterea, magis conſulit princeps rebus ſuis, ſi conſilium fortè malè ceſſerit. Non enim ipſi, ſed potiſſimum conſiliariis culpa imputari ſolet:* Tholoſſ. lib. 24. c. 3. *cum pro affectione erga principes ſoleant ſubditi has voces uſurpare: Principem quidem virum bonum eſſe, ſed decipi & regi à conſiliariis, &c. Qua de cauſa Carolus V. rex Gall. in re ardua, cum vellet Anglos Aquitania ejicere, prius voluit omnium procerum conſenſum elaborare.* Bodin. lib. 3. c. 1. *Quia*, ut ait Cominæ. lib. 10. bell. Gall. *Cum ſubditi, imprimis equeſtris ordinis homines, ac nobiles viri, non modo facultates omnes, verumetiam vitam & ſanguinem in bella profundant: æquiſ-*

ſimum eſt profectò, ut priuſquam ſuſcipiatur bellum, ejus rei conſilia cum ipſis communicentur.

De comitiis regnorum.

Hinc benè conſtitutum eſt, etiam in Monarchiis Anglorum, Hiſpanorum, Gallorum, item in principatibus Germaniæ, & alibi, ut conventus haberentur generales, in quibus deliberationes publicæ inſtituerentur: vel potius retentum eſt ex antiqua conſuetudine, cum Gallorum, Germanorumq́ conventuum locupletes teſtes ſint Tacit. primis lli. An. & Cæſ. de bell. Gall. & Eginhartus in vita Carol. M. *ſcribat: eum ſæpe habuiſſe generalia comitia, in quibus res ſerias proponeret deliberandas, in quem finem & Græci olim Delphos conveniebant*, Strabo in Gæogr. *conciliumq́ Baſileenſe cenſuit, etiam ex uſu Eccleſiæ futurum, ſi de decennio in decennium patres ad commune conſilium convenirent*. c. 1. de aut. gen. conc. in pragm. ſanct. *Non enim tantum in talibus conciliis res excutientur rectius à pluribus, quibus omnes articuli notiores ſunt: ſed retinet princeps quoq; favorem ſubditorum, & à ſuſpitione mali conſilij, ſi fortaſſe eventus non reſpondeat, ſeſe vindicat. Propterea Trajan. juravit, ſe ſine ſenatu nullam l. laturum*, Plin. in Panæg. *nec Alexand. quicquam in militaribus, ſine ducibus, in cæteris rebus, ſine prudentiſſimis viris decrevit.* Herodia. li. 6. Lamp. in Alex. *Ipſe Auguſtus etiam ad domeſtica conſilia ſibi 20. ſenatores dari petiit, quod Tiberium imitatum fuiſſe* Xiphilin. *autor eſt* in eius vit. *Extat lex Theod. & Valent.* l. Humanum, C. de ll. *non valituram l. ab Imperatore prolatam, niſi ſenatorum conſenſu fuerit conceſſa: cui ſimilis eſt ſanctio Firmani reg. Scot.* apud Buchan. lib. 4. *ne quid reges, quod majoris momenti eſſet, ſine autoritate conciliorum decernerent.*

Inde

Inde tamen non conſicitur in ſenatu eſſe imperium, vel jurisdictionem, ſi ſenatum ſpectes in ſe, niſi aliud quodam officium à majeſtate ipſi unà committatur, ſicut Tiberius, Tacit.1.Annal. *poſtea Nero,* Suet. in Ner. *& Adrianus ſenatui tradiderunt judicia, quibus antea ſenatus ſe ſuperiorem putabat, ſicut* Cicero in Ver. *ait: Quò confugient ſocij? quem implorabunt? ad ſenatum devenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt uſitatum, non eſt ſenatorium. Antea enim ſenatus erat particula majeſtatis,* ut Diſp. 5. oſtendimus, *& tum habebat imperium & poteſtatem,* ut Polyb. conijcit.li.6. *quod cum non advertat* Bodin.3.de Rep. c.1. in fin. *fruſtra tantoperè ſollicitus eſt, ut oſtendat, in ſenatu Roman. non fuiſſe imperium. Quaſtio enim facti hac eſt, non juris. Quia enim non erat ſenatus Rom. ſimpliciter ſenatus, ſed gerebat partem majeſtatis, hujus nomine quoq; poteſtatem habuit, ſicut & ſenatus Laceda.* 2.Polit.7. 4.Pol.9. *& hodie collegium principum in Germania,* Lupold. de jur. Imp. *& Senatorum in Polonia, de quibus* Staniſl. Orichou.in orat.de ll.Polo. ad proc. *quod ſint potentia regia & cæterorum libertatis moderatores & cuſtodes. Poteſtatem igitur habent, non ex vi ſenatus, ſed quia ſimul ſuſtinent partem majeſtatis.*

Poteſtas ſenatus.

Abſolutè verò Senatus decernendi, & ſententiæ pronunciandæ jus quidem habet, ſed poteſtate carere debet. Nã, ſi cũ conſilio conjuncta eſſet poteſtas, quia Senatus de rebus omnibus conſulitur & decernit, haberet Senatus plenã majeſtatem, eſſetq; omnis Reſpub. Ariſtocratica. Conſentiendi igitur & decernendi poteſtatem habent comitia & Senatus, exequendi minimè, niſi aliud ſit uſu receptum, ut in conventibus Germanorum principum, & Senatorum Polon in quibus volvitur tota majeſtas. Alias Xerxes,

cum conſiliarios ſuos coëgiſſet, ad capiendum de expeditione in Græciam conſilium, feciſſe hoc ſe dixit, non ut illorum conſilia ſequeretur, ſed ut illi ſuis parerent: Herod. lib 7. *& Domitianus, etiam coacto ſenatu, ſolus dixit, cenſuit, mandavit, concluſit.* Sueto. in Domit. *Sed hoc Tyrannicum eſt, nec aliter conſtat ratio, quàm ſi autoritas principis tum demum roboret edicta, quando conſentit ſenatus,* ut loquuntur Impp. l. humanum, C. de ll. *aut ſi judicium principis ſenatus ſequatur conſenſus,* ut loquitur Theodor. apud Caſſiod. lib. 1. Ep. 4.

Qui Senatui aſſcribi debeant.

Ut autem ordine cætera ſubyciamus, conſiderandi ſunt ſenatores, quales ante conſilium, quales poſt, quales in ipſo conſilio eſſe debeant. Apud Cretenſes cuivis licebat ſenatum ingredi, & ſuam expromere ſententiam, Ariſtot. 2. Polit. *imò Romani quoque admittebant in ſenatum, magiſtratibus defunctos, qui nondum erant ſenatores*, ut patet ex Gell. lib. 3. c. 18. Livius lib. 23. & Feſto, *qui edictum conſ. referunt: Conveniant ſenatores, quibusué in ſenatu ſententiam dicere licet. Sed, quia periculoſum eſt, quemque admitti ad conſilia, occaſionemque ſeditionibus aperit, ſatius eſt certum numerum optimorum civium conſcribi inter ſenatores. Nam,* dicente Caſsiod. 1. Ep. 51. *præcipua hujus ordinis cura, cautiora facit nos proferre judicia, & admittendum reverendo cœtui, examinare cogit ſollicitus honor ſenatus, quem non ſolum oportet numero augeri civium, ſed ornari maximè luce meritorum. Recipiat alius ordo fortè mediocres: Senatus reſpuit eximiè non probatos.*

Plato in Phædr. *ait: in omnibus unicum principium ÿs, qui benè conſulere volunt, eſt intelligere id, de quo benè conſulatur. Rogatur autem ſenatus conſilium de rebus omnibus, quæ ex prudentia regendæ Reip. proficiſcuntur.*

Oportet

Oportet igitur eum maximè prudentia pollere, idq́ eò magis, quod hujus ſit deficientem principis prudentiam excipere & ſupplere. Quod anima eſt in corpore, ſenatus eſt in Repub. Quicquid humani generis floris eſt, inquit Caſsiod. 1. Ep. 13. *habere curiam decet: & ſicut arx decus eſt urbium, ita illa ornamentum eſt cæterorum ordinum: Accedit, quod conventus ſenatorum ſit dignitas principum*, Caſsiod. lib. 1. Ep. 4. *talesq́ hi præſumantur, qualibus utuntur conſiliariis. Vnde & Moſes prudentiam in ſenatoribus maximè exigit. Colligite, inquit, mihi viros ſapientia & prudentia præſtantes* Deuter. 1. verſ. 13. *Prima enim pars prudentiæ eſt, rectè conſulere.* 6 Eth. c. 7.

Et, quia maximè conſulendum eſt ſenatui de rebus Reip. quas nemo rectius cognoſcit, quàm qui eas adminiſtravit, meritò hanc legem tulit Cicero 3. de ll. *E magiſtratibus ſenatum eſſe oportet, & cum Buteo dictat: 2. bell. Pun. ſenatum ſuppleret, primos omnium allegit, qui poſt L. Æmilium, C. Flaminium cenſſ. curulem magiſtratum cepiſſent, tum qui ædiles, tribuni pleb. quæſtores vé fuiſſent, tum ex iјs, qui ſpolia ex Romano hoſte fixa domi haberent.* Livius dec. 3. *Solon in Areopagum nemini aditum conceſſit, niſi Archontis imperium geſſerit*, Plut. in Sol. & Pericl. Pollux, Demoſth. in Timocr. Libanius ad Androtian Iſocr. in Areop. *& in judicio* δοκιμασίας *probatus fuerit.* Vlpian. in Leptin *Nec nunc apud Polonos ſenator eſt, niſi magiſtratus*, Li. 1. ſtat. c. 3. a. 1. *nec apud Turcas, niſi Baſſa, aut præfectus provinciæ, aut Cadeleſcherus*. Menau. de off. Turc. *Idq́ vel propterea obſervari convenit, quod ex magiſtratu cujusq́ virtus maximè cognoſcatur, utrum ſenatorio ordine dignus ſit. Magiſtratus enim virum indicat*, ait Bias apud Ariſt. 5. Eth c. 1. & Ta-

E magiſtratibus oportet ſenatum eſſe.

 cit. li.

cit.lib.1.hiſt.*de Galba: Ab omnibus imperij capax judicatus fuiſſet, niſi imperaſſet.*

Præterea, cum conſtet, quò ſeniores ſumus, eò plus habere nos experientiæ & uſus, c. ſciendum 26. q. 4. *in ſenatore ætatis progreſſus expectandus eſt, ſicut* Plato 6. de ll. *ante 50. annos ſenatorem non admiſit, nec qui ſenior eſſet 70. quod*, ut Eurip.ait: *Nos ſenes nihil aliud, quàm turba ſumus, & figura tantum, ſomniorumq́ ſimulacra ſerpimus. Mens autem non eſt amplius: putamus tamen nos rectè ſapere. Propterea & Q. Fabius ultimum conſulatum recuſavit, quod nec temporis, nec animi, idem, qui ante, vigor eſſet.* Plut. in Fab. Pontan.2. de magnan. *Iuvenes verò, cum repellat* Ariſt. 1. Eth. c.3. *à ſtudio Ethico, quantò magis repelli convenit à Repub. Quos enim jura ſub poteſtate relinquunt, eò quod ſeipſos regere nequeunt, eos incivile eſt*, ait Imp. §. Minores 15. Inſt. de excuſ.tut. *aliorum tutelam ſubire, cui concinit.* l. Nemo, C. de legit. tut. l. ſic eveniet 21. ff. ad l. Iul. de adult. c. Indecorum, de æt. & qual. & ord. præf. & gl. ibid. *Nec ſine experientia Reſpub. adminiſtrari poteſt, quæ ætate acquiritur. Namq́ ubi robuſtis adolevit viribus ætas, Conſilium quoq́ majus, & auctior eſt animi vis:* Lucret.li.3. *& Sophia apud Afranium dicebat: Vſus me genuit.* Gell.lib.13.c.8. *Themiſtocles, cum moreretur anno 107. ſe dolere dixit, quod tunc egrederetur vita, cum primum ſapere cepiſſet.* Hieron. ad Nepot. de vit. Cler.

Senectus in ſenatore requiritur.

In aliis quidem officiis, quia autoritate ſenatus reguntur, ſubſcribimus Ciceroni 5.Phil. *quod nulla ætas repudianda, nec ab excellenti & eximia virtute ætatis progreſſus expectandus ſit. Non enim tantum Gothis*, ut Caſſiod. ſcribit li.1. Ep.38. *ſed omnibus gentibus ætatem legitimam*

virtus

facit. c.ult. diſt. 84. *Diſputat* Cepolla in tr. de elig. Imp. & Iul. Fronti. lib.ult. Stratag. c.ult. in pr. *ex ſententia L. Pauli, exercitibus præficiendos ſenes, quales fuiſſe omnes duces in exercitu Alex. M* Iuſtin. *ſcribit* lib.15. *ſed tamen Hannibal minor 25. annis Imp. factus triennio omnes Hiſpaniæ gentes ſubegit.* Tortel.in voce Hannib. *Romulus duodeviginti annos natus, auſpicatò urbis fundamenta jecit.* Socin.c.2. *Alexand. M. nondum 33 annis completis, victor extitit totius orientis, in quo* Curtius *majorem, quā ætas capere poterat, ſolertiam prædicat.* Arrian.in hiſt. *Quid de Scipione dicam, aut Pompeio, de quo* Cicero pro Manil. *Quid tam præter conſuetudinem, quam homini peradoleſcenti, cujus à ſenatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium atq; exercitum dari? Vnde & Michaël Hoſpit. Franc. Cancel. legem* Vlpian.8.de mun.& hon. *mitigavit, ut Carolo, anno 14. liceret regnum inire.* Gotho. ad l.8. de mun.& hon.

Cæterum Solon, licet juvenis ante barbam ſenili ſit prudentia, adhuc tamen ſenem præferendum in ſenatu putat, propterea, quod ſenatus aliorum magiſtratuum juventutem regat, ipſe à nemine regi debeat. Plut.in Sol. *Senum enim proprium eſt conſilium,* ut Eurip. ait in Menalip. apud Stob. ſer.114. Παλαιὸς αἰὼν, ἔργα μὲν νεωτέρων, βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος. *Et præterea in ſenatu maximè requiritur autoritas, cum ſola autoritate obtineat, quod poteſtate non poteſt. Senectus autem maximam conciliat autoritatem hominibus, ſicut* Cic. in Top. *ait: Autoritatem aut natura affert, aut tempus, &* pro dom.ſua *auget ætas dignitatem. Nam, quod* Plato 3.de Rep.5. de ll Ariſt.7.polit.c.14. *natura dicunt ſenibus deberi imperium,* Oldrad. conſ.94. *in favorem primogeniti, latius explicat,*

atq; ita eſſe ex experientia confirmat Iaſon in l cum quid in fi. ff.ſi cert. pet. *ubi & ruſtici judicium affert: Tu major, tibi me eſt æquum parere Menalca.*

Hinc videmus juvenes non tantum inter ſe, ſed multò magis à ſenioribus contemni, ſi his præferantur. Davides quidem à Ionatha juniore conſilium cepit, ut notat Ambroſ 1. off. c 18. *& Agamemnon,* lib. 4. Iliad. *exiſtat, ait, aliquis, qui meliorem mea ſententiam dicat, ſeu grandior, ſeu minor, cùm mea bona gratia dicturus. Verùm non ita Cato, qui octogenario major, cum cauſam diceret, Difficile, inquit, eſt, eum, qui cum aliys vixit, aliorum ſubire judicia.* Plut. an ſen. ger. reſp. *& Neſtor.* apud Homer. 1. Iliad. *quanquam confitetur à Diomede rectiorem ſententiam dictam, Es juvenis tamen, ait, & poſſes mihi filius eſſe, propterea negat ejus conſilium ſequi. Cum igitur juverum conſilia ſæpiſſimè lubrica ſint, ut patet ex conſiliariis novellis Roboami,* 1. Reg. 12. *& licet bona, tamen non exaudiantur à civibus, meritò ſenatum, tum Græci, tum Latini, à ſenio dixerunt, inq; eo ſenes repoſuerunt, niſi in juvene tanta ſit indoles, ut ejus admiratio autoritatem ſuppleat, qualis fuit in Papyrio,* Macrob. 1. Sat. 6. *Papiniano,* Catellianus Cotta in Memorab. de ICt. *Nerva* l 1. ʃ. initium, ff de poſt. *Celſo* l. ſi ſervum, ʃ. ſequitur, ff. de verb. oblig. *& puero decenni, qui coram Henrico Imp. de Philoſophicis & Theologicis rebus diſſeruit,* Cramer. in Chron. Pomer.

Quomodo ſe gerere debet ſenator in conſilio dando.

In dando verò conſilio reſpicere debet ſenator ad bonum publicum Nam privatæ res ſemper offecer?, *officientq; publicis conſiliis:* Livius 22. & Thucyd. *inter cauſas everſionis Græciæ recenſet, quod comitia privatarum rerum diſceptationibus trahantur.* Plut. de ger. repub. *Athenienſis*

enſis ſenator jurabat, ſe præcipuè conſulturum populo: Demoſth. cont. Neær. *Polonus: pro poſſe meo utilitates regiæ Maieſt. regni & Reip. augmentabo*, Lib. 1.c.3. a.1.l.2. *Non enim conſiliarius eſt, qui ad curiam, tanquam ad certamen adulationum venit, ſicut de ſenatoribus Domitiani ſcribit* Plin. in Panæg. Trai. *aut qui ex odio judicat. Nam male cuncta miniſtrat Impetus, & ſtimulat non rarò privati odij pertinacia in publicum exitium.* Tacit. 1. Hiſtor. *Vtrumq; ſenatori fugiendum, quod fiet, ſi obſervet præceptum* Cice. 11. Phil. *qui vult, vt quisq; rectiſſimam dicat ſententiam, tametſi ſolus in ea, ſingularisq; futurus ſit, quod ad eum non rei exitus, ſed conſilium & ſuffragium optimum pertineat.*

Sunt principes nonnulli adeò infractæ pervicaciæ, vt benè monentes difficulter audiant: Nam Cambyſes à Crœſo increpitus, ſagittas ej intentavit, & Prexaſpis filium ob patris obiurgationem interemit. Herod. li. 3. *Zeno Pelagium,* Zonar. 3. volum. *Boleſlaus II. Pol. Staniſlaum ad aram trucidavit.* Crom. in hiſt. Pol. *Ibi verò cautè augendum eſt conſiliarijs, ne importuno tempore aut intempeſtivis verbis principem obiurgent, quod Clito quidem & Calliſtheni jugulum fregit.* Plut. in Alex. *Nec enim Clito tantopere iratus fuiſſet Alexand. niſi ſe in præſentia aliorum monuiſſet, & Ptolomæus Ariſtomenem, præceptorem ſuum, venenum bibere coëgit, quod ſe excitaſſet, cum legationem audiret, nec potius clanculum admonuiſſet.* Caſtell. lib. 1. de off. reg. c. 50. *In hac parte laudat* Tacit. 6. Annal. *L. Piſonem, quod nunquam quidem ſervilis ſententiæ ſpontè autor fuerit, ſed, quoties neceſſitas ingrueret, prudenter moderans. Suadere enim & ſententiam ſuam dicere poteſt conſiliarius: cogere non poteſt, cum ſenatus poteſtate deſtituatur. Quomodo verò moderanda ſit admonitio,*

Demetr. Phaler.& Plut.in li: de diſcr. adul. & amic. *docent, ubi inter cætera Ammonium imitandum proponunt, qui cum reſciſſet, diſcipulorum ſuorum nonnullos prandio non ſimplici uſos, puerum à ſervo caſtigari curavit, quod abſq; aceto non fuiſſet pranſus, interim ſubinde in diſcipulos reſpexit, quomodo Apollonius docuit Leones caſtigare, ſi catulum ipſis præſentibus ferias:* Philoſtr. li. 7. *& Peſcenninus Niger,* AEl.Spart. in Peſc. *& Alexander Sev.* Lampr.in Seu *ſoliti fuerunt ſeipſos & ſuos, aliorum exemplis admonere.*

De ordine dicendi ſentẽtiæ.

Præterea in ſenatu multorum utile eſt Roman. morem obſervari, qui magiſtratibus & potentioribus poſtremum dabant dicendi locum, privatis primum, ne illorum votis deterrerentur, vel præoccuparentur. Dion li 39. Siman. 7. de Repub. c. 12. *quod inſtitutum refert* Varro lib. 4. Epiſt: quæſt. *ad prævertendã ambitionem & gratiam, cum antea initium fieri ſoleret à gradu conſulari, & ab eo, qui Princeps ſenatus lectus eſſet,* Gell, li. 14. c 7. *Ferè enim tenacius hærent, quæ primo loco dicuntur, qua de cauſa Theodorus Græcus Tragæd. nunquam poſt alios egit, quod prima putaret magis delectare:* Ariſt. 7. Pol. 17. *& Cæſar, ut gratia Pompeij aliorum ſententias præverteret, poſt novam cum ipſo initam affinitatem eum primo loco rogavit.* Tranquil. in Cæſ. Turneb. 3. de ll. *Deniq; dicenda ſententia ſenatori breviter, qua in re Scaurum laudatum accepimus, quod tanta brevitate & autoritate dixerit, ut non cauſam, ſed teſtimonium dicere videretur: non tantum, quod ſenatoriam gravitatem brevitas deceat, ſed ut omnia planius intelligantur. Propterea enim ſine affectibus in Areopago dicebatur, ut,* referente Luciano in Anacharſ. *facta nuda Areopagitæ inſpicerent. Sanè, ſi*

mè, ſic rectè Cato ad fil. *vt citat* Senec. 1. declam. *definiſſet oratorem, quod eſſet vir bonus, dicendi peritus, nihil foret periculi: ſed, vt ſemper fuerunt mores,* Ariſtot. 5. Polit. 6. *oſtendit, per oratores δημαγωγὺς, multas mutatas fuiſſe Reſpub.*

Poſt conſilium maximè requiritur in ſenatore ſilentium, optimum & tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum. Valer. li. 2. *Nam ſi* Veget. lib. 6. de re milit. c. 6. *rectè dixit: Nulla ſunt meliora conſilia, quàm, quæ ignoraverit adverſarius, conſtat eximiam virtutem eſſe, præſtare conſiliis ſilentium. Unde Senarium laudat Theod. rex ob taciturnitatem. Fuit, inquit, in te pars altera vitæ laudabilis, quod arcana noſtra morum probitate claudebas.* Caſſiod. lib. 4. Ep. 3. & AEmil. Prob. in Epam. *inter cæteras Epam. laudes refert, quod eſſet commiſſi celans. Senatores quoq; Poloni jurant taciturnitatem,* Li. 1. c. 3. a. 1. l. 2. & 12. *& Romanæ ll. injuriæ alligant, qui ſecreta judiciorum publicat,* l. 41. in pr. ff. ad l. Aquil. *renunciatorem conſiliorum capite plectunt* l. Omne 6. ſ. 4. de re milit. *& aut vivum exurunt, aut furcæ ſuſpendunt.* l. ſi quis 38. ſ. 1. ff. de Pœn. *Lex Ægyptiorum iiſdem linguam excindit,* Diodor. Sicul. *Horatius ait: Commiſſa tacere Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto,* li. 1. Sat. 4.

Quomodo ſe gerere debet ſenator poſt conſilium.

Hinc concludere poſſumus de numero ſenatorum, qui licet ad numerum civium, & multitudinem negotiorum componi debeat, tamen amplius eſſe non poteſt, non tantum, quod pauci tanto honore digni, aut tantæ molis capaces ſint, ſed quia inter multos conſilia cuſtodiri nequeunt. Leo Imp. in libel. de bell. appar. *hoc docet: In rebus, ait, occultis & abditis adhibe tibi fideles & temperantes viros, & taciturnos, & qui in ſua, & non aliorum poteſtate ſunt,*

Numerus ſenatorum.

cum ſecretæ iſtæ res, vt ſecretiores fiant, non indigeant ad agnoſcendum multitudinem. Apud Perſas quoq; nemo fuit conſiliorum regis particeps, præter optimates fidos, & taciturnos, apud quos ſilentij numen colebatur. Ammia. li.21. *Magnus Chamus duos quidem ſenatus habet, ſed bellicum tantum ex 12. alterum ex 24. perſonis.* Bote.2. Coſmog. lib.2. *Præcopitæ præter quatuor conſiliarios ad ſumma conſilia neminem admittunt*, Sigiſm. Baro in Tartar. *nec Turca, præter Baſſas, quos Viſiros vocant.* Busbeq. Ep. 1. *Atq; hoc præcepit* Veget. li. 3. c.6. Front. li. 5. Strat. c.1. *vt conſilia ſecretiora maneant. Johannes Albertus Polon. dixit, ſe vel ſubuculam ſuam commutaturum, ſi ſciret eam conſilij ſui participem,* Crom. lib.30. *quod à Metellio Macedonico tractum eſt, qui idem in ore habuit. Aliæ civitates licet ex pluribus componerent ſenatum, ſecretum tamen & ſanctius habuerunt conſilium, ex paucis conflatum, in quo ſecretiora diſceptarentur. Ad eum finem Areopagum inſtituit Solon præter 400. πϱοϐȣλȣς: quos ſic vocat* Ariſt.4. Polit. 14. 15. Plut. in Solo. *Carthagine ultra 100. ſenatores fuit quinqueviratus.* 2.Pol.9. *Lacedæmone ultra 30. ſanctius extitit conſilium ex 12. pro tractandis arcanis imperij.* Xenoph. lib.3. Græc. rer. *Cum autem Romæ tale conſilium non eſſet, miratur* Livius lib.48. *Græciæ & Aſiæ legatos ex tanto ſenatorum numero non potuiſſe expiſcari, quid Eumenes in ſenatu egerit. Sed, quod* Thucyd. lib.5. *de Lacedæmoniis ſcribit, erant Romani natura & conſuetudine taciturni.* Valer. lib 2.c.2. *Pompeius legatus à Gentio rege captus, vt ſenatus arcana proderet, ſollicitatus, ardenti lucernæ admodum digitum exuſſit, oſtendens, ſe nullis tormentis ad prodenda arcana adactum iri,* Valer. lib. 3.c.3. & *Q. Fabius acriter objurgatus fuit, quod*

quamvis

quamvis errore honeſto, conſiliũ ſenatus, de bell. 2. Pun. Pub. Craſſo aperuiſſet. Valer. lib. 2. c. 2.

CAPVT XVI.
De Magiſtratibus.

DEhinc ad magiſtratus pergimus, quos non accipimus cum Theologis, pro quavis poteſtate Politica, ſed pro ea, quæ ſummæ ſubijcitur. Conſules enim, prætores, &c. vocat* Gell. lib. 13. c. 14. Cic. 3. de ll. *magiſtratus: ſed univerſum populum Roman. quis magiſtratum nominat? Magiſter enim dicitur* Paulo l. 57. de V. S. *Cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis, quàm cæteri, diligentiam & ſollicitudinem rebus, quibus præeſt, debet. Sic dictator vocabatur Magiſter populi, quod in accenſos ſummam haberet poteſtatem,* Var. 4. de ling. Lat. *Hinc per derivationem denominati magiſtratus, qui, licet imperent, alterius tamen imperio tenentur, vt explicant* Alciat. ad l. 57. de V. S. Pompon. Læt. de Magiſt. Rom. Tholoſ. lib. 18. Syntagm. Vniv. c. 4. Brechæus & Fornerius ad l. 57. de V. S. in pr. *Magiſtro enim* apud Feſtum *idem eſt, quod moderor vel guberno, à quo magiſtratus deflectitur.*

De magiſtratibus.

Quia verò maxima Analogia & latitudo magiſtratuum eſt in diverſis Rebuſp. difficulter poteſt eorum eſſentia una communi definitione comprehendi, quod cum videret Ariſt. *qui in re obſcura & alibi tali definitione uſus eſt, per partes magiſtratum definijt,* 4. Polit. c. 15. *qui ſcilicet conſilij publici, judicij, & imperij particeps ſit. Immeritò inſectatur* Bodin. 3. de Rep. c. 2. *hanc definitionem, quod collectivè eam accipiat, cum diſtributivè accipi debeat, vt*

Definitio magiſtratus

definitio naturæ 2 Phyſ c.1. *& animæ*, 2. de an.c 2. *Maximè tamen proprium ait magiſtratuum eſſe*, τὸ ἐπιτάττειν, *qua de cauſa Eccleſiaſticos hinc excludit, quos &* Modeſt. l. un. §. 1. ff. ad l.Iul. Amb. *à magiſtratibus ſeparat, cum* Liv.lib.4.*introducat patritios conquerentes, Salios flamineſq́, ſine imperijs ac poteſtatibus relinqui.*

An Eccleſiaſtici ſint magiſtratus.

In primitiva Eccleſia vix ulla leguntur Eccleſiaſtici uſi fuiſſe poteſtate, cum Auguſti. c.19. in Iohan. & Bernh. in Ep. ad Archiep. Sozonenſem, *quaſi ſingulariter notatum voluerint, quod Chriſtus ipſe Pilato ſe ſubmiſerit. Poſtea plus juris ſibi ſubinde acquiſiverunt, & Iuſtinianus* Nov.83. & 123. *permittit Clericis, ut in civilibus nonnullis judicent, ſed cum provocatione ad præſidem Non loquor de quæſtione religionis, aut ſi adverſarius in Epiſcopum conſenſiſſet*, l.cum clericis, l.omnes, l.jubemus C.de Epiſc.& cler. *Sed de civilibus, in quibus perfectam iuriſdictionem Epiſcopis Iure Iuſtinianeo conceſſam nego, unde titulus de Epiſcopali audientia, & non de Iuriſdictione conceptus eſt, nec unquã Epiſcopi, ferro, lictoribus, apparitoribus, alijſuè iuriſdictionis ſignis uſi fuerunt. Quos enim Satellites nominat* c.cum veniſſet, de teſtib. *de ſatellitibus regis Bohemiæ interpretantur* Oſtienſ.& Cuja. & Scip.Gentil.li.3.de Iuriſd.c.15. *Imò* Ruff.li.1.hiſt. *dum de Georgio Epiſcopo Alexandrino loquitur, an non juriſdictionem ab eo tollit? Satis, inquit, procaciter vi raptum Epiſcopatum gerebat, ita ut magis ſibi Iuris dicendi faſces, quam ſacerdotium adminiſtrandum religioſis officiis æſtimaret: & in criminalib. clerici ſemper fuerũt ſubiecti politiæ, quia Eccleſia in univerſum abhorret à ſanguine*, c. His 33 q.8. *licet utatur media uſq; ad mortem*, teſte Claro 5 ſent. *pœna item exilij & deportationis*, c.1. ext.de calum. *& perpetui carceris ſupplicio, &.*

cio, c. quamvis Ext. de feud. lib.6. *quod Innocentius morti comparat.*, c. qualiter & quando ext. de accuſ. *Vide* Epiſtolas Gregor. M. Pontif. li.1. Ep.41. li.7. Ep.11. li.11. Ep.54. Autent. Clericus quoque C. de Epiſc. & Cler. *Cæterum Carolus M.* ut ſcribitur c. Omnes 11. q. 1. *unicuiq; ante latam ſententiam fecit copiam appellandi à ſeculari Iudice ad Epiſcopum, quæ erat ſanctio Theodoſij* li.17. c.11. *à Carolo reſuſcitata, & repetita ab Innocentio III.* c. novit. Extr. de judic. *qui tamen eam non probat, cum in toto capite Iurisdictionem, (ſic enim loquitur) Papalem diſtinguat à regia, & illam collocet in corripiendis peccatoribus, quod confirmat tum Chriſti, tum Valentiniani dictum ibidem allegatum.* Gloſſa *enim tum* c. novit, *tum* c. omnes citat. *legem Caroli abrogatam teſtatur, & Alexandri III.* c. Si duobus de appell. *ut ibi notat* Beruhard. gloſſ. *contrarium probavit licet, ex conſuetudine, Eccleſiæ jurisdictionem competere addat, quæ alias ex jure rigoris non competat. Ideoq; ex conſuetudine locorum totam hanc controverſiam dijudicandum putamus.*

Excludit Ariſtot. *etiam judices, quos in Repub. Rom. quoq; ſejūgit* Sigō.2. de antiq. jur. Rom. c.18. *à magiſtratib. Sciendum enim, prætorem vel ipſum jus dixiſſe, in cauſis gravioribus,* Tacit. de orat. *per duo verba: Dico, Addico: vel judicem, aut judicium dediſſe, per verbum: Do, Vnde* Macr.1. Sa. c.16. *tria verba ſolemnia nominat: Do, dico, addico, in quibus* Varro *ait contineri totum jus. Docet* Cic.3. de ll. *dum ait: Iuris diſceptator, qui privata judicet, judicarivè jubeat, prætor eſto, & clarius* Vlpian. l.13. de juriſd. *Eum, qui judicare jubet, magiſtratum eſſe oportet. Idem patet* per l. 2. §. 2, l.12. l. 58. l.81. ff. de judic. & ubi quiſq; l. 1. & 3. de juriſd. l.4. de off. prætor.

De judicibus datis.

Hos

Hos judices datos ſeparat Sigon. *à magiſtratibus* l. 13. de juriſd. *quia nec ordinarij erant : (Lex enim non dabat ijs jurisdictionem* l. Et quia 6. ff. eod.*) nec propriam habebant jurisdictionem, ſed judicabant vi ejus, cujus mandatu cauſam ſuſcepiſſent.* l. 6. Eod. l. 1. & 3. de off. ejus, cui mand juriſd. *Proinde certæ formulæ à prætore illigabantur*, l. Divi 27. ff. de liber. cauſ. *ſicut* ex Feſto *patet*, in verbo: Paret. *&* Senec. li. 3. de benef. *qui ait : Iudicem formula cludit, & certos, quos non excedat, terminos ponit, cujus formulæ exemplum eſt* apud Cic. in Ver. *Similes erant judices apud Athenienſes, ut colligere eſt ex oratione Mercurij :* apud Lucian. in Dicaſt. *Audite populus. Quod felix, fauſtumq; ſit, hodie concilium de litibus habebimus &c. Quicunq; γϱαφὰς intenderunt, veniant in Areopagum, ubi Dice ſortietur forum, & ipſa aderit judicibus. Iudices ex omnibus Athenienſibus erunt. Numerus judicum pro ratione criminis. Sorte autem ductos fuiſſe* ex Demoſth. contra Ariſtogit. *conijcimus. Atq; hos excluſit à magiſtratibus* Ariſt. *Nam cæteros, quos* Suidas *ſcribit jus dixiſſe, Regem, Theſmothetas, Archontem, Polemarchum, Prætores, Logiſtas, Vndecim viros, ſub magiſtratibus comprehendit, dum vult magiſtratum quoq; judicij participem eſſe.*

Vera definitio magiſtratus.

Si verò in genere aliquid dicendum ſit de magiſtratu, erit poteſtas ordinaria ex lege, à majeſtate conceſſa, ad gerendas res Reipub. Cic. 3. de ll. *in omnibus magiſtratibus requirit auſpicium & judicium. Quid per judicium intelligat, diſputent* Gruch. & Sigon. *Auſpicium certè nec ad omnes magiſtratus requiritur, nec, ubi in Repub. Rom. requiſitum fuit, ad eſſentiam pertinuit, cum* teſte Zonar. 2. vol. & Cic. 3. de ll. *ad id introductum fuerit, ut multos inutiles*

utiles comitatus probabiles impedirent moræ. Antea tribuni non poterant auſpicari, Livius li.4. *quod gentem non habebant*: Cice. de divin. *eos tamen* Cicero pro Quint. *magiſtratus ait, conſtitutos fuiſſe,* & Varr. li.21. rer.hum. apud Gell. li.13.c.12.& Imper. Inſtit. de jur. gent. §.Conſtat. *vocat magiſtratus plebejos, ſicut &* Ariſt 5. Polit.*magiſtratum Ephororum nominat: quanquam Appius, oratoriè extenuaturus tribun. poteſtatem, eos ait ſine imperio, ſine magiſtratu eſſe, quod in dubio relinquit* Plut.in probl. Rom. Roſin.li.7.c.24. *Quia enim jus prehendendi habuerunt, quod in poteſtate conſiſtit,* Gell. d. lo. *à magiſtratibus ſeparari non poſſunt, ut nec Advocatores Venet. quibus idem ferè juris eſt.* Contar.li. ult.de Ven. Rep. Sanſou. li. 20. de rer adm. *Poteſtatem enim maximè requiri in magiſtratu* Ariſt.4. Pol.c.15. *docuit, quia eſt vicarius ſummæ poteſtatis, cuius officium repræſentare debet.*

Convenit autem inter Gruch. & Sigon. *poteſtatem latè dici, ut non tantum imperium majus,* l.3.de jur.*ſed & minores magiſtratus complectatur. An verò hæc poteſtas magiſtratuum propria fuerit facta, an penes ſummam poteſtatem manſerit, legis tantum actione magiſtratibus conceſſa, inter* Azonem & Lotharium, *olim diſputatum fuit, ſub arbitrio Henrici V. equi ſponſione facta. Et* Lotharius *quidem accepit equum, negans poteſtatem communicari magiſtratibus*: Azo *verò conſenſu ICtorum judicavit æquum.* Alciat. 2. li. Parad.6. Molin. in gl. conſu. Pariſ. Muſcor. in tr. de juriſd. *Neutrius tamen ſententia ſine diſtinctione ſtare poteſt. Nam, quando magiſtratus ex præſcripto ſuperioris, aut ex lege judicat, imperium ſummæ poteſtatis eſt, quæ legem tulit, legis actio apud magiſtratum,* arg.l.3. ff. de off. proc. *quia, ut* Papin. *reſpondit,*

An poteſtas ſit magiſtratuum propria.

facti quidem quæſtio in arbitrio eſt judicantis, pœnæ verò perſecutio, non ejus voluntati mandatur, ſed legis autoritati reſervatur. l. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpi. *Unde à ſententia, ſecundum ll. data, non appellatur, ſed à decreto prætoris, citra ll. dato, appellatur,* l. 32. ff. de re jud. *quod illic poteſtas ſit majeſtatis, hic prætoris. Quoties enim prætor corrigit & ſupplet ll,* l. 7. §. 1. de juſt. & jur. *quoties magiſtratus citra ll. ſua autoritate decretum interponit, poteſtas ad ipſum magiſtratum pertinet.*

Vlpian. l. *enim* 1. de off. eius, cui mand. *eum, cui mandata juriſdictio eſt, diſtinguit à magiſtratu, quod is nihil proprium habeat: qua de cauſa, qui mandavit, exequitur mandati judicis ſententiam:* l. à Divo 15. ff. de re jud. l. ſi quid 11. ff. de off. proc. l. vn. C. eod. *Ex quo rèlinquit concludendum: magiſtratus ſuam habere poteſtatem propriam, quam alias mandare non poſſent.* l. ult. de off. cui mand. *Hinc* Vlpian. l. 7. §. 2. l. 8. ff. de off. proc. *proconſuli in provincia pleniſſimam concedit iuriſdictionem, in qua comprehendit etiam majus imperium: & Alex.* l. 2. C. de off. præf. præt. Ori. *ſervari jubet formam à præfect. præto. datam, niſi ab Imp. fuerit aliquid innovatum. Eodem modo magiſtratus provinciales, qui merum imperium exercebant, quæſtores rerum criminalium,* l. 2. de orig. jur. *arbitros quoq; quos* Feſtus *dicebat totius rei arbitrium habere & poteſtatem, ſine ll. præſcripto propriam exercuiſſe poteſtatem ſtatuendum eſt. Vtrum verò poteſtas, pro imperio accepta, magiſtratui inſita ſit, copioſè diſputant,* Sigon. & Hottoman. *contra* Gruchium, *quorum controverſiam non rectè accipit* Bodinus, *quando eam ridet. Loquuntur enim de Imperio militari,* Clapmar. li. 1. de Arcan. rerump. c. 10. *quod cum* Sigon. & Hottom. *negamus magiſtratui inſitum*

fuiſſe,

inſitum fuiſſe, ſed quod magiſtratui competit ſua natura, illud fruſtrà aliquis à magiſtratu ſejungere nitatur.

Præterea verò, cum Vlpian. l. 7. in fin. ff. de off. proc. *&* Pompon. l. 2. §. 33. de orig. jur. *magiſtratus ſejungat ab ijs, qui dantur extra ordinem, ita coarctanda eſt poteſtas magiſtratus, ut curatoribus non competat. Nam tres* Cujacij *definitiones, quanquam & in eo peccant, quod magiſtratum judiciis tantum illigent, tamen etiam curatores complectuntur, quo vitio laborat quoq; definitio* Sigon. li. 1. de ant. jur. Ro. c. 20. & li. 3. de jur. prov. c. 5. *quod magiſtratus ſit poteſtas eorum, qui res humanas, quæ ad Rempub. pertinent, publica autoritate curant.* Bodin 3. de Repub. *c. 2. reprehendit hanc diſtinctionem, quod Deum includat, cum multò magis culpari debeat, quod ſummæ quoq; poteſtati competat. Vtrumq; igitur in definitione addendum, tum ut à ſumma poteſtate, tum, ut à curatoribus diſtinguatur magiſtratus, quod in data definitione præſtitum eſt.*

Dividuntur magiſtratus pro numero negotiorum & amplitudine Reipub. Romani enim reges contenti erant tribuno Celerum, quæſtore, & abſente rege, præfecto urbis: Dion. Halyc. *mox creſcente Repub. crevit numerus magiſtratuum, ut videre eſt apud* Pompon. l. 2. de orig. jur. Lætum, Feneſtell. Blond. Perion. Manut. Onuphr. Gruch. Sigon. de magiſt. Rom. Zaſ. Cujac. aliosque ICtos ad l. 2. de orig. jur. *Atq; ut* Æſchinis in orat. cont. Cteſiph. *diviſionem in χειροτονητὰς, κληρωτὰς & αἱρετὰς prætereamus, eò quod ſit per accidens, ab ipſa natura magiſtratuum diviſionem deſumemus, quia eadem eſt differentia conſtitutiva & diviſiva,* ut ait Porphy. c. de diff. Diviſio magiſtratus.

 Meſſala

Meſſala apud Gell. lib.13. c.14. *magiſtratum diſtinguit in majores & minores, ad differentiam majorum & minorum auſpiciorum*, interprete Varrone. *Sed, quia & auſpicia per accidens attinent ad magiſtatum.* Vlpian. l.32. ff de in jur. & fam. *minores interpretatur, qui ſunt ſine imperio: & eo ſenſu* Caſtell 4. de off. reg. c.1. *minores accipit pro municipalibus, quia, quæ magis imperij ſunt, quam juriſdictionis, magiſtratus municipalis facere non poteſt*, l. 26. ff. ad municip. *Hinc liceret alicui inferre, majores eſſe cum imperio, niſi Conſſ. jure gladij in cives caruiſſent*, l. 2. §.16. de or. jur. Cic.3. de ll pro Sext Rabir. 5 in Ver Ræ-var. ad ll.12. *& Cenſores nunquam imperio uſi fuiſſent, ſicut* Cicero pro Cluent. *ait; Cenſores damnare poſſunt, ſed ſine juriſdictione. Hos tamen* Gell. lib.13. c.18. *inter magiſt. majores reponit.*

De imperio & iuriſdictione.

Imperium verò & juriſdictio, cum multis modis dicantur, una tamen ſignificatione juriſdictio accipitur generaliter, ut notat Accurſ. in l.3. in verb. Mixtum, ff. de juriſd. *definiturq;* Goddæo diſp.2. *poteſtas de quacunq; re cognoſcendi, & judicandi, ſeu judicatum exequendi. Nam, quod* Vulte. lib.1. diſ. & Hakelman. diſp.4. th. 2. *eam definiunt per notionem, cui interdum imperium adhæret, non ſatis congruè fit, cum notionis nomen etiam ad eos pertineat, qui juriſdictionem non habent*, l. ait præt. 5. ff. de re jud. *imprimis cum differentia ſufficiens non adijciatur. Præterea juriſdictio in genere complectitur ſub ſe imperium, tanquam ſpeciem*, l.7. & 8. de off. proconſ. l.1. in pr. ff. de off. ejuſ. *cui nomen notionis non convenit. Hoc ſenſu Hiſpani Majoriam vocant juriſdictionem*, l. 6. ti.13. lib.3. ord. l.2. t.9. li.6. eiuſ. Covar. c.4. qq. pract. & Accurſ. in l. 3. ubi ſupr. *iuriſdictionem, interpretatur, quaſi ditionem iuris, id eſt,*

id eſt, legitimam poteſtatem, cujus Etymologiæ licet ſenſus non ſit ineptus, ipſa tamen derivatio claudicat, vt oſtendunt Coraſ. 3. Miſc. c.17. Cujac. & VVeſenb. in parat. de juriſd. *per* l. ſi filius de vulg. & pup. ſubſt. l. 7. in fin. de off. proc. &c.

In ſpecie opponitur jurisdictio imperio mero, quod eſt, dicente Vlpian. l.3. de juriſd. *habere gladij poteſtatem, ad animadvertendum in homines facinoroſos. Iurisdictio verò definitur,* Accurſ. in l.1. in ver. poteſt, ff. Eod. & Schard. in Lexic. *poteſtas de publico introducta juris dicendi, & ſtatuendæ æquitatis. Sed, quia jurisdictio eſſet eluſoria, niſi executionem coniunctam haberet,* l. Mandatam, §. 1. in fin. de off. ejus. *hinc naſcitur imperium mixtum, quod cauſæ cognitionem coniungit cum executione, & in danda poſſeſſione bonorum conſpicitur* l. Imperium, de juriſd. l. 2. §. Dies, ff Quis ord. in poſſ. ſerv. *Cæteræ perſonæ publicæ, quæ imperio & iurisdictione carent, hisq́ue ſubijciuntur, vt viatores, actuarij, ſcribæ, accenſi, apparitores, &c. magiſtratus non ſunt, ſed magiſtratuum miniſtri, ſicut illum ordinem increpat Cato: Vos, inquit, veſtræ conditionis memores eſſe decuit, nec magiſtratus, ſed miniſtros vos eſſe.* Plut. in Cato.

Verſatur autem magiſtratuum cura primùm in providentia de ſalute totius Reipubl. cui oportet imprimis in Democrat. & Ariſtocratia Viros prudentiſſimos præfici, quales erant apud Athenienſ. novem Archontes: Sigon. 4. de Rep. Athen. cap. 3. *apud Roman. conſules* Cicero 3. de ll. *His enim Reipub. cura demandatur, quod,* ut Caſſiod. ait li. 1. Ep. 27. *ſi unicuique daretur hæc poteſtas, voluntas diverſorum vaga relinqueretur, & confuſio, culparum amica, gigneretur.*

Primus ordo magiſtratuũ.

Non eſſe ſummum magiſtratum, nimia potentia armandum.

Sed diligens adhibenda cautio, ne hic magiſtratus nimia armetur potentia, Machiav. lib. 1. diſc. c. 50. *quod non tantum liberis Rebuſp. ſed & Monarchijs ſæpè pernitioſum fuit. Vnde Athenienſes oſtraciſmo potentiores, & autoritate præſtantes cives eijcere ſolebant, quod* Ariſt. 3. Polit. *non admodum improbat. Piſiſtratus enim nimia potentia Athenis*, Pauſan. in Att. *& Xviri Romæ obtinuerunt Tyrannidem.* Liv. li 3. *Nec tantum potuiſſet Brutus in eijciendo Tarquinio, niſi fuiſſet Tribunus Celerum,* Flor. li 1. hiſt. Rom. *Sejanus nimia potentia auctus à Tiberio, anniſus fuit ipſi imperium præripere,* Tacit. 4. Annal. *eademq; occaſione Philippus Gordianum interfecit.* Capit. in Gord. Iun. *nec ulla res ſæpius exitialis fuit Impp. Græcis, quàm magna potentia ducum, ut ex* Diac. Zonar. Nicet. & Gregor. patet.

Apud Francos Pipinus regno exuit Pharamudi ſtirpem, quod Major domus, cum maxima poteſtate creatus eſſet, Vola. tin Gæogr. *Apud Suecos Guſtavus, eadem via ivit in regnum, & Secechus, quod vires exercitus in manu haberet, Boleſſao III. Pol. regnum eripuiſſet, niſi ab ipſo præventus fuiſſet.* Crom. li. 5. *Præterea non poteſt unus præ cæteris ad magnos aſcendere honores, ſine odio & indignatione concivium, quia invidia felicitatis comes eſt, ſicut Epaminondam, Leuctrica victoria clarum, coëgerunt Thebani præ invidia in ordinem privatorum militum, ne unus præ reliquis excelleret.* Pauſan. in Bæot. *quod cum ſciret Pittacus, cum Mytileni illi multa millia jugerum dare vellent: Nolite, inquit, mihi dare, quod multi invideant.* Æmil. in Thraſ. *Occurritur autem potentiæ huic, vel ſi in plures dividatur, qua ratione mutua interceſſione collegarum, diſſolutum fuit imperium Trib. pl. vel ſi committatur tan-*

tur tantum ad tempus, qua de cauſa dictatura fuit ſemeſtris. Magnam enim cuſtodiam libertatis dicebat Mamercus, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non poſſet. Liv.lib.4. *vel deniq; ſi opponantur propugnatores libertatis, quales erant Coſmi apud Cretenſ. Ephori apud Spart.* Ariſtot. 2. Polit.c.7.& 9. *Nuncij terreſtres apud Polon.* Cromer.de mag.Pol. *Tribuni pleb.apud Roman. de quorum uſu & neceſſitate vide* Cicer. 3. de ll. Feneſt. c.10. Læt.c.18. Blond. lib.2. c.1. Rom. triumph. Alex. ab Alex. li. 5. c. 2. Ovid. 3. Faſtor.

Alius ordo magiſtratuum verſatur circa reditus publicos & ærarium, quos ab inquirenda pecunia Quæſtores dictos teſtatur Pompon. l.2. §. 22. de orig.jur. *Errat enim, qui putat Rempub. commodè ſine ærario poſſe ſubſiſtere. Sicut enim* Petron. Arb. in Sat: *ſine nervis ait hominem ambulare non poſſe, ita nec Reſpub. progredi ſine ærario poteſt, cum antiquo veriverbio Cleomenis, pecuniæ dicantur nervi rerum agendarum, imprimis bellicarum, quod neſcio an ſatis firma ratione neget* Machiav. com.in Liv. li.2.c.10. Patrit. in Parall. milit. li.5. c.10. *contra quos diſputat* Scip. Ammir. lib.18. diſc.9. Cyr. Spont. 4. part. cor. reg. Hannibal. Scot. com. in li.hiſtor. Tacit. *ubi Mucianus ait: belli civilis nervos eſſe nummos.* Lipſ. li. 4. Polit. c. 9. *Nam de bellicis negotiis ipſe* Thucyd. lib. 2. *ſcribit:* τὰ πολλὰ τοῦ πολέμου γνώμῃ καὶ χρημάτων περιουσίᾳ κρατεῖσθαι. *Id enim confitetur ipſe Archidamus Lacedam. apud* Thucyd. lib.1. *expertiq; ſunt Lacedæm. in oppugnatione Sami, quam urbem cum 40. dies oppugnaſſent, re infecta, ob defectum æris, coacti ſunt domum redire,* Herod. lib.3. Aerarium.

Vnde

Vnde Polyb. lib. 6. *propterea putat Romanos potentiores factos Spartanis, quod ærarium habuerint, quo caruerunt Spartani.*

In cæteris verò rebus opus eſt præſentaria pecunia, ad ſuſtentandam familiam regis, ad ſalaria magiſtratuum, ad præmia benè meritorum, ad ſuſtentationem pauperum. Quin etiam ædificia publica, tam ſacra, quàm profana hinc reſtaurari debent. Scribit enim Vlpian. l. 7. ff. de off. proconſ. *Proconſulis eſſe, ædes ſacras & opera publica circumire, inſpiciendi gratia, an ſarta tecta quæ ſint, vel an aliqua refectione indigeant. Intereſt enim Eccleſiæ, ne ob defectum ædificiorum religio negligatur.* c. ad Audient. c. de his, c. Tua de Eccleſ. repar. vel ædif. *Cætera opera publica partim ad munimenta, partim ad ornamenta pertinent, quorum alteris, non poteſt, alteris non debet Reſpub. carere. Unde ad eorum conſervationem, Arcadius & Honorius tertiam partem de reditibus fundorum Reip. deputarunt,* l. 11. C. de op. publ. *voluerunt ꝗ ſubditos cogere, quemꝗ pro ſuis facultatibus, ad curam operum publ.* l. 12. C. eod. *Pericli ſanè maximam conciliavit gratiam, Athenis verò perpetuum honorem, quod magnificis ædificiis eas exornaret:* Plut. in Pericl. *& Auguſtus laudi ſibi vertit, quod urbem, quam lateritiam accepiſſet, marmoream reliquiſſet.* Sueton. in Aug. *quo nomine laudatur Claudius,* Sueton. in Claud. *Nerva,* Xiphil. in Nerv. *& Trajanus,* Dion in Trai. *quem propterea herbam parietariam dixerunt, quod nomen ejus in omnibus operibus publicis legeretur.* Ammian. li. 27. *Atꝗ huic magiſtratui præfecti olim erant ædiles,* l. 2. §. 21. de orig. jur. l. 1. §. ult. ne quid in lo. ſa. l. un. in pr. de via publ. *Apud Athenienſes ἀστύνομοι,* Plat. 6. de ll, Arpocrat, Demoſth. in Timocr. & ibi Vlpian:

pian. τειχοποιοὶ, Ariſt. 4. polit. c.15. Æſchin. de ement. legat. οἱ ἐπιστάται τῶν ὑδάτων, Plut. in Them. ὁδοποιοὶ κρηνοφύλακες, Pollux & *alij* ἐπιστάται τῶν δημοσίων ἔργων.

Reliqui magiſtratus exercentur circa juſtitiam, quod officium regi Gallor maximè commendavit AEgid. Roma. in li. de Inſt. reg. *ut refert* Paul. AEmil. de reb geſt. Fran. *cum juſtitiæ fruendæ cauſa olim reges factos teſtetur* Herod. li.1. & Cic 2. de off. *quò reſpiciunt Iudæi, dum regem petunt, qui ipſis more aliarum gentium jus dicat*. 1. Sam.8. Tertius ordo magiſtratuum

Sicut autem duplex Ariſtot 5. Eth. *eſt juſtitia: ita legislatorem non tantum criminibus pœnas definire, ſed & benè merita præmijs mactare oportet.* Lipſ. 5. polit. c.13. Bodin. 5. de Rep. c 4. Iun. q.106. Scip. Ammir. li.1. diſc.2. *prolixè* Ioh. Marian. li.3. de reg. inſtit. c.4. Machiav. li. 1. diſc.24. *Nihil enim magis devincit magiſtratus ſubditis, quàm præmia, nec quicquam juſtius eſt, quàm virtuti precium reddere: nihil deniq; magis incitat homines ad virtuti ſtudendum. Parum enim proſit abſtinere à vitijs, à quibus metus pœnæ homines abigit, niſi accedat etiam ſtudium virtutis, ſine quo tota Reſp. quaſi exangue & emortuū cadaver jacet. Proinde pleræq; Reſp. non rectè ſeveras ſe præbent in pœnis, de præmijs nihil ſollicitæ. Rectius* Iſocr. in Areop. *Ad magiſtratus, ait, pertinet, cives inſtituere potius, ne quid dignum pœna committere velint: ſuppliciis autem invigilare, hoſtium eſt.* Præmiorum diſtributio.

Hoc nomine commendatur ſenatus M. Chami, quod non tantum, quibus pœnæ, ſed & quibus præmia debeantur, conquirat: Boter. 2.p. Coſm. lib.2. *& Trajanum laudat* Plin. in Panæg. *quod bonos cives faciat, non pœnis malorum, ſed præmiis bonorum. Qui enim malè conſultis impunitatem, rectè factis nullum præmium pollicetur, nec illos*

crimine, & hos deterret à laude. Quæ ratio admodum pulcra eſt, & melior, quàm illa Saluſt.in Iug. *ubi dicitur: in Repub, multò præſtat beneficij, quàm maleficij immemorem eſſe. Bonus ſegnior fit, ubi negligas: malus improbior. Neutrum quippe fieri convenit, cum Reſpub. non minus detrimenti ſentiat ex neglectu virtutis, quàm impunitate ſcelerum. Hinc enim licet nonnulli mali, inde tamen nulli fiunt boni. Unde Perſæ benè meritos, Oroſangos vocant, ſolebant notare, vt ijs præmia concederent,* ex lib. Heſth & Xenoph. 1. Cyrop. *inter quos Phylacum aſſcriptum à Xerxe, teſtatur* Herod. lib. 8. *Ita Græci,* Herod. lib. 9. *& Alexander M.* Iuſtin. lib. 11. *virtutem militum æternis proſecuti ſunt honoribus, nec aliter incenderunt Romani ſuos cives ad fortia facta, quàm, triumphis, coronis, & publicis laudationibus,* Polyb. lib. 6. 8. 10. *Eò enim dicit* Liv. lib. 4. *impendi laborem & periculum, unde emolumentum & honos ſperatur: &* Veget. lib. 3. c. ult. *ait: Milites pœna & timor in ſedibus corrigunt, in expeditionibus ſpes & præmia faciunt meliores.*

Pœnarum irrogatio. An princeps coram lites audire, & judicare debeat.

Hanc juſtitiæ partem, quia gratiæ plena eſt, princeps per ſe exercere debet: alteram ſatius eſt prætoribus & judicibus committi, ſecundum Xenophon. præceptum in Hieron. *ita tamen, vt jus provocationis ſibi retineat, ne neglectæ juſtitiæ accuſari poſſit, & vt metu judicia magiſtratuum, intra juſtitiæ terminos contineat. Regum enim officium proprium eſſe ait:* Hieron. c. Regum 23. q. 5. *facere judicium & juſtitiam, & ad id natos putat Reges* Heſiodus. *Qua de cauſa & Salomon potiſſimum petijt ſibi à Deo prudentiam ad judicandum,* 3. Reg. 5. *exemplo Davidis.* Pſal. 71. *Sed propterea non cogitur princeps judicijs omnium rerum intereſſe, ſicut Auguſtus ſæpe in noctē traxit*

judicia,

judicia, Dion. in Aug. *quem, eum ſibi non vacaret jus dicere, mulier increpuit: noli igitur imperare, quod & Adriàno obtigit: aut ſicut Severus in civilibus negotiis non minus, quàm pueris erudiendis diligens fuit.* Herod. in Sev. *Theophilus Imp. ipſe forum circumivit, juſtanè eſſent pondera, ſciſcitans:* Zonar. & Cedre. in Theoph. *quod & Leſcum Album feciſſe autor eſt.* Crom. li. 7. *Philippus, Herodis Antipæ frater, ubiq; poſt ſe curavit portari ſellam, ex qua quamcunq; controverſiam, ſibi oblatam, dijudicaret.* Ioſeph. lib. 18. c. 6. *Muſcovita hodie ſolus ferè exercet judicia capitalia.* Sigiſ. Baro in Muſc.

Juſtitiam enim facit Rex, ſi probos præficiat judices, eorumq; judicia regat, eò, quod ad ſe provocari patiatur, aut ſi exemplo Moſis, graviores cauſas ipſe decidat, minores relinquat judicibus. Nam judicia negligere prorſus, contemtus opinionem parit in animis civium, eaq; de cauſa à Demetrio exercitus defecit, quod dicas ſubditorum, in flumen contumelioſè projeciſſet: Plutarch. in Demet. *& Sadachireum Præcopitæ regno exuerunt, quod nunquam ad publicum forum prodiret.* Sigiſm. in Muſc. *Aſtutè olim rex regionis, quam thuris feracem vocant, cujus veſtigia Turca imitatur,* Busbeq. Ep. 1. *Is enim,* referente Athen. lib. 12. c. 4. *judices quidem litibus judicandis dabat, ſed ſi quis minus juſtè deciſiſſe putabatur, feneſtra erat in altiſſimo loco, quæ ferrea catena ligabatur, quam, qui injuſtè iudicatum putabat, apprehendebat, & feneſtram trahebat. Quare admonitus rex cauſam ad ſe vocabat, & ſi viderentur iudices minus iuſtè iudicaſſe, moriebantur, ſi minus, alter, qui feneſtram moverat. Oportet enim pœnā adjici, ne temerè increbeſcant provocationes, aut vileſcat autoritas magiſtratus. Præſentia verò occulta principis*

facit, ut modeſtius litigent homines, & judicatum plus autoritatis habeat, quia creditur conſenſu principis tacito armatum. Imò judices quoque ſollicitius judicant, quando ſuſpicantur, ſe ſemper in præſentia principis decernere.

Alioquin multæ ſunt cauſæ, quæ prohibent Principem ipſum lites quaſcunq; audire. Quam enim propter negabat Comin lib.3.bell. Gall. *ex uſu Principum eſſe, ut ad colloquia coram coirent, propter eandem multò magis neceſſarium eſt, ut à frequenti converſatione ſubditorum abſtineant, non tantum, quod illa contemtum pariat, qua de cauſa* Calliſtr. l.19. ff. de off. præſ. *præſidem à familiaritate provincialium abſterret, & Mammæa increpabat Alexandrum Sev. quod familiaritate diſſolveret imperium,* Lampr. in Alex. *id quod ſibi obtigiſſe conqueritur Iacob. VI. rex Brit.* li.2. admon. ad fil. *Verùm etiam quod leviſſima errata in principe habeantur, pro flagitiis, interdum etiam ad imitationem rapiantur, ut oſtendit* Bodin. lib. 4. cap.6. *Vnde reges Perſarum,* Athen. lib. 4. Dipnoſ. *Abyſſinorum,* Alvareſ. in enar. reg. Abyſ. *& Bornæi,* Leo Afer in hiſt. Afric. *vix unquam ſubditis ſe manifeſtant, quod putent, rariora impenſius coli:* c. Legimus d.93. *& Tiberius, quamvis præſens, voluit tamen ſcripto adiri,* Tacit 4. Annal. *ne ex gravitate aliquid deperderet* Scip. Ammir. li.4. diſc. 9. *Huic tamen vitio datum fuit, quod libellis accuſ. invigilaret, maiora negligeret.* Tacit.3. Annal. *unde aliam licet deſumere rationem, maius eſſe officium regis, quàm quod litibus conſumi debeat, ſicut Modeſtus præfectus prætorij admonebat Valentem,* Ammian. li.30. *imprimis, cum res admodum tædioſa ſit, nec regis ſtudia patiantur illum minutias litium addiſcere.*

Præte-

*Præterea regis omnia debent comparata eſſe ad benevolentiam, ſicut Theod. ait:*apud Caſſiod.4. Ep.23. *in omnibus cauſis divina conſideratione id fieri volumus, quod opinionem noſtræ pietatis accumulet. Vnde reges Ægyptij non tantum interficere quenquam, ſed& ſupplicia ſpectare prohibebantur.* Plut.de Iſid. *Nam Bruti crudelitatem auxit, quod præſens necem filior: ſpectaret.* Auguſt. de civit. Dei. *Fulvioq; idem vitio vertit* Livius li.26. *Verri* Cicero 5.in Ver. *& Volaſo, Aſiæ Proconſ.* Senec 2.de ir.c. 5. *Laudem verò clementiæ perderet Princeps, ſi ipſe, iudicia, quæ ſeverè exerceri debent, obiret, quapropter Germanicus non ipſe ſeditioſos milites condemnare voluit, ſed exercitui iudicandos dedit.* Tacit.1.Annal. *Supplicia exigendi vis non divina non cœleſtis eſt,* ait Plutarch.περὶ ἀοργης: *ſed Furiis & geniis convenit.*

Diximus, in iudice ſeveritatem puta convenientem, Hippol.de Marſil. §. Exped. n.86. § ult. n.3. *quæ non conſiſtat in ſummo rigore, ut vult* Claud. de Battand.in prax. Crim. reg.153. n.11. *ſed æqua animadverſione, requiri, id quod ita eſſe* Calliſtr. *demonſtrat,* l.19. ff. de off. præſ. & Auguſt. c. Sunt plures §. Quædam diſt.3. de pœn. *imò* Ambroſ. lib.1. de off. *offert illud* ex Deuteron. *non miſerearis eius, quod de iudice dictum eſt, ut explicat* Iſidor. Peluſiot. li.4. Epiſt.89. *Neq; enim in iudicio* Caſſiodoro li.11 Ep.40. *aſſentiri debemus, ſcribenti, benigni Principis eſſe, ad clementiæ commodum, tranſilire interdum æquitatis terminos, quando ſola miſericordia eſt, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant: Ignoſcere pulcrum,* ait Claudianus. *Iam miſero, pœnæq; genus, vidiſſe precantem. Hæc inquam, miſericordia in iudice ſemper laudem meretur, vocaturq;* Ambroſio c. Eſt injuſta 23. q. 4.

Iudice tr.

iniuſta miſericordia, quia non oportet impunita manere maleficia: l.51.ff.ad l. Aquil. *vbi* Bald. *ait Publicæ diſciplinæ favorem dictare ac ſuadere, vt maleficia puniantur. Id enim pertinet ad quietem Reip.* l.13.in pr.ff.de off. præſ.l.2. in fin.C.Quando lic.vni.ſine iud. *Nec querelis aliorum, qui læſi ſunt, aliter ſatis facere poſſumus.* Capitalium ∫. 15.ff.de pœn. *quibus duabus rationibus oſtendit* Thom.22. q.67.a 4. *in ijs, quæ ll. definita ſunt, non eſſe miſericordiam faciendam.*

An iudex condonare maleficia debeat.

Propterea iudex in condonando nimium facilem ſe præbere non debet, vt præcipiunt Impp. l 14.C.de pœn. *ne ad maleficia temerè quiſquam proſiliat. Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquenti.* c. Eſt iniuſta 23.q.4. c.vt clericor, de vit.& hon.cler. *multisq; alijs peccandi feneſtram aperit.* c. Loci ∫ .proinde 35.q.9.Nou.17.c.5. *quam vtramq; rationem aſſignat* Plato 5.de ll. *Proinde Bias, damnaturus aliquem, illacrymavit: rogatus, quare id faceret, quia, inquit, naturæ condolendum eſt, ſed legi ſuffragandum. Poteſt quidem leges civiles temperare prætor,* l.ius autem ∫.1.de iuſt.&iur. *ſed vt ſcelera puniantur, legis divinæ intereſt, ſicut* Deuter.2. *ratio adijcitur, quare iuſtitia ſit obſervanda, quia Dei eſt iudicium: Vnde puniuntur divinitus non punientes ſcelera, ſicut* Ambroſ.1.de off. *probat, exmplo Saulis, quem contraxiſſe ait offenſam, quod miſeratus eſſet Agag hoſtium regem, quem prohibuerat divina ſententia ſervari: & Innoc.III. exemplo Heli,* c. Licet Heli de Simon. *ex quo infert: Ad corrigendos igitur ſubditorum exceſſus tantò debet diligentius prælatus aſſurgere, quantò damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas. Ludowicus pius cum alicui ſcelus quoddam condonaſſet, & mox incidiſſet in verſ.* Pſalm.106. *Beati, qui faciunt*

ciunt iuſtitiam, hominem reveccavit, & gratiam irritam fecit. Antimach. li. 3 th. 7. *Neceſſe enim eſt profectò, ut vitia ſuis pœnis iure afficiantur:* Machiav. li. 1. diſc. c. 24. *meritoq́. ridet* Petrus de Ferrariis in pract. t. Forma inquiſit. *laxam Canonum indulgentiam & immodicè licentioſam protectionem, quam, ait, ad placitum, & ſine ratione, imò contra jus divinum introductam, in quam ſententiam vide &* Iohan. Fabr. in ſ. fin. Inſt. de iis, qui ſunt ſui: Boëri. in deciſ. q. 109. *licet diſſentire videatur* Hippol. de Marſ. ſ. ult. in fin. *Prorex Scotiæ, condonationem culpæ ad pontificem, ſed pœnam corporis ad regem pertinere dicebat.* Buch. li. 9.

An igitur ſecundum leges debet iudex ſemper iudicare? Vbi lex ſine dubitatione plana eſt, non tantum iniuria fit legi, ſi iudex ſe ea prudentiorem putet, per Bald. in l. 2. C. de ſent. ex brev. recit. *ſed etiam in maieſtatem peccatur, quia inferior poteſtas nequit ſuperioris legem abrogare*, c. inferior diſt. 21. *cum eiuſdem ſit ferre & abrogare*, ut gl. ex d. c. elicit reg. 1. *Ferre autem leges, pertinere ad maieſtatem*, diſp. 8. *diximus. Iudex verò tantum eſt miniſter legis, quæ ipſi imponit neceſſitatem.* Bellov. li. 2. pract. crim. c. 4. n. 64. *Vnde* Bald. *dixit*, in l. fin. C. de pœn. jud. qui malè judic. *iudicem debere ſequi regulas iuris, & non conſcientiam ſuam, legibus adverſantem. Non enim clementiorem lege iudicem oportet eſſe*, Nov. 82. c. oportet. l. ſervos, C. ad l. Iul. de vi. Iacob. de Aren. in tr. de Bannit. num. 18. Neilus de Bann. 1. pa. 2. tempor. num. 62. *imò* Baldus *ait*, in l. Non omnium ff. de ll. *etiam legem ſine ratione, non poſſe à minore infringi*, per l. proſpexit. ff. Qui & à quibus. *& quod maius eſt*, Hippol. in pract. ſ. diligenter num. 24. & ſeqq.

Iudex debet iudicare ſecundũ ll.

etiam

etiam arbitrium judicis vult juri & æquitati illigare. Bonus judex, ait Ambroſ. c.Iudicet 3. q. 7. *nihil ex arbitrio ſuo facit, aut propoſito domeſticæ voluntatis, ſed juxta ll. & jura pronunciat: ſtatutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. &c.*

Hinc Imp l. Rem non novam 14. C. de judic. *antiquis legumlatoribus placuiſſe teſtatur, ut calculum judicialem non aliter acciperent judices, niſi prius ſacramentum præſtitiſſent, omni modo ſe cum veritate & legum obſervatione judicium diſpoſituros. Charondas enim vetuit magiſtratus etiam ab iniquarum legum verbis diſcedere:* Diodor. li.12. & Demoſth. cont.Mid. *admonet judices, cogitent, quid juraverint. Iurant enim ſe ſecundum ll. iudicaturos,* ut Xenoph. docet 1. de dict & fact. Socr. & Demoſth. pro Cteſiph. *iuramentum ſic inchoat: ſententiam feram, ut iubent ll. & decreta Athenienſis populi, & Senatus quingentumvirum: brevius* A Eſchin.cont. Cteſiph.in pr. *Feram ſententiam ex ll.* Pollux *addit & hoc: Feram ſententiam, de iis, quorum extant leges, ut iubent leges, quorum non extant, optima mente. Romanis, magiſtratum plus quinque dies, niſi iuratis in ll. non licebat gerere.* Livius lib.31. *Propterea C. Valerius Flaccus non potuit ædilis curulis fieri, quia flamen Dialis erat, quem iurare religio vetabat.* Gell.10 c.15. *In temporalibus legibus, ait* Auguſt.c In iſtis di.4. *quanquam de his homines iudicant, dum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ, & firmatæ, non licebit iudici de ipſis iudicare ſed ſecundum ipſas.* c.13. Nov. 82. Hottom.q. illuſt.27.28.

Objectio. Ariſtot, *tamen* 5.Eth. *æquitatem alicubi præfert iuſtitiæ, quem citat* Claud.de Battand. in prax. crim. reg. 153. n. 13. *ubi docet, ius ſummum cedere æquitati, quod &* Paulus

Paulus *affirmat* l. 90. de R. I. l. 85. l. 183. Eod. & Iohan de ter. rub. cont. rebell. ſui regis ſuper verb. intromittere, *ubi ait: Iuſtitia cum miſericordia coambulet. Id enim eſt magnum cenſorem eſſe,* ait Var. in Sat. Menip. *non ſtudere multos ærarios facere. Idem voluit* Salom. proverb. 30. *Noli nimium juſtus eſſe, ne pereas in juſtitia. Qui enim nimium emungit, elicit ſanguinem, & poëtæ Herculis clavæ affingunt oleum, oſtenſuri, ictus oleo miſericordiæ leniendos.* Damhud. ult. c. pract. Crim. *Hinc judici licet ex cauſis pœnam legum minuere & intendere*, l. Quid ergo, §. pœna. ff. de his qui not. infam. l. penult. ad l. Corn. de ſic. c. In Archiepiſcop. de Raptor. Bellov lib. 3. pract. c. 19. n. 3. Gundiſſalu. de hæret. q. 8. n. 7. *aut mutare*, ſicut Berrard. Bonon. elicit ex d. c. In Archiep. in verb. poteris. *Verùm aut æquitas locum habet, quando jus vel obſcurum vel nullum eſt*, l. 85. de R. I. l. 244. de V. S. l. 4. de cuſtod. & exhib. *aut conſiſtit in commoda interpretatione legis, & accommodatione æqua ad circumſtantias, quam præſcribunt etiam ipſæ ll. vt patebit infra. Manifeſtò verò legi obrogare, tantum principis eſt*: l. Et ideo de ll. l. inter C. de ll. & conſt. princip. *qua de cauſa privilegia ponit* Cice. 3. de ll. *tantum in poteſtate comitiorum centur: in quibus volvebatur ſumma poteſtas, quod privilegium, ſit contra tenorem juris, ob aliquam utilitatem inductum.* l. 16. de ll.

Si verò leges oppugnaverint honeſtatem, pietatem vel naturam, qualis erat lex Epheſiorum, Cice. 5. Thuſc. *fortiori potius poteſtati, nimirum DEO & naturæ obediendum. Non enim judex tantum ſuæ civitatis civis, ſed totius mundi & Dei eſt, unde horum ll. non minus tenetur. Quin etiam, quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confir-* Limitatio.

 mata

mata ſunt, l. Vbi repugnant. de R. Iur. *& conſtitutiones contra bonos mores, nullius ſunt momenti.* c. 4. c. 2. diſt. 10. *ideoq́; ijs nemo tenetur, imprimis cum tales ll. edantur ultra principum jurisdictiones. Vltra verò jurisdictionem jubenti non ſit parendum*, l. ult. de jurisdict. *Vnde Ægyptij reges nolebant quicquam executioni dari à magiſtratibus, quod inhoneſtum putarent:* Plut. in Apopht. *Anaſtaſ. vetuit valere, quod reſcriptum eſſet contra leges*, l. ult. C. contra jus. *eumq́; imitatus Iuſtinian*, c. Illud. Nov. 81. *Gallorum quoq́; reges æſtimationi judicum ſua reſcripta ſubjecerunt*, ut patet in Conſtit. Caroli V. art. 66. & Philip. Belli a. 11. *Quod tum demum valere debet, quando reſcripta contra Deum aut honeſtatem peccant:* c. non licet diſt. 10. *Alias etiam iniquiora & inutilia reſcripta principum magiſtratui ſervanda ſunt*, c. in iſtis diſt. 4. l. prætor 20. §. Ait. 3. ff. de op. nov. nunc. *propter rerum judicatarum, & principum autoritatem.* l. 65. §. 2. ff. ad Trebell. Bodin. 3. de Rep. c. 4.

In judice requiritur ſcientia iuris.

Redimus ad perſonam judicis, quam oportet ſcientia juris, quod redditura eſt, inſtructam eſſe. Profeſſionem, ait Caſſiod. 8. lib. Ep. 18. *conſtat eſſe juſtitiæ, legum peritos judices ordinare, quia vix poteſt negligere, qui novit æquitatem: nec facilè erroris vitio ſordeſcit, quem doctrina purgaverit. Si enim Q. Mutius verſus Servi: Sulpitium rectè illo fuit uſus ſermone: Turpe eſt patritio & nobili viro, jus, in quo verſatur, ignorare*, Iohan. Franciſ. de Pavin. in præfat. Extrav. *quantò melius poſſit increpari judex, cujus ædes volebat* Cic. 1. de ll. *tanquam oraculum adiri debere: imprimis cum judex ignoranter procedens litem ſuam faciat*, ut oſtendit Hippol. §. occurrunt n. 3. ex tot. t. de pœn. jud. qui malè jud. *Hinc* Bald. in l. 2. C.

de ſent.

de ſent. ex brev. recit. *duos ſales requirit in mente iudicis, ſcilicet ſapientiæ, qui eſt intellectus ll. & Cann. & conſcientiæ. Tum autem,* ait Damhud. in pract. crim. c.36. n.9. ex Hennin. Goden. in proœm. jud. proceſ. n.1.6. & ſeqq. *judex rectam retinet conſcientiam, ſi ſit benè inſtructus ſale jurium.*

Poteſt quidem ignorantiæ ſuæ ex parte mederi judex, ſi ICtos adeat, ut præcipit Damhud. pract. crim. c.76. n. 35. *ſed miſer eſt, qui ex alieno pectore ſapere cogitur, qua de cauſa Perſæ ridebant Romanos, quod apud eos viri indocti judicum munus ſuſtinerent: literati verò ijs, poſt terga aſſiſterent.* Ammian. lib.23. *quod de antiquis Germanis quoq; refert* Iohan. Boëm. lib.3. de morib. gent. c.12. *Rectè Meſſala Valerius* apud Tacit. lib.1. Annal. *ait; ſe in ijs, quæ in Remp. pertinent, non uſurum conſilio, niſi ſuo: ubi notat* Annibal Scot. Placent. *Prudentis viri eſſe, non alieno, ſed proprio niti conſilio. Nec exſatus eſt judex, ſi malè pronunciatam à ICtis ſententiam exequatur, quam ex officio ſuo corrigere, aut mitigare debuiſſet. Iudicis enim cauſa agitur, quando ſententia pronunciatur, & de prætore, non Iuriſconſulto dicitur, quod habeat poteſtatem ſupplendi, corrigendi, &c. jus civile.* l.7. de juſt. & jur. *Quid verò ſi caſus incidat, quem jura non definierint? Ibi omnia, quæ non determinantur à jure, relinquuntur arbitrio judicis per doctrinam.* c. de cauſis ex. de off. de leg. l.1. ff. de jur. delib. l. hodie l. ſanctio ff. de pœn. l.1. §. quibus multa ff. de Effract. *Hoc verò arbitrium ſine prudentia interponi non poteſt. Proinde rectè Ægyptij circumdabant juſtitiæ picturam libris, ut indicarent ſe do-*

ctrinam in judice requirere. Diodor. lib.1. Cæl. Rhodig. lib.23.c.18.

Altera virtus judicis.

Deinde neceſſe eſt à crimine, quod damnaturus eſt, judicem immunem eſſe. Alioquin Epictet. in ſentent. ad fin. tomi 2. à VVolf. editi, *dicebat turpe eſſe, iudicem ab alio judicari. Xenocrates enim cum videret furem quendam duci ad patibulum, ſubriſit, quod magni fures minores morte damnarent. Si enim non patimur verrucas noſtras, ab ijs, qui ulceribus ſcatent, reprehendi, multò minus vitia à ſimilibus condemnari. Iudicet,* ait Ambroſ. c judicet in pr.3. q.7. *ille de alterius errore, qui non habet in ſeipſo, quod condemnet. Iudicet ille, qui non agat eadem, quæ in alio putaverit punienda, ne cum de alio judicat, in ſe ferat ſententiam. Hoc enim parit judicis contemtum, quo nihil ſtudioſius fugiendum judici.* l. 19.de off. præſ. *Cum enim Iuſtinus II. ſemitarium quendam hominem prætorem conſtituiſſet, ipſe propter vilitatem contemtus à patritijs, & juſtitia neglecta fuiſſet, niſi Imp. ſeveritate ſua occurriſſet.* Zonar. in Iuſt. *Proinde* Philo in lib. de jud. *ſicut, ait, ignem oportet calidum eſſe, vt urat, ita judicem juſtitia oportet indutum eſſe, vt eam reddere poſſit alijs: Et Athen. in Areopagum aſcenſuros, triplici δοκιμασίᾳ prius probabant, ne quid vitiorum in ijs maneret:* Sigon. 2. de Rep. Athen. c. ult. *judicemq́ ſuum ſic inſtruit Theod. rex: Eſto innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, ara juſtitiæ. Abſit à judicarijs mentibus aliquid profanum.* Caſſiod. li.1. Ep.12.

Judex debet affectibus vacare.

Porrò in ipſo judicio maximè neceſſe eſt à judice iuſtitiæ rationem haberi, quoniam inde iudicis nomen derivat. Iſidor. in Etymol. Bald. *etiam* in l.1. C. Ne ex deli. defunct. *iudicem in criminalibus iniuſtè procedentem, putat teneri l. Corn. de Sic. quem capitis damnat.* Macer l. 7. §. fin. ff.

fin. ff. ad l. Iul. repet. *ſi alium morti iniuſte adiudicarit. Alioquin, cum ſit falſarius, punitur ob crimen falſi,* l.1. §. Sed etſi. ff. de falſar. Bellov. li.1. prax. crim. c.11. n.15. Claud. de Battand. reg. 42. *Cum verò affectus iuſtitiæ maximè obſiſtant, quod,* dicente Sen. 8. Ep. 60. *rem conſilio & cogitatione videre non ſinant, ſicut amantes de formis nihil iudicare aiebat.* Quint. li. 6. c. 3. *quod oculorum ſenſum amor premeret: omnes oportet affectus in tribunalis veſtibulo exui. Propterea enim ſolent iudices ſedere,* Nov. 71. c. Sancimus in med. l. Quiſquis §. ult. C. de poſtul. l. A. procedente C. de dilat. *vt tranquillitatis animi admoneantur. Apud Areopagitas eadem de cauſa, ἄνευ πάθους καὶ προοιμίου cauſæ perorabantur,* Lucian. in Hermotim. & Anacharſ. Ariſtot. in pr. Rhet. *& quidem noctu,* Alex. ab Alex. li. 3. c. 5. *quò omnes excluderentur perturbationes.*

Apud Ægyptios, Diod. li. 1. *& Thebanos fingebantur imagines iuſtitiæ cœcæ & ſine manibus, quod,* explicante Plutarch. *nec munera capere, nec oculos in cuiusquã gratiam deflectere debeant, quanquam* Chryſipp. lib. περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, *eam fingat oculis acutiſſimis, vt,* interprete Gellio lib. 14. c. 4. *in momenta cauſarum intimè intueatur. Munera verò vetant ll. accipi à iudice, quia excæcant oculos iuſtorum,* Deut. 15. *& prævaricatio ſunt veritatis,* c. qui rectè 11 q. 3. *quæ duo loca afferunt* Angel. & Iaſ. in l. non dubium in pr. C. de teſtib. *& ad Idem adducit* Hippol. de Marſ. prax. crim. §. poſtr. n. 4. c. cum æterni in pr. de re jud. lib. 6. c. qui rectè, c. quatuor, 11. q. 3. c. quoties de teſtib. *Diſputent* Dd. Bart. in l. plebiſcito de off. præſ. & gloſſ. ibid. Bald. l. Solent de off. proconſ. *utrum magiſtratui ob iudicium munus accipere liceat, nobis probantur ordinationes Hiſpan. quæ propter iudicium* An munera iudici accipiẽda.

quicquam accipere prohibent. teſte Gundiſalvo in tr. de b..ret. n. 8. 9. *cum judex non propter munera, ſed propter virtutem veram ſententiam pronunciare debeat*, Caſtel. 4. de off. reg. c. 4. *&* Gregor. ait c. qui rectè 11. q. 3. *qui rectè judicat & præmium remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia juſtitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit. Bonis malè vtuntur, qui pro temporali lucro juſtè iudicant: tales quippe ad veritatem non iuſtitiæ defenſio, ſed amor precij provocat, quibus ſi ſpes nummi ſubtrahitur, confeſtim à iuſtitiæ confeſſione recedunt.*

Vtraq; pars audienda.

Debet igitur iudex æqualiter utramq; partem audire, ſicut Heliaſtæ iudices apud Athenienſ. iurabant: καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου, καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν. Demoſth. in Timor. *qui &* in orat. de Coro. *æquiſſimum cenſet, præbere ſeipſum æqualem iudicem utriq; & communem* ἀκροατὴν, *imitatus præceptum* Platon. *Ne iudica, niſi utroſq; audieris. Alexandrum M. notum eſt, cum controverſias audiret, ſolitum aurem alteram obturare, vt eam reo integram reſervaret.* Plut. in Alex. *Lex 12. erat: Ante meridiem cauſam conſcito, cum perorant ambo præſentes.* Gell. lib. 17. c. 2. *Vnde meritò* Sen. de mor. Claud. *Claudium inſectatur, quod ipſo non alius Potuit citus Diſcere cauſas, Vna tantum parte audita, Sæpe & neutra: Et* Iuſtin. Nov. 8. t. 3. ſ. Et æquus, *à magiſt. exigit, vt utriq; parti æqui ſint &c. Imò Theophilus Imp. uxoris ſuæ fratrem Petronam in medio foro cædi curavit, quod affinitati confiſus, ſervitutem, quam vicinæ mulieri ſumtuoſis ſuis ædibus fecerat, tollere negaret.* Zon. & Cedre. in Theoph. *Reſpectus enim perſonarum non habendus, ſed utraq; pars audienda. Antequam ſcruteris,* ait Salo. Eccleſ. 11. *ne repre-*

reprehendas, intellige prius, & tunc increpa: antequam audieris, ne reſpondeas: & ex eo Damaſus Pap. c Eorum q 13. *Eorum, qui accuſantur, cauſas, diſcutere non licet prius quàm canonicè vocati ad Synodum veniant, & præſens per præſentem agnoſcat veritatem, & intelligat, quæ ei obijciuntur, quod an patres Tridentini obſervarint*, ex act. Synod. Trid. *patet*.

Magnum quoq; ad rectum iudicium momentum affert, ſi ſententiam iudex non præcipitet. Nihil enim, ait Demoſth. *tam contrarium eſt iudicio, quàm ſubitò ſine iudicio decernere*: & Senec. in prov. *Ad pœnitendum properat, qui citò iudicat: Item, in iudicando crimino ſa eſt celeritas*: & Hippol. de Marſ. §. poſtr. prax. crim. n. 2. *refert* Cardin. *dictum* ſuper text. in Clemen. paſtoralis §. verùm in pr. de re jud. *Præcipitata voluntas eſt noverca iuſtitiæ. Antoninus Philoſ. etiam in minimis rebus diem conſumſit, ratus non oportere Imp. quicquam properè agere*, Dion. in Anton. *Antea Tiberius vetuit damnatos ante 10. diem puniri*: Dion. lib. 57. Suet. in Tib. *& Auguſto, cum præceps ad iram ferretur, conſilium dedit præceptor, ne condemnationem ratam eſſe juberet, antequam literas 24. recenſuiſſet, ratus interim iram poſſe intepeſcere*. Victor. in Theod. *Longius ſpatium impetravit Ambroſius à Theodoſio, cum per iram omnes Theſſalonicenſes damnaſſet*. Zonar. in Theod. *Iulit enim legem, ne ſeverum ſupplicium ante 30. dies executioni mandaretur*, l. 20. C. de pœn. *Iam olim ſecundum ll. 12. cauſæ ante meridiem propoſitæ, à meridie demum decidebantur*, Gell. lib. 17. c. 2. Thomas *verò* Morus in ſua Vtop. *ſecundo demum die vult judicium ferri. Lacedæmonij quoq; jactant ſe* apud Thuc. li. 1. *Hæc inſtituta majores noſtri nobis tradiderunt, ne in*

Non præcipitanda ſentētia.

ne in exigua diei particula de multis, capitibus, pecunijs, urbibus & de gloria properantes decernamus, ſed per otiū, cujus inſtituti rationem reddebat Anaxandrides, quod ſi hîc ſemel erratum fuerit, non detur conſilij corrigendi poteſtas. Plut. in Apopht. Lacon. *Aliam rationem ſuppeditat* Sen. 1. de clem. *Propè, inquit, eſt, ut libenter damnet, qui citò.*

Cenſores. *Sed judices deniq; relinquemus, omiſſis cæteris quæſtionibus, quas Phavorinus judici proponit* apud Gell. lib. 14. c. 3. *& ad Cenſores pergemus. Ego,* inquit Polyb. lib. 6. *arbitror uniuſcujusq; Reipub. fundamenta eſſe mores & leges. Iam ſicut ll. judices, ita moribus præpoſitos oportet Cenſores, qui ea corrigant, quæ legibus definiri nequeunt.* Lipſ. lib. 4. c. 11. *Meritò inſectatur* Cicero in Piſon. & de aruſp. reſp. *Clodium, quod cenſuram extinxerit, cùm* Plut. in Cat. mai. *magiſtratum hunc vocet omnium ſacratiſſimum, &* Livius lib. 4. *morum diſciplinæq; Romanæ penes eam regimen ponat &c. Omnes enim benè conſtitutæ Reſpub. Cenſuram magni fecerunt. Carthaginenſium præfectum morum nominat* Prob. in Hannib. *qui vetuit Haſdrubalem cum Hamilcare verſari, quod impudicè ab eo diligi putaretur.*

Athenienſium cenſores Suid. *nominat ζητητὰς, ad id creari ſolitos, ut notarent, qui publicè injurioſi fuiſſent, ſicut* Arpocrat. *interpretatur. Sed præter hos cenſoriam curam demandatam fuiſſe Areopagitis, abundè teſtatur* Iſocr. in Areop. & Socrates in Axioch. *ubi ait, poſtquā in Ephebos aliquis aſſcriptus ſit, omne tempus Sophroniſtis & Areopagi juvenum cenſuræ tribui. Idq; à Solone inſtitutum,* Plut. *docet* in Solon. *Itaq;* Athen. lib. 13. *ex Hyperidis ſententia prodidit, ſi quem in caupona cœnaſſe compe-*

riſſet,

riiſſet, eum prohibuiſſe ſenatum in Areopagum aſcendere, & Quintil. *ſcribit Areopagitas damnaſſe puerum, quod coturnici oculos eruiſſet. Interpretabantur enim ſignum pernitioſæ mentis. Venetos miratur* Bodin. de Meth. hiſt. c.9. *uſq; ad an. 1566. potuiſſe cenſoribus carere, quo tempore treſviros corrigendis moribus crearunt. Interim cenſorium quoddam officium inter cætera tribuit Advocatoribus* Egnat. lib. 2. cap. 4.

Apud Romanos primus cenſuræ autor fuit Servius Tullius, de quo Flor. Epit. 1. *Cenſum omnium primus egit: luſtrum condidit, &* Livius lib. 1. *Cenſum inſtituit, rem ſaluberrimam, tanto futuro imperio. Ipſe verò Servius*, teſte Dionyſ. *quater cenſum egit, quintum P. Valerius, & T. Lucret. Coſſ. Deniq; an. V. 312. novus magiſtratus cenſendis civibus creatus eſt, cuius originem pulcrè ediſſerit* Liv. lib. 4. *cumq; Cenſorem vocatum putat* Varro, *quod ad eius cenſionem, id eſt, arbitrium, cenſeretur populus, &* Feſtus, *quod rem ſuam tanti quisq; æſtimare ſolitus fuerit, quantum cenſor cenſuerit.* Iavolenus *à cenſendo, quaſi conſtituendo, derivat.* l. 111. de V. S. *De his vide* Bud. in ann. ad 11 Liv. lib. 14 Plut. in AEmil. & Cat. Feneſt. c.8. Læt. c. 22. de Rom. mag. Cic. 2. & 3. de ll. pro Cluent. Aſcon. lib. 1. in Ver. Blond. lib. 3. Rom. triumph. Pellit. in com. pro Cecin. Scip. Ammir. lib. 11. diſc. 2. *Primum verò luſtrum, quod Cenſſ. condiderunt, fuit undecimum: poſtea quovis quinquennio novum conditum fuit*, Cic. & Pædian. lib. 1. in Ver. *quod quanquam Clodius abrogare niteretur, Cæſar tamen reſtituit, dum ſe magiſtrum morum dixit*, Plut. in Aug. *& Auguſtus cenſum ter repetivit, donec Veſpaſianus cenſum 75. eumq; ultimum ageret. Nam, quanquam Domitianus perpetuum ſe cenſorem nominabat, luſtrum*

tamen non conatit. Tranq.in Domit.

Primum officium cenſorum.

Duplex autem eſt officium cenſorum. Aſcon. lib.1.in Ver. *Primum conſiſtit in numeri, ætatis, ordinis, conditionis, dignitatum, poſſeſſionum, civium æſtimatione & deſcriptione, cuius utilitates vix verbis exprimere quiſquam poſſit: brevibus complexus eſt* Bodin.lib.6.de Repub. c.1.

Cenſus perſonarum.

& Plato *ait* 12.de ll. *quemq; opes ſuas in cenſum deferre, ad multa utile. Numerum enim civium ſciri oportet, ut ſuam potentiam cognoſcat Reſp. ne gravioribus ſe bellis implicet, quàm ſuſtinere poſſit. Propterea & præcipit Deus:* Num.1.v.2.3.4. *Accipe numerum Iſraëlitarum, ſecundum familias nomina ſua profitentium: omnes maſculi ſexus homines, qui militare poſſunt, & annum 20. attigerunt, vel ſuperarunt, viritim numerentur, &c.* Num.26. *David verò punitur, quod populum in contemtum divini auxilij numeraret, victoriamq; non tam Deo, quàm ſuæ poteſtati arrogaret. Addit aliam rationem* Ioſeph.li.7.c.13. *quod in capita cenſitorum æs certum,* Exod.30. v.12.13. *præſcriptum, non exoluiſſet. Nec tantum ad gerendum bellum, multitudo civium cognoſci debet, ſed & in pace, quò annonæ frumentariæ ratio haberi poſſit, item pomæriorum ampliandorum & deducendarum coloniarum. Propterea Romani, licet in albo armis ferendis idoneos tantum ſcripſerint, ſicut* Livius li.1. *ex* Fabio Pictore *teſtatur, primo luſtro cenſa fuiſſe 80. millia, armis ferendis idonea, omnes tamen homines cenſuerunt, id quod* Halycar. *docet,* lib.2. *dum ſcribit: 7. luſtro, mulierum, puerorum, ſervorum, mercatorum, & ſordidas artes exercentium, triplo plus fuiſſe, quàm turbæ civilis. Qui enim incenſus erat, vendebatur, ut patet* Vlp. de cap. min. *Maxima capitis diminutio eſt, cum civitas ac libertas amittitur, ut cum incenſus aliquis venierit.* De

De ætate quoq; cujusq; Reipub. conſtare debet, non tantum ad ordinandos tutores, ſed quia certis magiſtratibus certa ætas præfinita eſt. l. 8. ff. de Mun.& hon. l.2 de Minor. Gell. lib.4. Cic. in Manil. Sigon. de ant. jur.civ. lib.2. c.2. Gruch. 1. de comit. Rom. Lipſ. com. in 3. An. Tacit. Scip. Am. lib. 11. diſc. 5. & Ovid. in Faſt. *ait: finitaq; certis Legibus eſt ætas, unde petatur honos. Servius igitur inſtituit, ut quotus quisq; naſceretur, toties æra ſingula in arcam, in fano Iunonis Lucinæ collocatam, inferrentur: deinde, cum anno 17. togam primam acciperent, ſingula viciſſim æra in templo Iuventæ offerrentur, & deniq; in fano Veneris Libitinæ, quando quisq; moreretur.* Halycar. lib.4. *M. Antoninus, juſſit apud præfectos ærarij, nomen liberorum, intra 30. diem, ut nati fuerint, edi:* Capit in Anton. *& Franciſcus Rex Gall. anno 1539. edictum promulgavit, ut ſinguli Curiones baptiZatorum & mortuorum in regeſto nomina conſcriberent.* Gotofred. ad l. Ætatem 3. ff. de Cenſ.

Ordinis quoq; & conditionum ſeu ſtatuum diſtinctio quantum prodeſt Reip.? ad differentiam nobilium & plebejorum, civium & peregrinorum vel incolarum, ex cujus neglectu experimur magnas familias obliterari, & novas prodire, de quibus illud Iuven. Sat.8. *uſurpare poſſumus: Majorum primus quisquis fuit ille tuorum, Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo* Livius *autor eſt, 50000. Latinorum deleta fuiſſe per cenſum, quod ſe pro civibus venditaſſent, & Fab. Max. libertos, qui omnes trib. corruperãt, inde revocavit, inq; quatuor urbanas trib. contraxit.* Liv. li.9. in fin. *Pericles quoq; cum cenſum Athenis ageret, quinq; millia exautoravit, & ſub haſta vendidit, quod, cum peregrini eſſent, in civium ordinem ſe ingeſſiſſent.* Plut. in Pericl. Cenſus dignitatis.

Cenſus divitiarum.

Confert deniq; cenſus divitiarum, quem, quomodo inſtitui debeat, deſcribit Vlpian. l.4. ff. de Cenſib. *ad exæquanda tributa pro cuiusq; facultatibus. In hoc enim commendat* Flor. lib.1.c.6. *cenſum Servij, quod, cum patrimoniorum diſcrimina in tabulas retulerit, ſingulis certa imperaverit tributa, cum antea æqualiter omnes conferrent. Vniverſum enim populum in quinq; claſſes diſtinxit, divitiarum differentiis diſtinctas, quibus adjecit ſextam ex proletariis & capite cenſis. Proletarij autem, ſecundum* Iulium Paulum *erant, qui non amplius, quàm mille quingentum æris in cenſum deferebant. Qui verò nullo, aut perquam parvo ære cenſebantur, capite cenſi vocabantur. Extremus autē cenſus capite cenſorū æris fuit CCCLXXV.* Gell. lib.16.c.10. *Hanc infimam claſſem ſcriptores interdum prætereunt, quod in ſuffragijs parum poterat. Nam* Gellius *ex ſententia* Tuberonis *ſcribit* Tullium *quinq; tantum claſſes inſtituiſſe, &* Livius *ait: Tribunos decem creatos, ex ſingulis claſſibus binos, quod* Aſcon. in Cornel. *repetit.*

Alterum officium cenſorū.

Alterum officium, quod Lipſ. 4. polit.c.11 *peculiariter cenſuram vocat, in emendatione morum conſiſtens, Iulius Cæſar, vtpotè maximè neceſſarium, ſolum ferè retinuit, dum ſe Magiſtrum morum vocavit.* Plut. & Suet. in Iul. Cæſ. *Cenſoris enim poteſtas,* ait Dion lib.40. *privatim quoq; in cuiusq; vitam inquirendi, meritosq; infamandi ius habebat, &* dicente Cicero. in Piſon. *quinto quovis anno de moribus iudicabat. Nonnulli,* ut Gell. refert. lib.7. c.22. *exiſtimant, notam cenſoriam pœnam non fuiſſe, ſed muneris remiſſionem ſine ignominia.* Cicero *quoq;* 4. de Repub. *ait: Cenſoris iudicium damnato nihil affert præter ruborem, &* pro Cluent. *oſtendit ſine infamia fuiſſe*

Cato

Cato *tamen* in orat. quam de ſacrif. commiſ. ſcripſit, *Obijcit hanc rem criminoſius, vt magis cum ignominia videri poſſit. Quod vt verum ſit, cum* Livio li. 4. *Mamercum ignominia notatum ſcribat, infamia tamen caruit, cum à cenſoribus notati, ſæpe ipſi cenſores facti fuerint, vt oſtendit* Cic. pro Cluent.

Cum autem in noſtris Rebuſpub. peccata adhuc multa increbeſcant, quæ ll. certis non puniuntur, ignominiam tamen afferunt, omninò ex uſu Reipub. eſt, vt cenſura reducatur. Quanquam enim Eccleſiaſticis perſonis ſtatuta Polon. li. 1. c. 4. a. 8. l. 11. *correctionem verbalem concedunt, inanis tamen eſt, quia caret executione, nec ulli imprimit ignominiæ notam. Vitia verò, quæ Cenſura maximè reſecare debeat, quis omnia referre poſſit? Vnum atq; alterum tetigiſſe ſat ſit, vt ab ijs progreſſus oſtendatur ad cætera. Nullus hodie contemtum religionis punit, quem apud Iudæos Deus capite multari voluit. Turpe ſit, cum audiamus Turcas aliquot plagis excipere, qui à conſuetis precibus abſunt,* Menau. in hiſt. Turc. Sturm. ſerm. 2. de bell. Turcic. *tam impunè ſacra à Chriſtianis negligi, quæ nunquam, niſi cum publico damno. Reip. neglecta ſunt.* Contemtus religionis.

Nec minus in cæteris peccatur, de quibus ll. tacent. Quam anguſta, ait Senec. *innocentia eſt, ad legem bonum eſſe? quantò latius patet officiorum, quàm iuris regula? quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, iuſtitia, fides exigunt, quæ extra tabulas publicas ſunt. Digna mehercule virtus eſt liberalitas, quæ maximè in Repub. floreat, quamq; Diocletianus primam dotem principum vocabat:* Pomp. Læt. in Dioc. *non tantum quod ad verum uſum divitias accommodet, ſed plurima excitet ingenia, quæ adminiculis deſtituta, aliâs periJſſent: Verùm poſtquam*

cenſura eviluit, nec eſt, qui hanc civibus imperet. Cum cenſura adhuc vigeret, ſcribit Saluſt. in Catil. *Romanos dandis magis, quàm accipiendis beneficiis amicitias paraſſe: poſtquam extingui cepit, bona pars hominum decepta cupidine falſo, Nilſatis eſt, inquit, quia tanti, quantum habeas, ſis: Neſcia, quò valeat nummus, quem præbeat uſum?* Horat. 1. Sat. 1.

Perfidia. *Quidnam eſt gravius vitium, quàm perfidia? Perjurÿ pœna divina exitium, humana dedecus,* ait Cic. 2. de ll. & Heſiod. ὃς δέ κε μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπίορκον, ὀμόσσας, ψεύσεται, ἐν δὲ δίκην βλάψας, νήκεστον ἀάσθη, τοῦ δέ τ' ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται, ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ, μετόπισθεν ἀμείνων. *Id eſt, vt* Claudiani *verſibus utar, In prolem dilata ruunt perjuria patris, Et pœnam merito filius ore legit. Et quas fallacis collegit lingua parentis, Has eadem nati lingua refundit opes. Nunc tamen vt ſunt mores, verè licet de noſtra ætate verſ.* Mænandri *uſurpare:* Συγκέχυκε νῦν τὴν πίστιν ὁ καθ' ὑμᾶς βίος, *aut cum* Comico *exclamare: O Iuppiter, ubi nunc eſt fides? Sunt enim, qui in fortunæ jam caſibus omnia ponunt, Et nullo credunt mundum rectore moveri, Natura voluente vices, & lucis & anni; Atq; ideo intrepidi quæcunq; altaria tangunt. Eſt alius, metuens, ne crimen pœna ſequatur. Hic putat eſſe Deos, & peierat, atq; ita ſecum, Decernat, quodcunq; volet de corpore noſtro Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro, Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos, Et phtiſis & vomicæ putres & dimidium crus Sunt tanti? pauper locupletem optare podagram Ne dubitet. His verbis depingit* Iuven, Sat. 13. *noſtros mercatores, qui tamen illud* Iſidori 2. ſent. *notare debebant: Quacunq; arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc*

accipit,

accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. c. quacunq; 22. q. 5.

Prolixus eſſem, ſi omnia, cenſuræ corrigenda, vitia Fœnus.
congregarem. Fœnerari, ait Cato, *quid eſt, niſi hominem occidere,* Cicero 2. de off. in fin. *idemq́;* in pr. li. de re ruſt. ad fil. *Majores noſtri, ita in ll poſiverunt: furem dupli condemnari, fœneratorum quadrupli. Quantò peiorem civem æſtimarint fœneratorem, quàm furem, hinc licet æſtimare. Hodie ſummi quiq; viri hac fraude diteſcunt, quos niſi cenſores, nemo notat, poſtquam lex 12. tot plebiſcita, tot prætorum edicta, contra fœnebre malum evanuêre.* Tacit. 6. Annal. *Prætereo avaritiam, moroſitatem, ſcurrilitatem, neglectum amicitiæ, incontinentiam &c. quæ Cenſoribus emendanda ſunt, non minima adhuc pars Cenſuræ eſt, in civium vitam inquirere, quod fuiſſe Areopagi officium* Iſocr. *docet* in Areop. *Solon enim inſtituit, ut ab Areopagitis inquireretur, quid quiſq; Athenienſium ageret, & quo ſe quæſtu ſuſtentaret:* Plut. in Solo. *ipſeq́; Cæſar, cum eſſet Magiſter morum, privatas ædes ambijt, quo modo quiſq; viveret, percontans.* Plut in Cæſ. Dion. 43. *Cenſorum enim eſſe, ait* Cicero 3. de ll. *populi ævitates, ſoboles, familiás, pecuniasq́; cenſere cælibes eſſe prohibere.*

Primùm enim, quia rei familiaris fundamentum eſt conjugium, huic à Cenſſ. proſpiciendum eſt, ut rectè inſti- Cenſoris officium circa conjugia.
tuatur. Solon enim juvenem in ſinu vetulæ pingueſcentem notari voluit, Plut. in Sol. *quod ea conjugia Reip. inutilia putaret, quæ & Iuliæ rogationes,* Tacit. 3. Ann. & *l. Papia Poppæa improbabat,* Lactant. lib. Vlpian. Inſt. t. 16. *unà cum multis alijs ad conjugia pertinentibus,* Lipſ. com. in 3. Annal. Tacit. *Romani cenſores ita rogabant maritos:*

Et tu

Et tu ex animi tui ſententia uxorem habes? quam interrogationem cum eluderet cavillator: Habeo, ſed non ex animi tui ſententia, propterea in ærarios relatus eſt. Gell. lib. 4.c.20. *Tanta enim erat Cenſ. reverentia, ut & condemnarint aliquem, quod in jure ſtans oſcitaſſet*, Scip. in orat. de Cenſ. *& Pyrrhander accriter obiurgavit Athenienſes, quod præſente Areopago riſiſſent*, ut memorat AEſchines. *Camillus & Poſthumus multam dixerunt ijs, qui cœlibes ad ſenectutem perveniſſent, quod in naturam deliquiſſent.* Valer.lib.II.c.9. *Natura enim ſicut naſcendi, ita & gignendi legem ſcribit mortalibus.* Patrit. lib.3. de Rep. t.7. *Carbilium Rugam coëgerunt divortium facere, quod uxorem haberet ſterilem.* Gell.lib.4.c.3. *Imò & in mores domeſticos inquiſiverunt. Cato enim Manilium, conſulatus candidatum, à ſenatu removit, quod uxorem impudicius exoſculatus fuiſſet, ſcilicet inſpectante filia.* Plut.in Cato. Mai.

Circa inſtitutionem.

Proxima cura deflectitur ad inſtitutionem puerorum, non tantum, ut unusquisq; quod ex ſe natum eſt, educare cogatur, ſed ut ita educet, prout Reipub. conducit. Multos enim divites invenias, qui præ avaritia nolunt liberos ad liberalia ſtudia educare, ne ſumtus fortè facere cogantur, quos cum pauperes ſuis impendere non poſſint, illi, à cenſoribus compellendi eſſent, ut ad ſumtuoſa ſtudia, quibus Reſpub. carere nequit, liberos potiſſimùm inſtituendos darent. Tum verò imprimis luxurioſum illud & delicatum inſtituendi genus, cenſuram exigit. Nam, ut nunc ſunt mores, Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo: & fingitur artibus Iam nunc, & inceſtos amores De tenero meditatur ungui. Horat.lib.3.Od 6. *Nec verò virgines tantum, ſed in quo Reipub. ſe maximè miſertum dicit Scipio African.*

African. apud Macrob. 3. Sat. c.14. *virgines ſimul & pueri ingenui eunt in ludum ſaltatorium, quaſi* ut ait Arnob. 2. cont. gent. *membra ad id accepiſſent, vt incompoſitos diſſolverentur in motus, ſaltarent & cantarent, orbes ſaltatorios verterent &c. Non his juventus prædita moribus, Infecit æquor ſanguine Punico: Pyrrhumq́ & ingentem cecidit Antiochum, Annibalemq́ dirum.* Horat. d. lo. *Reijcit enim has levitates* Sen. in prol. Decl. *quod effœminent corpora, eaq́ de cauſa* Plato 3. de ll. *Ionicam harmoniam à Rep. removet.*

Cicero *ſanè* 1. de off. *inter illiberales reponit ſaltatores, &* pro Mur. *ait: Saltatorem appellat L. Murenam Cato: maledictum eſt: ex quo fundamento ſaltandi peritiam exprobrat Gabinio,* in orat. cont. Piſon. *quam & M. Cælio & Licinio Craſſo vitio datam,* Macrob. *teſtatur* lib.3. c.14. *Domitianus quæſtorium virum, quod geſticulandi, ſaltandiq́ ſtudio teneretur, movit Senatu,* Suet. in Domit. c.8. *& inter cætera Iohanni Camatero obijcit,* Nicet. 4. Ann. Man. *quod Cordacem ſaltaverit, & pedes celeriter huc atq́ illuc agitarit. Nota eſt repulſa* Hippoclidæ, *qui deſaltavit matrimonium,* Herod. lib.6. *& ſententia* Homer. Ili. 24. *qui* ψεῦστά τ' ὀρχηστάτε *vocat* ἐλέγχεα. *Sed hæc intelligi volumus de luxurioſa & hiſtrionica ſaltatione, quæ lauream ſaltando aucupatur. Quid enim ait* Saluſt. *Pſallere, ſaltare elegantius, quàm neceſſe eſt probæ? Adeo & ipſe Semproniam reprehendit, non quod ſaltare, ſed quod optimè ſcierit.* Macrob. 3. Sat. c.14. *Quæ verò honeſtam voluptatem, aut corporis exercitium ſibi propoſitum habet, prorſus contemni non debet, dummodo non ſit nimia. Hac de cauſa Lacedæmonij choreas celebrarunt,* Plut. in Lyc. Euſeb. lib. 13. præp. Evan. c. 12. &

Socrates ipſe ſaltavit, Lucian. in lib. περὶ ὀρχῆς. Plut. de tuend. val. *quem tamen Alphonſus rex Arrag. riſit, ſaltatorem ab inſano nihil differre dicens, niſi, quod hic, dum ſaltat, ille, dum vivit, inſanus eſt.* Ant. Panor. in facet. Alph.

Circa res familiares.

Quid dicam de neglectu rei familiaris? P. Scipio Naſica & M Pompilius cum equum deprehenderent nimis ſtrigoſum & malè habitum, ſed equitem ejus uberrimum & habitiſſimum: Et cur, inquiunt, ita eſt, ut tu ſis, quàm equus curatior? Quoniam, inquit, ego me curo, equum Statius meus ſervus. Viſum eſt parum irreverens reſponſum, relatusq́ in ærarium, ut mos eſt. Gell. lib. 4. c. ult. *Quid de luxu? quem* Ammian. lib. 28. *rectè ex neglecta cenſura accreviſſe ſuſpicatur. Quod enim M. Cato de l. Oppiæ interitu ſuſpicabatur: Simul lex modum ſumtibus uxoris tuæ facere deſierit, tu nunquam facies, quodq́ eveniſſe* Valer. *ſcribit* lib. 9. c. 1. & Tacit. 3. Annal. *ut poſtquam M. Fundanus & L. Valerius legem Opp. abrogarant, in immenſum luxuria veſtitus diffluerét, idem de interitu Cenſuræ meritò uſurpare poſſumus.*

Circa luxum in veſtitu.

Fœminarum.

Huic tamen luxuriæ ſedulò meta ponenda eſſet, non tantum, quod luxuria & avaritia ſint duæ peſtes omnia magna imperia evertentes, ut ait Cato in orat. pro l. Op. *ſed, quod æmulatio mulierum exedat familiam.* Plaut. in Aulul. *Miſerum enim virum, & qui exoratus, & qui non exoratus erit, cum, quod ipſe non dederit, datum ab alio videbit. Interim verus ornatus mulierum negligitur, quem* Clem. Alex. 2. lib. pædag. c. 10. 11. 12. *in pietate & pudore collocat, Phocionis verò uxor in reb. geſtis ſui viri conſiſtere dicebat*, Plut. de Muſi. *& Cornelia Æmilij Pauli filia in liberis benè inſtitutis.* Patr. lib. 4. de Rep. t. 5. *Quæ enim ſe ſumtuoſius comit, & per publicum notabiliter incedit, oculos in ſe*

in ſe juventutis illicit, ſuspiria adoleſcentū poſt ſe trahit, concupiſcendi libidinem nutrit, peccandi fomitem ſuccendit, vt etſi ipſa nō pereat, alios tamen perdat. Hæc & plura alia vide ap. Cypr. in li de hab. virg. *eisq́ ſimilia* ap. Tertul. de orn. mul. & cult. fœm. Ambro. li. 1. de Virg. Chryſoſt. in Homil. Clem. d. lc. Xenoph. in Oecon. Liv. li. 34. Plut. de præc. connub. *& alios quos comportavit* Tiraq. l. 3. cōnub.

Quod ſi mulierum luxum ita inſectantur viri boni, penſate ergo, ait Greg. *quæ culpa ſit, hoc viros appetere, quo curavit paſtor Eccleſiæ fœminas prohibere. Mulierum enim levitati* Arrian. Epict li. 3. c. 1. *pigmenta nonnulla concedit, ſed virorū gravitate omninò indigna putat, quia Fine coli modico forma virilis amat, ideoq́ viris dixit* in Enchirid. *Quicquid ad oſtentationem, aut delitias attinet, repudianto, quod* Simp. in com. *ſic explicat, vt uſq; ad munditiē corpus colere liceat, non ultra. Nam & mundum perſonæq́ conditioni accommodum amictum rationibus perſuadet.* Epict li. 4 c. 11. Guac. de civ. conu. *& alij, ſed luxurioſum improbat, quod luxurioſus inde æſtimetur animus. Sic enim judicabat rex Æthiop. cum variegata amicula à Cambyſe acciperet: Doloſi inquit hominis, doloſa veſtimenta:* Herod. li. 3. & Liv. li. 8. *refert Minutiam veſtalem primò in ſuſpicionem incurriſſe propter mundiorem juſto cultum. Iudas quoq;* Gen. 38. *ex ornatu ſuſpicatus eſt Thamar eſſe meretricem, nec Zaleucus ſuperbè ullam mulierem, præter meretricem, veſtiri voluit.* Diod. li. 12. bibl. Virorum.

Altera pars luxus in cibo & potu conſiſtit, de quo Sen. Ep. 86. *conqueritur, quantò magis idem facturus, ſi nūc reviviſceret, quando eò latius ſe diffundit luxuria, quò longius à cenſura abeſt. Profert* Horat. li. 2. Sat. 2. *cœnā ſumtuoſam, &* Macrob. 3. Sat. c. 13. *pontificale convivium,* In cibo & potu.

quod ſumtuoſiſſimum putat: ſed nihil illa omnia ad hæc noſtra, quibus etiam Heliogabalum ſuperare nitimur, apud Lampr. in Heliog. *aut Metellum,* apud Saluſt. *aut Lucullum,* apud Plut. in Luc. *Sanè* Plato 3. de ll. *Homerum ſcribit tantum aſſas carnes appoſuiſſe Græcis ſine condimentis, &* Comicus *ait: antiquorum verba allium & cæpe oluiſſe. Sed nunc ubi Piſones, ubi Fabij, frugalitate olim celebrati, ſicut ſapientia Lælij, pietate Metelli?* Plin. in Panæg. *ubi leges ſumtuariæ, Orchia, Fannia, quam* Lucil. *Centuſſim vocat, quod vetaret ultra 100. aſſ. in convivio inſumere, ubi Didia, Licinia, Cornelia, Antonia?* Macrob. 3. Sat. c. 18. *Ubi Oenoptæ Athenienſium? qui, quid quisq; biberet, in convivio obſervabant,* Athen. lib. 10. c. 7. *& contra ebrios actionem inſtituebant.* Poll. lib. 8. *ubi lex Minois, ne compotationibus uſq; ad ebrietatem indulgerent?* Plato in Min. *ubi edictum Maximiliani, ut ebrij cum ignominia ab Imp. officiis excluderentur? ubi Mahometis, qui* in Alcor. *vini uſum ferè totum prohibuit? Vbi Baſilidis Muſcov. qui, quamvis à Tyranno non longè abſi erit, in eo tamen multos bonos principes ſuperavit, quod, qui publicè ebrij conſpicerentur, in carceres impingeret, non depromendos inde, niſi triduo ante Paſcha.* Oderbor. lib. 1. de vit. Baſilid. *Hodie invertunt Alifanis vinaria tota Vibidius, Balatroq;, ſecutis omnibus imis: imò etiam ſummis:* Horat. 2. lib. Sat. 8. *De plerisq; enim dicere poſſumus, quod Aurelianus de Bonoſo: Eum non ut vivat natum eſſe, ſed ut bibat:* Vopiſc. in Bonoſ. Iohan. Boë. lib. 3. de mor. gen. c. 2. *nec quiſquam cogitat, quod* Baſil. in orat. de Ebrie. *ebrietatem vocet ἀκρόπολιν omnium malorum, qua de cauſa ebrios delinquentes bis puniebat Pittacus, quod bis peccarent.* Ariſt. 3. Eth. c. 5. 2. pol. c. ult. Laërt. in vit. Pitt.

CA-

Caput XVII.

De Curatoribus.

NVnc ad eos properamus, qui extra ordinem officia gerunt, quos Pomp. l. 2. §. 33. de orig. jur. Vlpian. l. 2. §. 46. de admin. rer. ad civ. pert. Papin. l. 3. §. 1. Eod. *vocat Curatores*: Cic. 3. de ll. *antiquiori dialecto, coëratores*, ut explicat Turneb. in com. *Hi ſunt, quibus officia committuntur extra ordinem ſine lege aut conſuetudine, quod indicat* Livius, *dum de Scipione ſcribit, quod licet omnes centuriæ ipſi Hiſpaniam decreviſſent, vix tamen auſus fuerit triumphum petere, quod ad eum diem nemo triumphaſſet, qui ſine magiſtratu rem geſſiſſet. Idem de Pompeio refert* Plutarch. *quod obtinuerit triumphum, utut Sylla obſtiterit, clamans, non eſſe triumphum concedendum, niſi ei, qui magiſtratum geſſiſſet. Nec dubium eſt, cum Q. Publio primùm imperium continuaretur, curationis ſpeciem magis, quàm magiſtratus fuiſſe. Duo enim ſingularia* ait Livius lib. 8. *ei primùm obtigiſſe, prorogationem imperij non ante in ullo factam, & acto honore triumphum. Unde & miratur de triumpho, qui nemini conferebatur, qui extra ordinem res geſſiſſet.* Curatores.

Hinc AEſchinis & Demoſth. *diſputationem decidere poſſumus, quorum unus petebat coronam pro refectis muris: alter negare & obſtare, quod corona, niſi magiſtratui, non detur. Nam ſi refectio murorum ex lege ordinarium munus fuiſſet, jure petiiſſet* Demoſth. *ſin minus, nec petere debuiſſet. Nihil enim refert, quin idem munus uni tanquam magiſtratui, alteri, tanquam curatori committi queat, cum idem officium ſæpe ex curatione abeat in ma-* Controverſiæ deciſio.

 giſtra-

giſtratum, ſi conſuetudine ceperit continuari. Ita tribuni militum conſulari poteſtate ab initio curatores erant, mox ordinarij facti magiſtratus: Ita quæſtiones capitalium criminum decernebantur extra ordinem, ſed poſtquam Carbone forum tenente, L. Piſo trib. pl. legem tulerat de repetundis pecunijs, ita vt quæſtiones perpetuæ fierent, & prætoribus ſorte conferrentur, Cic. in Brut. *curatio abijt in magiſtratum. Ita Signori alla ſanità apud Venet. introducebantur extra ordinem. mox cum utilitas eorum conſpiceretur, perpetuos haberi placuit.* Contar. de Rep. Venet. Sanſov. de Rebuſp. li. 20.

Diviſio curatorum. *Quia verò tot poſſunt curatorum eſſe differentiæ, quot magiſtratuum, imò etiam plures, de ſingulis agere non poſſumus. Nonnulli enim arbitrariam & plenam accipiunt poteſtatem, vt Dictatores, Interreges & Proreges quidam, inq́ privatis cauſis arbitri, quos hoc loco præteribimus, & eos tantum conſiderabimus, quibus dantur mandata ſummæ poteſtatis extra ordinem exequenda. Horum prima lex eſt: Nihil ultra mandatum agere.* Lex prima curatorum. *Quid turpius* ait Cic. 3. de ll. *quàm legatus ſine mandato. Magiſtratus, quia poteſtatem propriam habet, & ex lege dependet, quæ mitigationem recipit, imò quia habet poteſtatem ſupplendi ll.* l. 7. de juſt. & jur. *ex ſua ſententia addere aliquid poteſt: non ita curator, cui voluntas principis expreſſa pro lege eſt, & qui nihil propria vi agit, ſed ejus, cujus mandata exequitur.*

Cominæ: *quidem* 1. bell. Gall. *legatis nonnullis ait vacuas dari chartas, vt ijs inſcribere poſſint, quicquid ratione circumſtantiarum profuturum videtur, &* AEſchin. *ſuæ legationis clauſulam ponit: Vt legati, pro ſua prudentia, qua*

tia, quæ è Rep. eſſe judicabunt, exequantur. Sed Bodin. 3. de Rep. c. 2. *interpretatur hanc licentiam, de circumſtantijs, quæ quotidiè incidere ſolent, non de eſſentia mandati, quod legatus non magis mutare poteſt, quàm judex legem, ſi plana ſit.* l. minime 23. ff. de ll. *Proinde* Cæſar. 2. bell. Gall. *laudat Silanum legatum, quod detrectaſſet pugnam, licet certò victurus, quia, inquit, nihil debuit contra juſſum Imperatoris tentare. Lex enim militaris eſt:* l. 3. §. 15. ff. de re milit. *In bello, qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non ſervavit, capite punitur, etiamſi res benè geſſerit. Atq; hac l. capitis poſtulatus fuit Fabius Magiſter Equitum Papyrij Dictat.* Liv. lib. 8. *& Manlius à patre ſecuri percuſſus.* Flor. Ep. 8. *Minutio verò id impunè licuit, quod tum leges ſilerent.* Plut. in Fab. *quod de antiquis Germanis quoq; refert* Iohan. Boëm. lib. 3. de morib. gent. c. 12. *Rectè Meſſala Valerius* apud Tacit. lib. 1. Annal. *ait: ſe in ijs, quæ ad Rempub. pertinent, non uſurum conſilio, niſi ſuo: ubi notat* Annibal. Scot. Placent. *Prudentis viri eſſe, non alieno, ſed proprio niti conſilio.*

Illud porrò in curatoribus peculiare eſt, ut mutata voluntate mandantis, ipſorum quoque officium deſinat. Lex alia curatorum.
Iudicium, inquit Paul. l. 58. ff. de judic. & ubi quiſque *ſolvitur, vetante eo, qui judicare juſſit. Si enim Fulvius, qui magiſtratus erat, depoſuit literatas ſenatus in ſinum, quod ſciret ſe ijs inhiberi poſſe,* Livius lib. 26. *quantò magis idem in curatore valebit, qui à nuda voluntate mandantis dependet. Propterea Scipio, cum timeret, ne avocaretur ex Hiſpania cum Hiſpanis, etiam non devictis, pactum inijt, priuſquam*

ſucceſſor

ſucceſſor mitteretur. Quàm diu enim neſcit ſucceſſorem veniſſe, tam diu rata ſunt, quæ agit curator, l. 17. de off. præſ. *quia neſcit mutatam voluntatem mandantis. Hinc etiam morte mandantis ſolvitur curatio: &* l. 26. ff. Mandat. vel cont. *inter cauſas omittendi mandati, etiam mors mandatoris eſt. Nam mandatum ſolvitur morte,* l. 58. *§.* 1. ff. eod.

Legati. *Maximè verò inter curatores prominent legati, quos* Quicciard. lib. 5. hiſtor. *vocat oculos & aures regnorum, de quibus præ cæteris agemus diligentius. Quid enim cum exteris Rebuſp. aut principibus tractaverimus ſine legatis, qui ad alias Reſp. deſtinantur, vel ad componendam pacem, vel jungenda fœdera, contrahendas amicitias & conjugia, vel ad indicendum bellum, vel ad aliam rem quampiam conficiendam. Exigit autem officium, ut ſecuritas legatis præſtetur, quippe nihil aliàs cum hoſtibus effecturis.*

Sancti legati. *Unde jus gentium invaluit, contra quod peccare putat* Pompon. l. ult. ff. de legatio. *eos, qui legatos pulſaverint, quia ſancti habentur. Et ideo, ait, ſi cum legati apud nos eſſent gentis alicujus, bellum cum iis indictum ſit, reſponſum eſt, liberos eos manere. Id enim gentium juri convenit.* Vlpian. *quoq;* l. 7. ff. ad l. Iul. de vi publ. *lege Julia teneri putat, ſi quis legatos, oratores, comitesvè pulſaverit, aut injuriam fecerit.*

Sancta enim ſunt corpora legatorum ſecundum Varron. 3. de ling. Lat. *& ſanctum nomen eorum apud omnes nationes ſecundum* Cæſar 3. bell. Gall. *Sanctum autem, ſi* Martiano *credimus.* l. Sanctum eſt 8. ff. de rer. diviſ. *dicitur à ſagminibus, id eſt, herbis, quas legati populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret, ſicut legati Græcorum ferebant κηρύκεια,* Scholiaſ. Thucyd. lib. 1. Suid. & Polyb.

Polyb. lib.3. *quanquam quadam ICtorum interpretatione* Livius lib.3. *eum potius ſacrum vocat, qui violat, quia is deditur.* Vide Budæ. in prior. annot. II. Alex. ab Alex. lib.5 c.3. *Eſtq; jus illud omnium gentium uſu receptum, imprimis Romanorum, qui non tantum legatos Tarquinij, etiam proditionis convictos, dimiſerunt*, Livius lib.2. *ſed & juvenes, qui Apollinatium legatos temerè pulſaſſent, dediderunt Apollinatibus*, Flor. Ep.15. *quod obſervatum quoq; fuit in L. Minutio Myrtilo & L. Manlio. Eos enim M. Claudius Pr. Vrbanus legatis Carthag. tradidit, quod eos violaſſe convincebantur.* Liv. lib.38.

Nec facilè invenias alicubi impune violatos fuiſſe legatos. Cum Athenienſes & Lacedæm. Xerxis legatos in puteum projeciſſent, miſerunt Lacedæm. duos ſuorum civium ad expiandum facinus, Herod lib.7. *quos tamen Xerxes lædere noluit, ne ipſe faceret, quod alijs exprobraret. Athenienſes verò, cum de expiatione parum ſolliciti eſſent urbe exuti ſunt.* Herod. lib.8. *Cicero* pro l. Manil. *Corinthum refert à Romanis everſam, quod legatos Rom. durius Corinthij appellaſſent, eoq; argumento contendit Pompeium mittendum contra Mithrid. qui & ipſe Rom. legatos violarat. Senones Bojos deleverunt ijdem Romani, quod M. Curij legatum ad redimendos captivos miſſum, interfecerant.* Polyb.2. *Statim ſub initium naſcentis Reipub. Rom. Tatius jure creditur occiſus. Lavinij, quod Laurentium legatos paſſus eſſet pulſari.* Livius lib.1. *Dionyſius Syrac. à civibus ejectus fuit, quorum primarios, nomine legatorum evocatos, in carcerem conjecerat.* Iuſt. lib.21. *Ruſſi devicti ſunt à Tartaris, quod eorum legatos interemiſſent* Crom. lib.7. *Conſtantinopolitanis vnà cum Francis bellum intulerunt Veneti, quod eorum oratorem*

 Henri-

Henricum Dandalum Emanuel Imperat. malè excepiſſet. Volat 4. Gæog.

Charta abuterer, ſi in re nota plura congregarem exempla. Sp. Poſthumij judicium tantum addam, qui, ſtatim acdeditus erat Samnitibus, legatum Rom. pulſavit, quod putaret, ſe, qui iam ex ordine Samnitum eſſet, eo ſcelere Samnitibus infortunium attracturum; Liu.l1.6 *quanquam dubium erat, cum Poſthumius non reciperetur à Samnitibus, utrum civis Rom. eſſe deſiiſſet* l.ſi quis 17. de legatio. *Idq́ quæſitum eſt in Hoſtilio Mancino, quem Numantini ſibi deditum non acceperunt, de quo tamen lex poſtea lata eſt, vt eſſet civis Roma. & præturam quoq́ geſſiſſe dicitur. Vtut ſit, Poſthumij judicium manet, cum quo ſentit & A. Cornelius Coſſus, qui in Tolumnium his verbis impetum facit: Hiccine eſt ruptor fœderis humani, violatorq́ gentium juris? Iam ego hanc mactatam victimam (ſi modò ſancti quicquam in terris Dij eſſe volunt) legatorum manibus dabo.* Liv. lib. 4.

Oportet autem legatos modeſtè ſeſe gerere in alienis terris, imprimis, ſi petitum quippiam veniant. Iure enim legatos Perſicos interfecit Alexand. Macedo, quod filias Amyntæ ad concubitum flagitarent, Herod. lib. 5. *Et Stephanus Walach. 100. Tartaros præcop. ad repetendum regis filium miſſos occidit, quod ſoli æquationem Walachiæ minitarentur.* Bodin. 5. de Rep. c. ult. *Scribit quoq́* Plin. *immodeſtiâ legatorum Roman. Gallos evocatos fuiſſe ad occupandam Romam: & Antonius Auguſti legatum verberibus caſtigavit, quod cum Cleopatra liberius confabulatus eſſet. Eſt quidem legatis autoritas ſuorum principum defendenda, ſed ſine arrogantia & immodeſtia. Nam Philippus Iunior Maced, à legato Rom. imperioſius, quàm pro rege com-*

ge compellatus, increpando, Ætas, inquit, & forma, & Romanorum nomen te ferociorem fecit.

Quis enim Democharis, qui Parrheſiaſtes dictus fuit, ruſticitatem probaret, qui ad Philip. ab Athen. miſſus, cum rex quæreret, quid poſſet gratum Athenienſibus facere? ſi, ait, te ſuſpenderis. Sen.3. de Ira. c.23. *Quis Popilij Rom. audaciam, qui regem Syriæ Antiochum circulo circumſcripſit, probibens inde pedem efferre, priuſquam reſponderit?* Iuſtin.lib.43. *aut C. Marij, qui Mithridatem ſic allocutus eſt: Populi Roma. imperiis obtemperandum, aut potentiorem eſſe oportere.* Plut in Mar. *Tucca certè regina Illyr. ſubornavit percuſſorem legato Rom. qui dixerat, Romanos daturos operam, vt ipſa cogeretur ταχέως τὰ βασιλικὰ νόμιμα διορθώσασθαι. Ipſa enim regias leges allegaverat.* Polyb.lib.2. *Et Nicolai Cunovij Archiep. Gneſn. à Iagellone ad Magiſt. Crucif. Vlricum Iuningum miſſi, inconſiderata temeritas maximi belli cauſa fuit. His enim verbis legationem peregit: Deſinas nos bello terrere: Si tu arma contra Lituanos ceperis: viciſſim arma noſtra tuæ domi habebis.* Crom.lib.16.

Procirca ſi duriora fuerint legatis mandata injuncta, prudenti temperamento mitiganda ſunt. Nihil quidem de eſſentia mandati demutare poſſunt, ſicut Legati Rom. Tarentum miſſi ad res repetendas ſuo exemplo oſtenderunt, qui, quamvis multas injurias accepiſſent, unus etiam urina reſperſus eſſet, tamen in theatrum producti legationem, quibus acceperant, verbis peregerunt: de his, quæ paſſi erant, quaſi non ſunt, ne quid ultra ac mandatum eſſet, loquerentur. Valer. lib.2.c.2. Zonar.Vol.1. *& Sempronius Aſellio, cum in conſulatu obtineret Aſiam provinciam, & circumſedere oppugnareq́ Leucas oppidum pararet,*

parararet, opusq́ eſſet firma ac procera trabe, qua arietem faceret, quo muros ejus oppidi quateret: ſcripſit ad Magiſtrũ ἀρχιτέκτωνα *molis Athenienſium ſociorum, amicorumq́ Pop. Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidiſſet, uter major eſſet, eum mittendum curaret. Tum magiſter* ἀρχιτέκτων, *comperto, quamobrem malum deſideraret, non uti juſſus erat, majorem, ſed quem eſſe magis idoneum aptioremq́ arieti faciendo, facilioremq́ portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari juſſit, & cum interrogaſſet, cur non quem juſſerat miſiſſet, cauſis, rationibusq́, quas dictitabat, ſpretis, veſtimenta detrahi imperavit, virgisq́ multum cecidit: corrumpi atq́ diſſolvi officium omne imperantis ratus, ſi quis ad id, quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondeat.* Vide Gell. lib. 1. c. 13. *ubi hanc quaſt. diſputat.*

Opiſſo quoq́ legatus Apoſt. cum Præmislum, oram Vratislavienſem ſe inſpectante occupantem, propterea à ſacris arcuiſſet, interdictum revocavit, ne ad Pontificem perveniret, quod ultra mandatum egiſſet. Crom. lib. 9. *Sed meliori tamen cum gratia, quod duriuſculum eſt, corrigere licet, qua in re Dionem laudat* AEmil. Prob. in Dion. *quod, cum Dionyſius omnes illuſtriores per eum expediret legationes, ipſe eas diligenter obeundo, fideliter adminiſtrando, crudeliſſimum nomen Tyranni ſua humanitate texerit. Idq́ vel ſui cauſa legatis faciendum eſt, ne cum Auguſti legato vapulent, aut gravius quippiam experiantur. Nam Baſilius Muſc. cuidam legato pilcum capiti clavo affixit, quod ruſticè caput texiſſet.*

CA-

CAPVT XVIII.

De Legibus.

POſthac agendum eſt de ll. quas Lycophron vocabat pactionem, 3.polit.c.6. Demoſth. κοινὴν συνθήκην πόλεως, id eſt, ut Papin. vertit 1.de ll. communem ſponſionem Reip. Nam per has aperit ſuam voluntatem majeſtas ſubditis, eoſdemq́ retinet in officio: & eædem ſunt norma, quam magiſtratus exequitur. Seneca enim differentiam poſiturus inter l. & virtutem, Lex, ait, eſt virtus armata. Qui enim dicente Machiav. li.1. diſc.c.3 ſponte ſua rectè agũt, ijs lege opus non eſt, ſed ubi deſinunt ſponte officium facere hic ll. opus eſt. ut cogantur, & Iohan.22. propterea ait ſe ſancire, ut quos virtutis amor à vitio non abſterret, eos ſeveritate diſciplinæ cogat. c. Vt quos ext. Com. de off. Iud. Hinc in ſtat. Pol. li.1. c.1. a.3. Lex dicitur inſtituta ad compeſcendum improbos, & ut juſti tuti ſint. De Legibus.

Antiquitus vivebant ſine ll. cujus argumentum, quod apud antiquos Poëtas, Orph. Muſ. Homer. Vocabulum νόμος non reperiatur. Nihil enim illicò, ut natum perfectum fuit, Cicero de clar. orat. ſicut de ll. Minois dicebat Ariſtot.2. Polit. c.8. Illamq́ vivendi rationem juvenes patritij Romani optimam putant, apud Liv.lib.2. quod à rege impetrari poſſit, ubi jus, ubi injuria opus ſit. Illic ajunt gratiæ locum eſſe, eſſe beneficio, & iraſci & ignoſcere poſſe regem, inter amicum & inimicum diſcrimen noſſe: Leges rem ſurdam eſſe & inexorabilem, ſalubriorem, melioremq́ inopi, quàm potenti, nihil laxamenti, nec veniæ habere, ſi modum exceſſeris, periculoſum eſſe, in tot humanis erroribus ſola innocentia vivere. Quæ poſterior ratio, Thomam Vtrum ll. opus

nam *quoq;* Mor. *movit* in ſua Vtop. *vt pœnas non ex ll. ſed arbitrio judicis infligi voluerit, quia ll feruntur tantum de univerſalibus*, l.8. de ll. & Cujac.lib.8.c.15. obſ. *negat ll. in ſingulos ferri poſſe, cujus contrarium tenet* Quint. decl.154. *Sed ll. univerſales in ſingularibus, inſtabili circumſtantiarum viciſſitudini obnoxijs plerũq; iniquæ ſunt, Nulla enim una lex omnibus commoda eſſe poteſt*, in Stat. Polo. lib.1.c.2.a.5. l.3. *quod totidem verò verbis* Cato *docet* in orat.pro l. Opp. Liv.lib.34.& Scip.Ammi. *explicat.* li. 14. diſc. ult.

Sanè, ſi Morus *prudentiſſimos ſemper magiſtratus habere poſſet, ex parte ejus ſententiæ accederemus, & illud quoq;* Bartol. in l.præſenti C. de his qui ad Eccle. per illam l. Anton. Corſet. in tract. de exc. reg. q.67. Iohan. de ter. rub. contra rebel. ſui reg. a.3. tertij tract. in gl.incip. Bonus rex. *crederemus, Melius eſſe à bono rege, quàm bona lege regi. Sed facilius invenitur unus prudens, ad ferendas ll perpetuas, quàm multi ad juſtè pronunciandum. Imò varius multorum judiciis conturbaretur jus, dum aliud alij juſtum videtur. Detrimentoſum autem eſt, non omnes ſubditos uti eodem jure*, ut in pr. Stat.Polon. dicitur. *Qua de cauſa Cornelius trib. pl. cum videret multitudine edictorum prætoriorum, jus incertum fieri, l. tulit, vt prætores ex edictis ſuis cogerentur judicare, quæ res, ait* Aſcon. in Cornel. *gratiam ambitioſis prætoribus, qui variè jus dicere ſolebant, ſuſtulit, effecitq́; ne ab ijs, quæ ſemel propoſita eſſent, recedere poſſent.* Dion. lib.36. *Hinc* Plat. in Crit. *vicinam interitui ait Rempub. eſſe, in qua ll. magiſtratus imperant* & Ariſt 4. Polit.4. *ſine ll. ait Rempub. ſtare non poſſe.* 1. Rhet. in pr. *Quapropter L. Aruntius & ll. ab Auguſto latas ejus ſepulcro inſcribi volebat,*

quod

quod his non minus, quàm victoriis, ſervata eſſet Reſpub. Tacit. 1. Ann.

Quin etiam, licet prudentiſſimi eſſent magiſtratus, adhuc ll. opus eſt, ut voluntas majeſtatis à ſubditis cognoſcatur, alioquin extra culpam futuris, cum ignorantiam, quæ in noſtra poteſtate non eſt, excuſare putet Acciaiol. ad c. 1. lib. 3. Eth. *Item longè tutius ex l. quàm arbitrio judicatur, quod turbidi motus arbitrium corrumpant, qui nulli ſunt in lege*, dicente Ariſtot. 3. polit. c. 10. *quam rationem prolixius explicat* Senec. 3. de benef. *Propterea Allobroges, cum judices deſerta l. multa judicia ex æquo conſtituerent, rogationem tulerunt ad regem, ne ulterius judicibus liceret ex æquitate iudicare*, Bodin. lib. 6. de Repub. c. ult. *& Caſim. M. certis ll. iudicum arbitria circumſcripſit, ne affectibus convellerent iudicia, ut ſoliti erant facere.* Crem. lib. 12. *Quod verò ex ll. in ſingularibus quædam timetur iniquitas, fruſtrà timetur, quia rigorem corrigendi poteſtatem habet prætor:* l. 7. de juſt. & jur. l. 16. 17. 18. de ll. *Legem verò prorſus inhoneſtam pro l. habere non debemus, ut ſupra diximus.*

Non quidem ad l. eſſentiam requiritur, ut ſit bona, ſicut inter Periclem & Alcibiad. diſputatur apud Xenoph. 1. de dict. & fact. Socr. *quia, ſi omnis lex conſentiret iuſtitiæ, malè diſtinxiſſet*, Ariſt. 5. Eth. 1. *inter civem bonum & virum bonum*, ut explicat Aleſſ. Piccol. lib. 8. Inſt. Moral. c. 1. *nec rectè dixiſſet* 3. polit. 7. *in malæ Repub. malas eſſe ll. Plurimæ enim malæ ll. extiterunt, nempe, Epheſiorũ, Nemo virtute excellẽs ap. nos ſit*, Cic. 5. Tuſ. Stra. 14. Laer. in Her. *aut L. Flacci, ut omnia Syllæ rata eſſent.* Cic. 1. de ll. *aut 12. tab. quarũ duritiẽ accuſat Phavori.* ap. Gel. li. 20. c. 1. *Et quã quam Impp. multarũ ll. iniquitatẽ correxerunt, non tamen omnem*

An bonitas pertineat ad eſſentiam l.

omnem extinguere potuerunt, ut confitetur Vlpian. l. proſpexit, Qui & à quib. *& expreſſè* Iulian. l. Ita Vulner. 51. ad l. Aquil. *quod* gl. ſuper c. 2. diſt. 1. in verb. Ius generale *tribus exemplis probat*, *&* Accurſ. in l. ſemper de rit. nupt. *item alio. Multa enim per ll. licent, quæ honeſta non ſunt* l. Etſi quis §. Divus ff. de relig. & ſumt. fun. l. Non omne de R. I. Petrus Fab. ibid. l. ſemper de rit. Nupt. Accurſ. ibid. & Panormit. c. Magnæ in 3. not. de vot. *ſcribit, quod licet poſſit filia inconſulto patre nubere*, c. ſufficiat 22. q. 2. *non tamen honeſtum ſit, ut id faciat*, per tex. in c. 1. de deſp. imp. *talesq́; nuptiæ injuſtæ vocantur.* l. ſi uxor ff. ad l. Iul. Ad. *Infinita ſunt talia, quæ ſine majori malo mutari nequeunt, vel in favorem publici commodi & pacis inſtituta ſunt, ut ait* gl. in c. Ius gen. diſt. 1. gl. in c. licet de vot. & Dynus c. ſine culp. de R. I. extr.

An lex poſſit adverſari Deo & naturæ.

Sciendum tamen, nonnulla adverſari Deo & naturæ, & hæc nullis ll confirmata ſunt: l. ubi repug. de R. I. in pr. diſt. 13. *nonnulla verò à* Gell. lib. 2. c. 7. *vocari μέσα, de quibus* Iſidor. c. 1. diſt. 1. *Aliæ ll. alijs gentibus placent, &* Ariſtot. 1 Eth. c. 3. *non omnia omnibus apparent juſta. In his, licet l. videatur iniquior, ſtandum tamen eſt ejus autoritati. Qui enim cum l. errat, non peccat*, c. qui peccat 23. q. 4. *nec pœnam meretur, quod legitimè factum eſt.* l. Grach. C. de Adult. *Qui enim mandato quid facit, habet parere neceſſe:* l. 24. de R. I. in 6. *qui verò neceſſariò facit, non punitur.* c. vaſis iræ 23. q. 4. *Hinc &* Bald. *ait* in l. Decuriones C. ex quib. cauſ. infa. *quod licet, maleficium non eſt, &* Sen. 6. decl. *obijci non poteſt, quod l. factum eſt, & Cyrus* apud Xenoph. lib. 1. *Iuſtum, quod ex lege. An verò etiam conſcientia per ll. excuſata ſit, patet ex facto Helpidij, qui maluit præfectura Vrb. carere, quàm injuſtam*

injuſtam l. Conſtantij exequi : Amm. lib.21. *quicquid de jure Canonico diſputet* Iohan. Crot. in c. Vt animarum in pr. de Conſt. lib. 6. *cum* Beza in tract. de divor. Antimach. lib.3. th. 32. *jus Canonicum Cæſareo multò iniquius habeant.*

Legis igitur eſſentia conſiſtit in hoc, quod ſit juſſum à ſumma poteſtate promulgatum. Lex, inquit Cic. 1. de ll. *eſt, quæ ſcripto ſancit, quod vult, &* Iſid. c. Lex eſt. di. 1. *Lex eſt conſtitutio ſcripta. Non tamen requiritur ad l. vt ſcribatur,* Ioh. And. in reg. Nemo poteſt in 6. Franc. de Pau. in præf. Extr. Ioh. per c. 1. de ren. in 6. VVeſenb. C. de ll. n.5. Conna. li. 7. com. *cum Lycurgus vetuerit ll. ſuas ſcripto ſervari, vt melius ſervarentur animo,* Plut. in Lyc. *qua de cauſa Tuiſc. German. cantiunculis comprehenſas ſuas leges in vicis cani voluit.* Avent. lib. 1. Chron. *Oportuit quoq; Phoronei, antiquiſſimi legiſlat. in Græcia,* Plat. in Tim. Auguſt. 18. de civ. Dei c. 3. Pauſ. in Corin. Gal. 3. Meth. *leges non ſcriptas fuiſſe, cum ante Cadmum literæ non fuerint in Græcia.* Euſeb. lib. 1. & 10. præp. Clem. 1. Strom. Iuſt. in paræn. Plin. lib. 7. c.56. *Requiritur tamen promulgatio,* ſ. Leges diſt. 4. *cum alias non obligent,* l. fin. ff. de decr. ab ord. fac. *Nec valet lex, ante terminum promulgationis, vel antequam ejus promulgatio ſciri potuit,* l. Divæ in fin. C. de decur. Corraſ. de art. jur. c.11. par. 3. *cum ad impoſſibile nulla ſit obligatio.* l. impoſſ. de R I. l. Nemo Eod. in 6.

Eſſentia l.

An ſcriptura ſit de eſſentia l.

Non verò ſola eſſentia l. tenenda eſt, ſed & bonitas ejus. Quanquam enim non omnium ll. ratio reddi poteſt, l. Non omn. de ll. *quod* Accurſ. ibid. *probat in quadriennio ad uſucapionem requiſito : imò nec debet, ne multa certa ſubvertantur :* l. Et ideo de ll. *Unde* Vlpian. l. proſp.

De ratione l.

Ff qui &

qui & à quib. *ſufficere ait, l. ſic ſcriptam*: *Tamen* Auguſtin. c. in iſtis diſt.4. *antequam ferantur, de rationibus ll. diſputandum monet. Rationes autem ll. unde deſumendæ ſiat*, Cice. 1. de ll. *docet, videlicet ex intima philoſophia. Nam ſi Seneca rectè l. vocat virtutem armatam, ſi* Iſid.c. Erit. di.4. *rectè ait: Lex erit honeſta, juſta, ſecundum naturam & conſuetudinem patriæ: &c. hæc autem omnia docet prudentia, quid virtus, quid honeſtas, quid juſtitia, quid ſecundum naturam fiat, &c. manifeſtum eſt, philoſophiam rectè dici inventricem ll. à* Cic. 5. Tuſc. *& legumlat. fuiſſe Philoſophos, ut ex hiſtoriis docet* Caſtell. lib.1. de off.reg. c.14.

Derivat autem philoſophia leges ex juſtitia, quam duplicem facit Ariſtot.5. Eth. c.3. *commutativam & diſtributivam. Ad hanc præmiorum, ad illam pœnarum diſtributionem & commercia refert, quod hæc Geometricam, commutativa Arithmeticam proportionem ſervet, ſecundum quam pœnæ irrogari debent. Qui enim ex recentioribus Ethicis & ICtis pœnas Geometrica proportione infligi volunt, infinita ſcelera neceſſe eſt impunita relinquant, quia, proportione Geomet. vir magnus & de Rep. meritus nunquam capite multãdus eſſet ob id factum, ob quod multandus eſſet plebejus, & ſic ſacrilegia minuta punirentur, magna in triumphis ferrentur*, ut ait Senc. ad Lucil. *quod quàm periculoſum ſit futurum Reip. oſtendit. Machiav.* li. 1. diſc.c.24. *Imò* Gen.9.v.5. & 6. *abſolutè dicitur: Quicunq; profundit ſanguinem humanum, ſanguis ejus profundetur, & Innoc. III.* c.Novit.de jud. *affert dictũ* Deut.89. *Ita magnum judicabis, ut parvum, nec erit apud te acceptio perſonarum*, c. in judic. de R. I. in 6. Ib. gl. & Iohan. And.c.ult.13.q.9. *Propterea ll. Pol. de homicidiis*, li. 1. Stat.

c.15.17.

c.15.17. *meritò accuſat* Priluſ. in præf. c. 15. a.6. *cum Sigiſm. ipſe in comit. Petric. an 1523. ex iis multiplicata homicidia conqueratur, & tamen hæ ad Geometricam proport: nondū aſcendunt, ſed in Harmonica ſubſiſtunt, quam* Bodin.6.de rep.c.ult. Goclen.in prob.Eth. *in omni juſtitia itidē malè obſervari vult. Decipitur n.* Bodin. *in tribus potiſſimum, quod non diſtinguat inter juſtitiam, & æquitatē, judici relinquendam: inter privilegia & leges: deniq; quod diverſa peccata pro iiſdē numeret: ex quib.tota diſputatio* Bodini, *quantumvis ſpecioſa, refutari, &* Ariſt. *ſententia ſalvari poteſt.*

Quod enim Hakelm.diſp.1.th.2. Aleſſand.Piccol. li.8. Inſt.moral.c.3 & 4. *unâq; multi alii pœnas proportione Geometricâ,* Bodin verò 6.de Rep.c.6. Goclen.in problem. Eth. *Harmonicâ irrogant, non tantùm cum præſcriptis juſtitiæ, ſed & legibus divinis & humanis pugnat.* Forſan, inquit Innoc.III. c.Novit. de judic. *dicetur, quod aliter cum regibus, aliter cum aliis eſt agendum. Cæterùm ſcriptum novimus in L. divina: Ita magnum judicabis ut parvum, nec erit apud te acceptio perſonarum.* c. in judic. de R.I. in Sext. *Imò* Bartol. ait in l.1. C. de cond. lib.11. *Barones, facientes contra ſtatutum Principis, debere magis puniri, quàm alios cives,* ut citat Martin.Laud. de crim.majeſt.q 36. *cum Principi magis ſint devincti, qua de cauſâ & Romanos ad Hannibalem deficientes cives, gravius quàm ſocios, puniviſſe autor eſt* Polyb. quod, dicente Cic. in 1. Catilin. *Viri fortes acerbioribus ſuppliciis civem pernitioſum, quàm acerbiſſimum hoſtem coërcendum putent, quod in M. Manlii ſupplicio demonſtrarunt, licet is nequicquam manus ad Capitolium tenderet, Deosq; Deasq; in auxilium deprecatus* Liv.lib.6.

An leges ſervent proportionem Harmonicam.

Confirmat idem ratio, quod vir magnus bis peccet, non tantùm facto, ſed & exemplo, Cic. 3. de LL. *unde B. Gregor. tot mortibus ait prælatos dignos eſſe, quòt perditionis exempla ad ſubditos tranſmittunt.* c. præcipuè, 11. q. 3. *Nam & ſacræ literæ, eum, qui voluntatem Domini ſcit, & non exequitur, duplicibus verberibus plectendum ſtatuunt, ex quo fundamento* Plato 9. de ll. *deduxit l. ſuam, quâ ſeverius advertit in liberos, quam ſervos, &* Euripides apud Clement. in Protrept. *producit homicidam ita loquentem: Parens ejus, ſcilicet Apollo, ſuam parentem cæcidit: Eum putate vos impium, & occidite: Peccavit ille, non tàm ego, minus ſciens eram qui honeſti & ipſius juſtitiæ. Quin ex eodem fundamento* Auguſtin. c. indignantur & c. ult. 32. q. 6. *tantò vult viros fœminis gravius puniri, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Imò Staenelaidas Ephorus Lacedæm.* apud Thucyd. lib. 1. *diſputat: Athenienſes non debere excuſari, quod olim contra Medos probi fuerint, quin potius nunc, cum contra Lacedæmonios improbi evaſerint, duplici pœna dignos fore, quòd ex bonis facti fuerint mali.*

Ne interim Iulij Cæſ. judicium afferam, qui cæterorum quidem uxores facinore, ſuam verò etiam ſuſpicione carere debere dicebat: Id quod Livia quoq; erga Auguſtum repetebat: Privatis quidem hominibus ſatis eſt nihil delinquere: Principibus ne quidem ſuſpectis eſſe licet. Suet. in Auguſt. *& Theſæus* apud Senec. in Herc. *ajebat: Scelera taxantur modo majore noſtra.* Plut. in Iul. Cæſ. *nec Auguſti ipſius ſententiam addo, qui filiarum impudicitiam longè gravius ultus eſt, quàm aliarum:* Sueton. in Aug. *nec Ottonis III. qui uxorem ſuam, Mutinæ, ſine miſericordia,*

cordia, ob adulterium combuſſit. Sigon. lib. 7. de Ital. *Si rationem ab Ariſtot. exegeris, reddet hanc:* 5. Eth. c. 4. *quod judex propterea adeatur, vt quod peccato damnum illatum eſt, reſarciatur. Æquale vero affert damnum Turca, ſi patrem interficiat, atq; Chriſtianus, ſi idem perpetret. Proinde juſtitia de eadem pœnâ pronuntiat: Et homines, niſi fiat, indignantur. Nam Mediolanenſes Napum Toreſanum Patricium, carcere necârunt, quod pecunia tantum, nobilium cædes expiari vellet:* Bodin. 6. de Rep. c. ult. *& Evenum III. Scoti ſimiliter tractarunt, quod plebeiorum uxores, etiam Nobilibus, ad nutum eorum, communicari juberet.* Buchan. lib. 4.

At verò Bodin. *multas producit & ll. & exempla, quibus Arithmetica proportio, dùm pœnæ irrogantur, non obſervatur. Hic autem jubemus* Bodin. *diſtinguere inter æquitatem & juſtitiam, quia, cum ſumma juſtitia ſumma interdum videatur injuria*, Ariſt. 5. Eth. c. 10. *utilius ſæpè judicat eſſe, vt æquitas præferatur juſtitiæ, quod & legibus placet*, l. placet 8. C. de judic. l. 15. l. 90. l. 183. ff. de R. I. & Saluſt. ait in Catil. *Audacia in bello, & æquitate in pace, Romanos creviſſe. Poterat Papyrius Fabium Equitum Magiſtrum omni jure ad ſecurim damnare, nec tenebatur ullis tribunorum minis aut interceſſionibus cedere, quia, vt* Livius ait lib. 6. *adverſus dictatoriam poteſtatem, nec tribuni plebis, nec ipſa plebs attollere oculos aut hiſcere audebant: ſed cum videret univerſum populum ad preces verſum, tùm ex re futurum putavit, ſi æquitati locum daret*, Livius lib. 8. *perinde ſicut & Scipio, ſeditionis crimen exercitui donavit: quem Iuſtinianus ob idem facinus ferè totum morti addixit, quod Hypatium contra ſe Imperatorem ſalutaſſet.* Zonar. & Cedren. in Iuſtin. *Æquitas* Inſtantiæ Bodini.

 hæc

hæc eſt, non juſtitia, & proinde arbitrio Majeſtatis relinquenda, cum circumſtantiæ tam variæ incidant, ut unâ certâ lege definiri nunquam poſſint: Imò nec tutum eſt, legibus, viris magnis, aut benè meritis, impunitatis ſpem facere, ut demonſtrat Machiavell lib.1.diſc.c.24. *hoc argumento: quòd nunquam conquietura ſit Reſp. ab eorum criminibus, dùm iſta ſpe quidvis perpetrantes, poſtea impunitatem ex l. ſibi promittent. Exemplo ſit Neratius, cujus libido nota eſt ex* Gell.lib.20.c.1. *Exemplo ſint ll. Polonorum de homicidiis, quibus Caſimirus M. rigorem ll. divinarum & humanarum corrigere voluit, ut ipſe confitetur* li. 1. Stat.c.15.a. 6. l.7. *Id effecit nimirùm, ut Sigiſmundus in comitijs Petricov. anno 1523. inficiari non potuerit, ex levitate ſupplicij, quo caſtigantur homicidia nobilium, nec quenquam ferè in templis, nedùm domibus tutum eſſe. Quantò rectius leges Romanorum* l. 1. §. 2. ff. ad l. Corn. de Sicar. *Qui hominem occiderit, ait ICtus,* l. Corn. de Sicar. *punitur, non habita ratione, cujus conditionis hominem interfecerit.*

Inveniuntur etiam in Romanorum jure privilegia quædã, in dignitate conſtitutis conceſſa, ſed hîc diſtinguat Bodin. *inter ll. & privilegia, quæ ſunt ordinarij juris derogationes,* l. 16. de ll. *ideoq́ mirum nõ eſt, ſi ex utilitate quadam penſiori, à legum norma, quæ eſt juſtitia, deſciſcant, utpote quod Menander manumiſſus & ad ſuos reverti juſſus, jure de ipſo lato,* ut ait Pompon. l. poſtliminij. 5. ff. de capt. & poſtlim. rev. *declaratus fuit civis Romanus, quod & in Hoſtilio Mancino obſervatum fuit.* l. ult. de legation. *Hæc enim privilegia, ex æquitate propter quandam utilitatem, ius commune mitigant. Nec eo inficias, nonnulla in talibus iniquiùs ſancita eſſe, qualis eſt lex Theodoræ* Nov.

134. c. 10. *quâ fœminas adulteras eximit à pœna capitali. Pone enim mitius agendum cum infirmitate ſexus*, l. Quiſquis. §. ad filias. C. ad l. Iul. Majeſt. *non tamen tantoperè à ratione abſunt mulieres, ut à pœna capitis prorſus excuſari poſſint, inprimis cum plerique ſentiant, turpius in muliere eſſe adulterium, quàm in viro, ſicut* Damhud. pract. crim. c. 99. v. 117. Marius Solomon. in l. Gallus in pr. ff. de lib. & poſth. Tiraq. l. connub. *plurium conſenſu confirmant.*

Satis hinc patet, quæ Bodino *negotium fecerunt, omnia ex æquitate, non ex iuſtitia proficiſci, nec Harmonicâ proportione definiri poſſe, cum incertis ſemper ſint obnoxia circumſtantiis, nec in remiſſione pœnæ, tantùm, ſed, ubi res exigit, intenſione quoq; conſiſtant, dummodò non excedat modum, ſicut Galeatius Sfortia coëgit colonum, leporem, quem ceperat, crudum cum pelle vorare, unde mortuus eſt.* Corius volum. 6. *Id quod exemplo furti declaro, cui unam ex Harmoniâ deductam pœnam* Bodinus *præfigere nequit. Furtum non plectebatur apud Lacedæmonos, & Ægyptios, niſi inſcitè peractum:* Plutarch. in Lyc. Iſocrat. in Panath. Xenoph. de Repub. Spart. Diodor. Sic. lib. 2. *Imò rex Ægyptios ſi vrae eſt fabula, ſubtili furi filiam elocavit*, Herod. lib. 2. *& Germanis quoq; commendata fuêre latrocinia, quæ vel* Ariſtot. 1. Polit. c. 5. *inter modos acquirendi reponit. Draco licet præ ſolita ſeveritate, capite multaret etiam minutiſſimos fures*, Gellius lib. 11. c. 18. Iohan. Boëm. Auban. lib. 3. de mor. gent. cap. 2. *eam tamen ſeveritatem ad dupli pœnam reduxit Solon.* Plutarch. in Solon. *Moſes quadruplo furtum mulctabat.* Exod. 22. *Suevorum antiquæ leges, ab Othone I. latæ, duplo, ſed, ſi ultrò ſe offerret fur, ſimplici erant con-*

tenta

tentæ reſtitutione. Conſt. Suev. relatæ à Münſt.3. Coſmograph.

Romani manifeſtum furtum ſimplex duplo, Cato 1. de re ruſt.c.1. *conceptū & oblatum triplo, manifeſtum quadruplo multabant.* Gell. lib. 11. c.18. *Et novo jure pro furto nec moriebatur quiſquam, nec aliquod membrum abſcindebatur, ſed aliter caſtigabatur.* Autent. ſed novo. C. de ſerv. fugit. *Sed nunc capitaliter puniuntur furta, non, quod delictum tantum ſit, ſed quod aliter in tanta malitia, ſua quisq; tuta habere non poſſit. Augetur enim merita à delicto pœna frequente. Prima, ſecunda ſatis, tertia culpa nimis*, ut ait Girard. in Epigr. 78. l. relegati. ff. de pœn. l. ſervos. C. eod. c. cum non ab hom. de jud. *Ita Peſcennius Niger 10. commanipulones ad mortem deſtinârat, ob raptum unius galli, quod militum aliâs ferocia compeſci non poterat.* AEli. Spart. in Peſcen. *Ea de causâ Sclavoni & Carinthi furibus erant inexorabiles, imò ſuſpicionem de aliquo quoq; puniebant*: Ortel. in deſcript. Sclav. & Car. *& in regno Monomotapa ſeveriſſimè in fures animadverti* Boter. *teſtatur* part.2. lib. 3. Coſm. *quod patrimonia tantùm filiis diſtinguantur, ſicut &* Iuſtin. *olim Scythas eadem de cauſa furibus immiſericordes fuiſſe autor eſt, &* Boter. *Magnum Chamum, indiſcretim omnes fures diſſecare, ſcribit, quamvis* Sigiſm. Baro in Tart. *Tartaros Caſſanos & Præcopitas ſimplici reſtitutione contentos memoret. Nec alia de cauſa Longobardi cœperunt tertium furtum capite plectere*, Damhud. prax. c 110. n.33. *Nec Randolphus, prorex Scotiæ, alia motus ratione in furta operum ruſticorum ſeveriſſimè advertit, quod abſque ea pœna fuiſſet, nunquam tuta eſſe potuiſſent.* Buchan. lib.9. *Ex quo patet, non poſſe ſemper peccatis certa ſupplicia præ-*

cia præfiniri, ſed pro ratione loci, temporis, aliarumq́ circumſtantiarum, ex æquitate nunc intendenda eſſe, nunc remittenda.

Præterea errat Bodin. *in eo, quod pro æqualibus factis numeret, quæ minimè ſunt æqualia. Duo enim ſi faciant idem, non eſt idem, Non quòd diſſimilis res ſit, ſed quod is, qui facit.* Terent. in Adelph. *Quot enim circumſtantiæ factum varient,* Ariſtot. 3. Eth. c. 1. *docuit. Franci olim Saxones Friſiosq́ gravius puniebant,* Rhenan. 2. German. *quippe, quod peregrini erant in aliena Repub. in qua ijs licebat minus peccare, ſicut dum alium in propria domo opprimo, gravius pecco, quàm ſi eum lædam alibi. Ita ſervus gravius peccat in dominum, quippe, cui debebat reverentiam: & proinde ſeverius punitur, per ll. Rom. imò* Moſes Exod. 21. *pœnâ eximit dominum, ſi ſeverius caſtigando ſervum occiderit. Eadem ratio eſt de homine probo & improbo, quorum illum ll. ubiq́ mitius tractant,* l. non debet, de dol. mal. l. 3. §. 12. l. 5. §. 1. ff. de re milit. *quod in hoc præſumatur proæreſis & habitus, in illo minus.*

Quanquam enim cogitatio non facit furem, l. 1. §. 2. ff. de furt. *nec ſolus habitus punitur, niſi inferatur ſimul alijs damnum, quomodo Simonia in parvo, licet ex habitu profecta, non plectitur:* c. etſi, q. de Simon. *tamen delictum proæreſis multum aggravat,* 3. Eth. c. 1. 2. & 3. *cum hac unica de cauſa Draco,* Plut. in Solo. *Plato,* in 12. de ll. *& M. Chamus indiſcretim ſive magnos, ſive parvos fures puniverint:* Boter. 2. part. Coſmog. & Damhud. c. 110. prax. crim. n. ult. per tex. in c. ult. 14. q. 6. *parvarum rerum fures majores nominet, quod magis ex habitu agere præſumantur, pari modo, quo ICti nonnulli, quos refert* Tiraquell. 2. l. connub. n. 12. Damhud. c. 99. prax. n. 125.

gravius credunt peccari ab eo, qui cùm deformi rem habet, quam, qui cum pulchra, arg. c.dict.*non quod,* ut gl. quædam d.c. putat, *magis voluptuosè quis cognoſcat pulcram, in deformi verò, quàm citius poteſt, ſe abſolvat, ſed* ut Bazia, in gl. c. vlt 14. q. 6. *quia plura ſunt, quæ illiciunt in pulcra, quàm deformi, quam rationem reddit &* Chryſoſt. Hom. 3. in 2. ad Tim. c. 1. *Vnde maior inclinatio & libido præſumitur in eo, qui deformi conſueſcit, quàm qui pulcræ, proinde ut* Hieron. citatus à gl. ad c. viduas in verſ. vſæ 27. q. 1. *ratiocinatur: Libidinem in virgine majorem pati famam, cùm dulcius eſſe putat, quod neſcit. Cùm enim ab obiecto, cujus dulcedinem non ſatis aſſecuta eſt, à recto dimovetur, ex propenſiori præſumitur libidine agere, quam ea, quam*, ut dicebat Plato, *obiecti vehementia, ferè violenter trahit.*

Multitudo legum nimia noxia.

Sed ſatis oſtenſum eſt, ex quo fundamento leges conſtitui debeant, illud adhuc convenit, quod, licet leges in Repub. neceſſarias demonſtraverimus, multitudine tamen noceant, ut docet Ludovv. Viv. lib. 7. de cauſ. corrupt. art. *quia viam aperiunt litibus, prout rabula quidam, cum Carolus VII. Rex Gall. leges multiplicandas aggrederetur: Hem, inquit. præſtò ſunt lites, & aureorum cumuli.* Bodin. lib. ult. de Rep. c. ult. *Conqueritur enim ipſe Iuſtinian* l. 1. §. 1. 4. 6. 8. 12. Item l. 2. §. 21. de emend. Cod. *ex multitudine ll. ἀντινομίας, variasq; natas interpretationes eſſe, quibus totum jus conturbari, non tantùm ibi aſſerit Imp. ſed & magni docent ICti*, Budæus, Zaſius ad l. 2. de orig. jur. Duaren. de rat. doc. & diſc. jur. Vigil. in Epiſt. ad Carol. V. Aleſſand. Piccol. lib. 8. Inſt. Moral. c. 8. 9. *Vnde rectè* Caſtell. lib. 3. de inſt. reg. c. 24. *novis caſibus novas leges ponere, nihil aliud eſſe ſcribit, quàm hydræ capita*

pita reſecare, quod ex novarum legum non tantùm verbis, ſed & diſpunctiunculis novas extruant controverſias, illi, qui ut Senec. loquitur 6. de benef. c.5. *argutas tractant ineptias, aut,* vt Conſtant. l. iuris. 1. C. de form. & impetrat. act. ſubla *qui aucupatione ſyllabarum inſidiantur cunctorum actibus In exemplum producit* Viues *Pannoniam, vbi, cum ex antiquis moribus & pauciſsimis quibuſdam ll. cauſas judicarent, & quemadmodum de Servo Sulpitio dicebat* Cic. Philip. 9. *tollere controverſias, quàm conſtituere mallent, abſq; contentionibus pacatè vivebatur. Poſtquam cum comitatu Beatricis Ferdinandi regis Neap. filiæ, eò ingreſſi ſunt rabulæ, brevi tempore,* ait Viues, *vidiſſes omnia fervere litibus, controverſiis &c.*

Hinc Plato 3. de ll. *ſignum ait malè conſtitutæ Reipub. eſſe, ſi in eâ multi inveniantur ICti, quippe, qui indicant multitudinem litium, ex multitudine ll. natarum. Multi enim medici vt ait* Scip. Ammir. lib. 4. diſc: 7. *& Iurisconſulti multi, æque ſunt malæ Reipub: ſigna: Hi, quod litigioſos, illi, quod guloſos & intemperantes homines deſignent. Quam ob rem Solon pauciſſimas, & adhuc pauciores ll. tulit Lycurgus, quia, quò pauciores ſunt ll. dummodò ſtrenuè vires ſuas exerceant, eò benè moratæ Reip. melius conveniunt, vt ſentit* Iacobus VI. li. 2. Baſil. dor. & Iſocr. in Areop. *Tuiſco quoq; Germanus ita paucis fuit ll. contentus, vt eas cantilenis incluſerit.* Auent. lib. 1. Chron. *Nec enim commodior via eſt obviam eundi avaritiæ rabularum, qui,* vt Petron. Arb. in Sat. ait, *crudaſ ſtudia propellunt in forum, &,* dicente Lucil. apud Lactantium lib. 5. *huic vni ſolent ſtudio, ſe dedere & arti, verba dare vt cautè poſſint, pugnare doloſè,*

Blanditia certare, bonos ſimulare viros ſe, Inſidias facere, vt ſi hoſtes ſint omnibus omnes, quorum mores, nimium quàm graphicè depinxit Ammian. li.30. & D. Bernhard. lib.11. conſid. ad Eug. *ubi & pravum morem jubet Eugenium corrigere. Præcide, inquit, linguas vaniloquas, & labia doloſa claude. Hi ſunt, qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, diſerti adverſus juſtitiam, eruditi pro falſitate, ſapientes, vt faciant malum, eloquentes, vt impugnent verum, &c.*

Non facile mutandas leges.

Deniq. ſicut magna cum curâ ferendæ ſunt ll. quod Alex. Imp. quidem obſervaſſe conſtat, qui nullam l. ſine 20. ICtorum conſenſu protulit, Lamprid. in Alex. *ſciens quippe,* ex Socr. dial. de juſt. *pejus eſſe, malam l. ferre, quàm hominem interficere: Ita ſemel latæ ll. non facilè abrogandæ ſunt, ne ll. autoritati derogetur,* 2. Polit. c. 6. *& litigantibus occaſio præbeatur legis, quæ ipſis obſtat, abrogationem petendi, quod ne fieret, Æginetæ graviter multabant, qui legis condendæ aut mutandæ occaſionem dediſſet* Thol. lib.10. c.6. n.6. *& Thurij cogebant eum, qui l. ſublatam cupiebat, inſerto in laqueum collo id petere,* Diod lib.12. *quod de Locrenſibus refert* Demoſth. in Timocr. *Conſentit huic rei autoritas* Vlpiani l.2. ff. de conſtit. princ. *In rebus, ait, novis conſtituendis, evidens eſſe utilitas debet, vt recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt.*

CA.

CAPUT XIX.

De Educatione.

PRoximè *agendum eſt de Educatione & Inſtitutione, propterea, quod, dicente* Machiav.1.diſc 3. *tanta vis ſit ejus, ut probè educatis legibus opus non ſit, ſicut Lycurgus, rogatus, cur ll. non uteretur, reſpondit, quod benè inſtituti temporis utilitatem norint, & Numam teſtatur* Liv.lib.1. *effeciſſe, ut fides ac jus jurandum, propulſo ll. ac pœnarum metu, civitatem regerent. Econtrariò verò, ſi neglecta fuerit inſtitutio, fruſtrà feruntur ll. quia fruſtrà imperatur ei, qui obedire non didicit, ut pulcrè de hac re docet* Ariſt.5. polit pag.451.. *maximam corruptionis Rerumpub. cauſam aſſerens, quod non inſtituatur juventus ad eam Reipub. formam, in qua victura eſt. Nam propterea non ſine cauſa putatur Brutus filios ſuos trucidaſſe, quod ad popularem ſtatum minus educati, regnum reductum cuperent,* Clapmar. lib.2.de arcan. c.10. *cujus conjecturam ex oratione juvenum patritiorum deſumere licet, quæ eſt* apud Liv lib 2.in pr. *Rectè* Senec. Ep.94 *ubi aliqua res excæcat animum, & ad officiorum deſpiciendum ordinem impedit, nihil agit, qui præcipit: ſic vives cum patre, ſic cum uxore. Nihil enim proficient præcepta, quàm diu menti error obfuſus eſt. Si ille diſcutitur, apparebit, quid cuiq; debeatur officio: id quod exemplo filii Dionis docet* Prob. in Dion. *Hinc* Iſocr. in Panath. & Areop. *laudat antiquos Athen. quod non impleverint legibus porticus, nec id primùm reſpexerint, ut pœnæ criminibus præfinerentur, ſed ita voluerint cives, primùm inſtitui, ne quid velint pœnâ legum committere. Non enim, ait, SCta aut*

De neceſſitate rectæ inſtitutionis.

Plebiſc. ſed præclara inſtituta felicem efficiunt civitatem. Nam homines malè inſtituti leges etiam exquiſitiſſimas contemnere audent. Atq; hanc fuiſſe curam Areopagitarum, Iſocr. *ibidem docet*, *&* Socr. in Axioch. Plutarc. in Solon.

Lycurgus non tantùm accuratè inſtituit cives, Plut. in Lyc. *in quo ſe ſuosq; commendat Archidamus*, apud Thucyd. lib 1. *Sed & ipſum partum examinari voluit in Leſche, coram tribulium natu maximis, quod Germanis quoq; in uſu poſitum fuiſſe.* Galen. autor eſt de ſimpl. med. fac. *& Indis Cathais & Brachmanibus* Sabel. Ennead. 7. lib. 6. *Vſq; adeò circumſpecti erant majores noſtri, ne quā inutile membrum totius Reipub. corpus corrumperet, quod quàm damnosè hodiè negligatur, pauci intelligunt, cum tamen de contumacia adultorum, nemo non conqueratur. Multa ſcripſit* Chryſoſt. *adverſus eos, qui inſtitutionem liberorum contemnant, tantùm in eo ſint, vt illis opum magnam vim relinquant: ſimili ferè uſus ratione, qua Phocion legatis Philippi Maced. hortantibus, vt liberis proſpiceret, reſpondebat: Si, inquit, boni evaſerint, facilè diteſcent: Si mali, quorſum debeam illorum malitiam opibus alere & augere?* AEmil. Prob. in Phoc. *Quid enim opes proſint malè inſtituto? Imò quid ipſum ingenium, quod, vt ager, quò fertilior, eò magis ſylveſcit, ſi negligatur: ita quò melius, niſi ad virtutem aſſueſiat, eò naturalis illa* δεινότης *turpius degenerat, & Reip. magis nocet?* 6. Eth. cap. ult.

Docuit hoc Plato 3. de Rep. *exemplo Cambyſis & Xerxis, quos nihil niſi mala inſtitutio corrupit. Atq; hoc Politices caput in regibus & principibus magis, quàm ſubditis urgendum eſt. Hi enim, licet optimè inſtituti non ſint, legū*

tamen

tamen pœnis in ordinem vtcunq; redigi poſſunt. Soli Reges non habent aliud remedium, præter bonam Inſtitutionem, & proinde Alexandrũ M. Cic.3. de orat. *ſuſpicatur temulentum factum, quod à Leonida & Lyſimacho non erat aliter inſtitutus. Populi peccantes, ait* Iſid.3.ſent.c.51. *judicem metuunt, & à malo ſuo legibus coërcentur. Reges autem niſi ſolo Dei timore metuq; gehennæ coërceantur: addam ego, & niſi bona inſtitutione præoccupentur, liberè in præceps ruunt, & per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur. Unde idem* Plato 3. de Rep. 7. de leg. *& alibi ſollicitè requirit puerorum inſtitutionem, eumq; imitatus* Xenoph. lib.1.Cyrop. Cic.3. de divin. *& noſter Philoſophus* 10. Ethic.c.10. 5.polit.pag 451. 8.polit c.1. *ubi ait: Quod à legislatore maximè intendendum ſit circa diſciplinam juventutis, nemo utiq; dubitabit. Nam id quidem neglectum in civitatibus affert Reip. detrimentum. Oportet enim ad ſingula gubernandi genera diſciplinam accommodari &c. Rectè enim à Poëta dictum eſt:* ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους ὀρθῶς ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους, *quo monemur prima benè jacienda eſſe fundamenta, quo cætera ſequantur ex ſententia.* Vide Simanc. 9. Reipub. cap.25.

Proinde Reipub. intereſt, ſtatim à principio, generationi liberorũ proſpici, Aleſſan.Pic.li.3.Inſt. mor.c.1. *quod, dicente* Cic. ad Att. *vt malè poſuimus initia, ſic cætera ſequuntur, aut* Ariſt.5.polit.c.1. ἀδύνατον ἀπὸ τοῦ πρώτου, καὶ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἡμαρτημένου μὴ ἀπαντῶν εἰς τὸ τέλος κακόν τι. *Nec enim ineptam conjecturam fecit Diogenes, cum temulento juveni diceret: Pater tuus te ebrius generavit:* Plutarch. de educat lib. *nec ſine cauſa Lacedæmonij multarunt regem ſuum, quod parvam duxiſſet uxorem, quaſi non reges, ſed re-* Cura circa principia generationis.

ſed regulos procreaturam. Elementatum enim redolere ſui Elementi naturam, apud Philoſophos notū eſt,& Athen. 7. de ſem. & ex eo Galen. 2. de ſem. c. 1. *exemplo eorum, quæ ex diverſis ſpeciebus generantur, oſtendit parentum vitia in liberis relucere, quod argumentum* Lucretij quoque eſt lib. 4. *ſicut & Terentianus ille convincit mulierem de filia, quod nihil vitij habeat mater, quod non renatum ſit in filia:* Terent. in Heaut. *adeoq́; hoc inſederat Garamanthis*, Solin. c.39. *Lybiæ ſuperioris populis*, Ariſtot. 2. Polit. c.2. *& Lymirni*, Stob. ſerm. 42. *vt cum in commune generarent liberos, ex ſimilitudine ſua quisq; ſobolem conjectare ſolerent: quod fieri poſſe ICtis quoq; nonnullis placuit*, Fulgoſ. con. 212. Alberico in l. ſeptimo menſe in med. ff. de ſtatu hom. Alciato in l. quæret ff. de V.S.

Certa quidem ea conjectura non eſt, vt Iaſon, *multiq; alij Dd. diſputant* ad l. Gallus in pr. ff. de liber. & poſthum. *cum multum hic quoq; poſſit imaginatio, quam* Eraſtus *rectè ſecundariam ſimilitudinis in fœtu cauſam ponit, cum* Galen. de Ther. ad Piſon. c.14. *hiſtoria pictæ imaginis, &* Thomas Morus in Epigr. apud Lemn. de occult. nat. miracul. *vero exemplo oſtendat, parenti diſſimilem ſæpè generari fœtum, de quo ex medicorum opinionibus* in diſput. de gene. hom. *diximus: Nihilominus, quod ad hanc rem attinet, certum eſt, parentum ſeu vitia ſeu præpoſteras cogitationes in liberis ſæpiſſimè effigiari. Vnde diligenter curandum, ne hinc aliquid naſcatur, quod Lycurgus in Taygetum abijceret, aut Germani Neptuno darent: talisq́; parentibus ad lectum afferendus animus, qui liberis poſtea non ſit pudori, Reipub. verò detrimentoſus futurus.*

Par eſt de geſtationis & nutritionis tempore ratio, cum & nu-

& nutrimentum vertatur in ſubſtantiam nutriti, ſicut ovem à capra lactatam, magis hircire, adeoq; ejus ingenium lacte mutari experimur. Præclarè Virgil. cum Homerum *Achilli duritiem exprobrantem, imitaretur, addidit: Hircanæq; admôrunt ubera Tigres,* Macrob. 5. Saturn. & Theocrit. *Cupidinis libidinem inſectans Leanæ mammas eum ſuxiſſe dicit. Quin &* Ovidius *ſævitiam alicujus increpat: Natus es ex ſcopulis nutritus lacte ferino, Et dicam ſilices pectus habere tuum. Unde rectè* Plutarch. de educ.lib. *improbat facilitatem aſciſcendi pueris nutrices ex meretricibus, quod inde corrumpantur appetitus, corporis temperiem imitantes, ſicut ex agreſti lupa Romulus & Remus & Hagis Curetum Rex, tantum non ferini evaſerunt.* Iuſtin. lib. 44. *Addit* Plutarch. & Phavor. apud Gell lib.12. c.1. *alias rationes, nimirum, quod matres diligentius curent fœtum quàm nutrices, quod impenſius amēt ſuis uberibus nutritum. Id quod Cato quoq; prævidit, qui uxoris uberibus ſervorum ſuorum filios adhibuit, ut naturali vinculo quodam, filio devincirentur.* Plutar. in Cat. *& Antipatro maximè vitio verſum eſt, quod matri per ubera deprecanti non pepercerit, quaſi maximæ impietatis ſit, uberum, ex quibus altus ſis, oblivīſci. Improbat quoq;* Gregor.lib.12. indict.7. c.10. *nutrices, quod propter incontinentiam mulierum conduci ſoleant: quæ tamen ratio perpetua non eſt.*

Circa tempus geſtationis & nutritionis.

Dum verò enititur infans ex utero, obſtetricum hodie opera deſideratur, quarum tamen officiū olim multò latius patebat, ut conſtat, ex Theæt. Plat. Galen. 5 Aph. com. 62. l. 1. §. ſed & obſtetricem, de extraordin. cogn. l. idem obſtetric. ad l. Aquil. Augen. part.2. Epiſt. Medic. lib.1. Ep. 1, c.6. *Nam & de fœcunditate judicabant, idoneos conju-*

De obſtetricibus.

ges conſociabant & medicinam mulieribus faciebant, quâ cum, ut veriſimile eſt, temerè ſæpè adhiberent, edicto vetuerunt Athenienſes mulierem medicinam diſcere, cujus edicti iniquitas apparuit, cum Agnodice, quæ ſub perſona virili medicinam didicerat, mulieribus cœpiſſet manum iterum admovere. Higin. lib. fab. c. 274. *Multas enim morituras citius veriſimile eſt, quàm viris vitia detegerent. His igitur præſcribere debet Politicus & peritiam & pietatem.* Plato *enim* in Theæt. *ſteriles & virgines ab hoc officio, propter imperitiam removet, nec minus puniuntur propter malam curationem, atq; medici.* l. item obſtetric. ad l. Aquil. *Si verò malitioſa fuerit obſtetrix, quis neſcit, quantum periculum naſcituris immineat, quos nemo leviori negocio interficere poſſit, qua de cauſa Pharao, nec alios, quàm obſtetrices in extirpando maſculo ſexu Hebræorum adhibuit,* Exod. 1. & Malleus Malefic. part. 2. *talibus exemplis abundat.*

De inſtitutione.

Dehinc inſtitutioni incumbendum, ut ſi quid benè natum fuerit, rectè educetur, alioquin facilè in pejorem partem deflexurum. Paucos enim ait Veget. lib. 30. *viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria, quod ex* Maurit. de milit. *deſumptum eſt, qui ait:* ἡ φύσις ὀλίγους, ἡ δ᾽ ἐπιμέλεια ἀγαθοὺς ποιεῖ πολλούς. *Aut ſi quid prava indole natum, ut hac via corrigatur. Socrates enim cum Chiromanta eum ſalaciſſimum diceret, talis inquit futurus eram, niſi me correxiſſem. Idem oſtendit Lycurgus canum duorum diverſis ſtudijs ob diverſam aſſuefactionem* Plutarch. de educat. puer. *Unde* Ælian. 4. de var. hiſt. & Clem. Alex. 7. Stromat. *talem quemq; evadere demonſtrat, qualibus obedientem accommodaverit aurem. Sub primis verò annis, quid poſſis puerum docere,*

docere, niſi velis eum ſenſim aſſuefacere, quod à teneris aſſueſcere multum. Bernhard. in tr. de ord. vit. *pueros à puritate dictos putat, quod,* ut Iuven. ait Sat. 14. *Nil fœdum dictu viſuq; hæc limina tangere debeat, intra quæ puer eſt, &c. Et paulò poſt: Maxima debetur puero reverentia: ſi quid, turpe paras, nec tu pueri contemſeris annos. Hoc enim tempore ad veram pietatem & futuram vitam aſſuefieri debet puer. Nam venaticus, ex quo cervinam pellem latravit in aula, Militat in ſylvis catulus, ut ait* Horatius.

Mox ubi ad vitæ genus quoddam inclinandus eſt animus, Platonis *præceptum* in dialog. de ll. Cice. 3. de orat. Quintil. in procem. Inſt. Orator. *obſervandum eſt, ad ea ducendum unumquemq;, ad quem eum raptat amor, cujus rationem addit* Plato 7. de Republica, *ne invitus cogatur. Nam nihil invita dices faciesvè Minerva.* Horatius in art. *Eatenus tamen id obſervari debet, ſi animus ad honeſtum & Reipub. utile ſtudium inclinet. Plato enim ex ludo diſcedentes diſcipulos admonebat: ita vos adoleſcentes gerite, ut, quod vobis datur otij, in rebus honeſtis conteratis:* Plutarch. de valet. tuend. *& de utilitate reſpondebat Leothychidas rogatus, quid potiſſimùm pueros diſcere oporteret: Ea, inquit, quæ ipſis uſui futura ſunt, ſi viri evaſerint.* Plutarch. in Apopht. *Addam ego & quæ patriæ, quia ut* Pythagoras *dicebat, nemo ſibi ſoli naſcitur, ſed maximam ortus noſtri partem vendicat ſibi patria.* 8. Polit. c. 1. l. 1. ſ. & general. de vent. in poſſ. mitt. l. 2. de juſt. & jure. l. 4. ad SC. Trebel. l. 1. in fin. ad l. Iul. Mai. l. 14. ſ. 4. de muner. & honor. *Proinde* Plato 7. de ll. *magis velit ſequenda ea ſtudia, quæ patriæ magis proſint.*

Eò ducenda natura, quò vergit.

Inſtitutio publica.

Ea fortaſſe de cauſa publicè abſq; parentum converſatione, voluit optimos ex juventute inſtitui Lycurgus, Plut. in Lycurg. *ſicut & Socrates in Rep. à Platone ſibi tributa. Cæterum quia hæc inſtitutio extergit* στόργας *naturales, juriq; domeſtico injuriam infert, meritò reijcitur, dividiturq; inſtitutio, cum* Ariſt. 8. polit. c. 1. *in publicam & privatam. Publica pertinet ad Remp. totam, ſicut Mecœnas docebat Auguſtum de inſtituenda Rep. Hoc quoq; inquit, te hortor, inſtituas, vt patritij equeſtriſq; ordinis homines, dum adhuc pueritiam agunt, ludos literarios frequentent.* Dion. lib. 52. *& Trajanum laudat* Plin. in Panæg. *quod paulò minus quinq; millia ingenuorum conquiſierit, quos ſuo ære educaret, vt jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur, creſcerent de ſuo, qui creſcerent ſibi, alimentiſq; ſuis ad ſtipendia ſua pervenirent, tanquam ſibi omnes, quantum quiſq; ſuis parentibus, deberent. Nec ea tantum cauſa eſt, publicæ inſtitutionis, vt animi civium ab initio perenni converſatione conglutinentur, aut principi magis obligentur, ſed, quia ratio inſtitutionis & utilitas Reip. idipſum exigit.*

Quam multos enim videas adeò imprudentes, vt, quo pacto filios commodè inſtituere debeant, ignorent? Alij ſumptibus deſtituuntur, nonnullis obſtat nimius amor, quibus obtingit, quod ſimiis, quæ, dum fœtus nimium exoſculantur, comprimendo necant, Plin. lib. 8. c. 54. *Ab his abducendi ſunt liberi in ſcholas publicas imperio magiſtratuum, vt ibi ad ſalutem totius Reipub. educentur, quam educationem privatæ longè præferunt* Quint. lib. 1. Inſt. c. 3. Vegius de educ. puerorum. c. 2. & 3. *Ante omnia enim,* ait Quint. *cui in publica celebritate vivendum eſt, aſſueſcat jam à tenero non reformidare homines, neq; illa ſolitaria-*

taria & velut umbtratili vita palleſcere. Attollenda mens ſemper eſt, quæ in hujuſmodi ſecretis, aut langueſcit & quendam velut in opaco ſitum contrahit, aut contra tumeſcit inani perſuaſione. Neceſſe eſt enim ſibi nimium tribuat, qui ſe nemini comparat, Adde quod domi ea ſolum diſcere poteſt, quæ ipſi præcipientur, in ſcholis etiam, quæ alijs: audiet multa quotidiè probari, multa corrigi, proderit alicuius obiurgata deſidia, proderit laudata induſtria, vnde excitabitur æmulatio, turpe ducet cedere pari, pulchrum ſuperaſſe majores, &c.

Quia verò non omnes poſſunt in Rep. eſſe ſapientes, nec cuicunq; datum eſt habere naſum Martial.1. Epig. 42. *nec ingenia omnium ad id nata ſunt, quorum delectum habere ſtudiosè ſolebat Apollonius, dicendi Magiſter, vt eos tantum ad oratoriam admitteret, quos idoneo ad id putabat eſſe ingenio, alioſq; ad alia ſtudia adhortaretur.* Ci. de orat. *Propterea non debent omnes promiſcuè ad artes liberales cogi, ſed qui craſſiori apparent Minerva, ad alia Reip. neceſſaria ſtudia averti, ne ipſi operam perdant & Reſp. interim alijs ſtudijs careat. Nec abs re faceret Reſp. ſi in artificijs exercendis obſervaret regulam* Averrois 1. tract. de Repub. *non eſſe vni homini, niſi vni artificio, incumbendum, quod ipſum Lybie quoq; AEgypti regina ſuis ſubditis imperavit, haud ignara, inquit* Iſocrates in laud. Buſirid. *eos, qui ſubinde aliud atq; aliud munus ſuſceperiunt, nihil exquiſitè cognitum habere.*

De vitando ocio & eiiciendis mendicis.

In genere verò omnes cives ad honeſtum aliquod genus vitæ adigendi & ab otio avertendi ſunt, quod ut Cato dicebat, *homines nihil agendo malè agere diſcant. Vita humanam,* ait Cato de morib. *eſt, vt ferrum, quod ſi exerceas, vſu conteritur & cum ſplendore quidem, ſin minus*

exerceas rubigine exeditur: Sic homines exercendo conteruntur quidem. ſi non exerceas, inertia atque torpedo plus illis detrimenti facit, quàm exercitatio. Gellius lib.11.cap.2. *Digna eſt de hac re lex Amaſis regis Ægyptij apud* Herod. lib.2. Diod.lib.1. *digna inquam eſt, quæ in uſum revocetur: quæ jubebat ſingulos cives quotannis coram magiſtratu comparere & docere, qua ratione quis vitam ſuſtentaret. Quod ſi non probaſſet, ſe ex fructibus prædiorum, aut honeſto quæſtu vitam agere, aut convinceretur otio diffluxiſſe, capite plectebatur.* Plato 8. de Repub. *ocioſos homines, tanquam bilem & pituitam, ex corpore eijciendos putabat. Inſtituerat idem Solon imitatione Ægyptiorum, ſeu ut* Plutarch. *ſuſpicatur* in Solon. *Piſiſtratus, ſeu etiam Draco, ut* Lyſias *autumat* in orat. cont. Niciam. *dederatq́ poteſtatem in ocioſos animadvertendi Areopagitis:* Diodor. lib.1. Valer. Maxi. lib.2 cap.1. Iſocrat. in Areopag. Plutarch. in Solon. *accuſationem verò publicam fecerat,* Laërt. in Solon. *quod videret,* ut loquitur Aleſſand. Piccol. lib.4. Inſt. Moral. c. 12. *che il mero ocio ſi fa ſeme d' infiniti diſordini, & poco honeſti penſieri. Id quod conquerebatur etiam App. Claud. in ſeditione plebis. Ocio ſcilicet & non alia de cauſa laſcivire plebem,&c.* Livius lib.2.

Nihil enim Reipub. detrimentoſius accidere poteſt, quàm ſi inutilium ponderum multitudine gravetur, quæ nec ipſa ad ſalutem ipſius quicquam conferunt, & aliorum operas devorant. Antonini Pij laudabilis vox eſt, qui ocioſis ſalaria eripiens: nihil, dixit, eſſe ſordidius, imò crudelius, quam ſi Rempub. arroderent ij qui in eam ſuo labore nihil conferrent. Iul. Capitol. in Anton. Pio.

Hinc

Hinc Theſpienſium Rempublicam vituperat Heraclit. in polit. *eamq́ Thebanorum poteſtati ſubjectam fuiſſe refert, quod turpe ijs putaretur artem diſcere, vel agros colere: & floruerunt contra, quæ perpetuis laboribus ſuos cives exercuerunt: eaq́ res mirum quam floridum & frequens faciat hodiè Chinenſium regnum*, Boter. 2. part. Coſmograph. *qui fortaſſe antiquorum Gymnoſophiſtarum diſciplinam imitantur, quos ſcribit* Patrit. 1. de Rep. cap. 8. *diſcipulis cibum non præbuiſſe, niſi eum laboribus prius fuerint demeriti.*

Quin & in vagos mendicantes advertitur l. unic. de valid. mendic. C. lib. 11. & Damhud. c. 151. pract. crimin. *refert regiæ Majeſtatis Hiſpaniæ edictum, quo vagabundi mendici ad triremes poſcebantur, vt provinciæ inquit inutilibus & pernitioſis Reipubl. hominibus repurgarentur, quod & Carolus V. & Philippus Reges Hiſpaniæ ſanxerunt* in ſtatutis Mechlin. Anno 1506. editis. *Auguſtus Elector Saxoniæ nullus in ſua ditione mendicus patitur*: In Conſtitut. Saxoniæ pag. 114. *exteris & aliunde adventantibus ocioſis hominibus ne hoſpitia quidem præbet*, pag. 12. *Item Maximilianus Primus, & Albertus Quartus, Dux Bavariæ in Zigaros vel Zigenos, qui Anno 1417. duce Zindelo primum in Germania apparuerunt, prout merebantur, advertit*, Hier. Ziegel. in hiſtor. illuſtr. German. viro. cap. 93. *Poloni quoq́ vagos & otioſos homines, aut graviter plectunt, aut regijs laboribus mancipiant*; Li. 1. Stat. c. 124. 18. c. 16. a. 7. 6. c. 17. a. 6. 7. 9. Li. 3. c. 1. a. 1. *Eos videlicet qui ſuo merito pauperiem patiuntur, laboribusq́ ferendis ſufficiunt.*

Qui

Qui verò imbecilli aut mutilo ſunt corpore, quod nec eos in Noſocomia recipiant, propterea Prilu. Lib. 1. Stat. in com. cap. 20. *meritò taxat illorum inhumanitatem. Nam in Charondæ ll. laudabantur locupletes, qui pauperes reciperent & inſtituendos alijs darent, quod laudabiliter Brugæ inſtitutum memorat* Damhud. cap. 110. num. 5. pract. crim. *quodq; multæ civitates rectè imitatæ ſunt Antwerpium, Amſterdamum, Noriberga, Lubeca &c. ut pauperes & derelictos pueros publicis ſumptibus educarent, ſive ad ſtudia liberalia, ſi ingenium conſentiret, ſive ad alia opificia: ægrotos verò & ſenes in Ptochotrophijs, Gerontrophijs & Noſocomijs alerent. Debet enim Reſpub. communis parentis exemplum ſequi, qui nemini ſuæ benignitatis fores clauſas eſſe ſinit, ſed omnes, pro ſua quemque conditione, ſuſtentat.*

Collegia ad ſtudia inſtituta.

Ad inſtitutiones redimus, quarum privatam Politicus patrifamilias injungit, ſicut & Solon excuſatum volebat eſſe filium, ab alendo patre, niſi ab hoc arte prius didiciſſet: Plutarch. in Solon, *quo verò ſit inſtituenda modo Oeconomicæ relinquit. Ad publicæ verò propagationem collegia inſtituit, in quibus ſtudia excolantur: Cumq; Reipub. interſit quæ ſtudia tractentur, cautum eſt legibus, ne quis ſine autoritate Reipub. nova collegia inſtituat,* l. collegia. 3. ff. de colleg. l. mandatis ff. eodem. l. Neq; 1. ff. Quod cuique univ. l. ſemper. §. Quibuſdam de jur. immun. *plurimaq; conciliabula, quæ ſine SCti autoritate coierant, ſublata memorat* Aſcon. Pæd. in Corn. & Piſon. *Imperatorq;* t. de ſtud. liber. Rom. & Conſt. lib. 11. *vetat Magiſtros privatos ſine conſenſu Reipub. diſcipulos docere, quod jam antea cautum erat de*

privatis ſcholis Rhetorum Sueton. de clar. Rhetor. in pr. Gell. lib. 5. c. 11. *cum etiam ordines Monachorum ſine Papæ autoritate obortos prorſus prohibeat. Gregorius X.* c. uni. in concil. Lugdun.

Inanis autem eſſet collegiorum inſtitutio, niſi poteſtatem quoq; præcipiendi haberent, quia eluderetur, l. mandatum ſ. 1. in fin. de offic. ejus cui mand. jur. *propterea poteſtas facta eſt collegijs de rebus ſuis ſtatuendi.* l. ſodales. ff. de collat. *ſi major pars conſenſerit.* l. 3. de decret. ab ord fac. l. 3. Quod cujuſque univ. l. proxima. ff. eod. *niſi ſtatutum oppugnet leges publicas.* l. ſodal. de collat. *Data eſt etiam poteſtas ſingulos collegas leviter coërcendi,* l. Municipij, ff. de decret. ab ord fac. *aut eijciendi ex collegio refractarios, quod innuit* Cicero Epiſt. 7. lib. 2. *dum ſcribit Mercuriales & Capitolinos M. Furium hominem nequam equitem Romanum è collegio ejeciſſe. Et quidem alijs collegiis de hac poteſtate plus indultum eſt, alijs minus: imprimis liberalium collegiorum Vniverſitatibus, quas Academias hodie vocant Imper. Fridericus* Aut. Habita Ne fil pro patr. *multum conceſſiſſe videtur: quam Aut. qui liberaliter indulta Principum interpretanda contendunt, etiam merum Imperium largiri ſtatuunt.* Accurſ. ad d. Aut. Scipio Gentil lib. 3. de juriſd. c. 17. *Nec enim de juriſdictione dubium eſt, quam Imperator expreſſè nominat, quamq; ad Rectorem delatam oportet, nec Scholaribus à judicio ſeculari exemtis, impunè peccare liceat.* De Academiis.

Sed de mero Imperio nequit plus conferri, quàm Epiſcopis competit, cum & hi loco Rectoris ponantur Iudices. Sed hos à ſanguine prorſus abhorrere conſtat ex c. his 33.

q.1. *Modica tamen coërcitione omnes uti Academias videmus, alias majori, alias minore, ſicut* & §. Iuſtin §. & hæc omnia in procem. ff. Epiſcopis & Profeſſorib. *Berytienſibus in ſtudioſos juris poteſtatem facit. Nec facilè permittunt judicio ſeculari poteſtatem in Scholares capitaliter advertendi. Nam Iaroslaus qui poſtea creatus fuit Archiepiſcopus Gneſnenſis, cum eſſet Rector Academiæ Bonon. totam Academiam ſecum Bononiâ deduxit, quod Magiſtratus Scholarem capite multaſſet.* Cromer. lib. 13. rerum Polon. *Coactus quoq; fuit præfectus urbis Pariſ. duos ſtudioſos, quos ſuſpenderat de furca tollere, mortuos exoſculari & honorificè ſepelire, quod illic de ſcelere ſcholaris cognitio ſit Epiſcopi*, Bodin. 3. de Rep. c.7. Scip. Gent. 3. de juriſd. c. 17. *qui idem nominat Ingolſtad. Oxonien. & Pariſ. Academias, quod jus quoq; gladij poſſideant. Neapolitanæ verò Fridericus II. non amplius privilegium conceſſit, niſi vt in civilibus ſcholares à Magiſtris ſuis judicarentur.* Petrus de vineis lib. 3. Ep 11. *Quantum igitur cuivis ſit indultum Academiæ, ex ſingularum privilegijs diſcendum eſt.*

Studia liberalia præcipua inter cætera.

Cum verò Principum ſit, adeoq; omnis Reipub. collegiis in univerſum proſpicere, imprimis tamen cura eſt habenda ſtudiorum liberalium, ſi Ariſtot. 4. polit. cap. 12. *rectè dixit, ante omnia colenda legumlatori, quæ ad ſalutem Reipub. maximè faciunt, qui & alibi illud* Euripides *uſurpat. Non mihi quæ ſpecioſa, ſed quæ utilia. Nec enim tantum didiciſſe fideliter artes, Emollit mores nec ſinit eſſe feros, qua de cauſa* Beroſ. *ſcribit* lib. 5. *quod Sarron Celtarum rex, vt contineret ferociam hominum, publica literarum ſtudia inſtruxerit: ſed & in his fundatur ſalus* Reipub.

Reipub. Nimirum pulchrè quidam doctiſſimus: eſſet Publica res, inquit, tunc fortunata ſatis, ſi vel reges ſaperent vel regnarent ſapientes, quibus verbis reddidit Prud. *ſymbolum Anton. Imperatoris. Non tantum Iulianus Apoſtata hoc vidit, dum Chriſtianis interdixit literis.* Cyrill. lib. 2. *contra Iulia. aut Habdallas IIX. Arabum princeps, qui Chriſtianos abiiſdem arcuit.* Diacon. in Conſt. Copron. *ſed & Mytilenenſes olim, ſocios à ſe deficientes, maximo damno & infamia affecturi, literarum ſtudium apud eos ſuſtulerunt.* ÆElian. 7. var. hiſt. *Imò & Cyrus Lydios* Iuſtin. lib. 1. *& Xerxes Babylonios multavit literis, una cum armis* Plutarch. in Apopht. *quod in his duobus Rempub. recumbere ſciret, ut docet* Veget. in præf. lib. 1. Comin. lib. 10. bell. Gall. *Quin & Theophilus Imperator Mamunum Arabum principem, Philoſophum inſignem Leonem à ſe petentem repulſam ferre paſſus eſt, ratus, tam utilem & præſtantem theſaurum non eſſe barbaris prodendum.* Zonar. in Michaël.

Proinde Caroli M. admonitionem ex lib. 2. capitularium. c. 5. *audiant præſides Rerumpub. Scholæ, inquit, ad filios & miniſtros inſtruendos vel edocendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis & vobis injunximus, in congruis locis, ubi nec dum perfectum eſt, ad multorum utilitatem & profectum, à vobis ordinari non negligantur. Et meritò* Homf. & ex eo Magin. in deſcri. VValliæ *laudat Cambros, quod nemo tam pauper apud eos ſit, qui non tradat liberos ſuos literis quodam modo inſtituendos. Nec dubitari poteſt, ſi qua felicitate hactenus uſi ſumus, eam multitudini Scholarum magna*

ex parte imputandam, quippe quarum ab Anno 1237. quando prima in Germania fundata eſt Academia Viennæ, viginti in Germania fundatæ ſunt. Cæterum de origine, incremento & progreſſu Academiarum, Item de jure & autoritate earum, quanquam res eſt hujus loci, non patitur nos anguſtia noſtri inſtituti prolixius agere: Poterit eorum loco legi diſputatio Setzeri de Academia.

LIBER SECVNDVS.

DE CORRVPTIONIBVS RERVMP. ET EARVM CVRATIONE.

CAPVT I.

De Corruptione & Converſione Rerump.

QVa de cauſa Gal. ad Thraſyb. c.30. 1. de ſan. tu. c.1. 9. Meth. poſt. med. & Auer. 1. Coll. c.1. *duplicem Medicinæ partem faciunt, videlicet, quod geminis medijs vel conſervemus ſanitatem, vel amiſſam reſtituamus: Eadem nos cogit, Politicam in duas partes tribuere, quarum una, hactenus abſoluta, Rempub. ex partibus ſuis componere rectè docet: altera, cujus ſummam* Ariſt. 5. polit. c.1. *proponit, ad curandas vel prævertendas ejus corruptiones deſtinata eſt. Nam & præſervationem ad curationem ex parte redigit* Galen. 11. Meth. c.2. in fin. & Eraſt. in Epiſt. qua quæritur: An depulſio cauſæ ſit curatio, *demonſtrat. Eſt autem, ſicut in Pathologia Medicorum, ita & in hac parte Politices, primum curationis caput, corruptiones ipſas noſſe, ſicut* Digreſsio & ſumma libri.

 Scip.

Scip. Ammir. lib. 3. diſc. 2. *in cujus principio Politicum, cum Medico comparat, ait: La prima ſufficienza del valente Medico è conoſcer il male, dell' infermo.* Gal. 2. Meth. med. *Proximum, ut cauſas malorum cognitas habeat,* Gal 2. nat. fact. c. 9. *Nam in morbis, qui cauſam conjunctã habent, ſeu continentem, (voco continentem, non quæ ſit ipſe morbus*, ut diſputant Fuchſ. in lib. de cauſ. cont. & Trincav. Ep. 10. Lang. lib. 1. Epiſt. *Sed quam Methodici definiebant*, apud Dioſc. lib. 6. de mat. med. c. 34. *aliiq́ ex antiquis Medicis*, apud Galen. in lib. cont. Iulian: *qua poſita ponitur, ſublata tollitur effectus.* Iohan. Philipp. Ingraſſ. Scegkius, Eraſt. in libell. de cauſ. cont. Valleriola lib. 6. Enarrat. Medicinal.) *Prima & ferè unica indicatio deſumitur à cauſa, ut docet* Gal. 10. Meth. c. 1. 8. Meth. c. 1. Fernel. in lib. Meth. 1. Argent. & Capivac. in lib. de Indicat. *quod &* Lucret. lib. 3. *indicavit, dum negat rectè curari affectus animi, Propterea, cauſas morbi quia non tenet æger. Deniq́, cujus gratia hæc omnia propoſita ſunt, curandi Methodus ſubnectenda: quæ omnia* Ariſt. in pr. 5. polit. *adumbravit, & in toto* 5. polit. *proſecutus eſt. Nam hanc partem præ cæteris diligenter excoluit, quod &* Theophraſtum *feciſſe* Cicero *autor eſt* in fragment. de Republica.

Interitus Rerump. naturalis.

Diſtinguendum autem nobis eſt inter naturalem declinationem ſeu defectum, & inter morbum Reipub. idq́ ductu Medicorum, qui inter morbum & naturalem impotentiam omninò diſtinguere jubent, ridet enim Ariſt. 5. polit c. ult. *Platonem, quod interitus optimæ ſuæ Reip. aliam cauſam non aſſignaſſet, quam quod nihil in ſtatu ſuo manent, ſed ambitu quodam temporis mutaretur, cum hac via omnes aliquando Reſp. peſſum ire neceſſe ſit. Oſtendit*

Galen.

Galen. in lib. de Marasm. & 1. de febr. *in ſenibus humidum radicale, naturali quodam curſu abſumi, unde & Medicum ridet, qui beneficio τῆς ὑγιείας mortem volebat præcavere in æternum, multò magis, ſi reviviſceret*, Paracelſi in Chirurg. M. in Param. & alibi, *conatus riſurus, cum ipſe* Ariſtot 3. Eth. c. *tanquam pro confeſſo ſumat: Hominem non poſſe immortalem eſſe, puta, ſecundum curſum naturalem, de quo Philoſophus loquitur. Certa etenim finis vitæ mortalibus adſtat. Nec devitari letum pote, quin obeamus*, ait Lucret. lib.3. *Vt enim* idem 4. Phyſ. t.117. 5. polit. pag. 493. *docet, &* Themiſt. 4. Phyſ. in Paraphr. t. 117. *pulcrè defendit, non ſecus ac ſi ineptias* Rami 4. Schol. Phyſico. *prævidiſſet, Omnia conſumit tempus, nec quicquam ſtabile eſt ſub Sole*, ſecundum inductionem Eccleſiaſtici, *omniaq́ mortali mutantur lege creata*. Manil. lib. 1. Aſtron. *Hanc igitur theſin ad Reſpub. benè accommodavit* Polyb. lib.6. *Cujusq; ait, corporis, & Reipub. auxeſis quædam eſt ſecundum naturam, deinde vigor, poſtea rurſus diminutio. Expreſſius* Livius lib.2. *Id unum venenum, ea labes civitatibus opulentis reperta, vt magna imperia mortalia eſſent. Ne de cauſa interim dicam, quam in his rerum hunanarum turbis effugere impoſſibile eſt. Nam, vt Annibal teſtatur*, apud Livium lib.30. *Nulla magna civitas diu conſiſtere poteſt, ſi foris hoſtem non habet, domi invenit.*

N. In hoc lib. 5. Ariſt. librum, non per capita, cito, quod in iis ſit magna varietas, ſed paginas, ex editione Victorii cum commẽt.

Præterea verò alius Rebusp. morbus accidit ante ſenium, ſeu violentus, quando præter curſum ætatis vel omninò ſubvertitur, vel in aliam diverſæ ſpeciei mutatur, ſive melior illa ſit, ſive deterior. Utramq; enim mutationem vocat Ariſt. 2. de anim. c.4. *ſed illam perfectivam, hanc corruptivam. Subverſionem Reip. verò, quando aut unà cum*

Everſio Reip.

forma

forma gubernationis populus excinditur, aut in ἀναρχίαν *degenerat.* Ἀναρχίαν *vocat* Ariſt. 5. polit. c.3. & Plut. in vit.Pyrh. *confuſionem Reip. in qua Imperantium & parentium diſcrimen ſublatum eſt. Populus autem extinguitur, quando aut interficitur, ſicut Severus, expugnata Byzanthinorum urbe, ſoloq́ æquata, cives, maximam partem, delevit:* Herod. & Spart. in Seve. *aut quando in ſervitutem abducitur, ſicut idem Severus reliquias Byzanthinorum vendidit, & Veſpaſianus ad ſervitia qua paſſus eſt, quantum Iudæorum excidio ſuperfuit.* Ioſeph. in antiquit. *Qui enim in ſervili ſtatu ſunt, pro nullis habentur.* l.3. §.1. in fi. de cap. min. l.1. §.1. Vnde cogn.

Converſio Reſump.

Cæterum cum Camillus Vejos Romam duceret, & urbem everteret, Livius lib.5. *aut cum Scipio urbem Carthaginem incenderet, Reſp. propterea non peſſumiјt, quia, ut Pompeius dicebat: Non eſt in parietibus Reſpub.* Dion. lib.41. *& Carthaginenſibus erat Reipub. ſalus promiſſa, quam ijs ſervari putabant Romani, licet urbe incenſa.* App. in Lyb. *Tranſplantari enim poteſt una Reſpub. in aliam, ſicut Romani regiones devictas, & in provincias redactas, ſuæ Reipub. tanquam partes inſerebant. Hoc enim modo non in Anarchiam degenerat præſentis formæ corruptio, prout Syracuſis contigit, poſt mortem Dionis,* Plut. in Dion. *aut in regno Feſſæ, ubi poſt mortem Abuſabitis per aliquot annos ſine ll. vixerunt ſubditi:* Leo Af. in hiſt. Afric. *ſed tranſit in unam ex veris Reipub. formis, quas* lib.1.c.7. *declaravimus. Vnde* Bodin. 4. de Rep. c.1. *ſex converſionum ſpecies facit, quod tres ſint Reipub. primæ ſpecies, quarum ſingulæ in duas reliquas abire poſſunt. Nã, quando Monarchiæ una ſpecies in aliam, & unaquæq́ Reſpub.* εἰς τὴν ἐν τῷ αὐτῷ γένει *mutatur, quem modum tangit* Ariſt.

Ariſt. 5. polit. pag. 425. *non mutatur eſſentia Reipubl. ſed qualitas, de qua hoc loco non agimus. Tota verò eſſentia Reipub. non tantum ſex, ſed duodecim, modis convertitur. Trium enim ſimplicium Rerumpub. qualibet in duas ſimplices mutatur, utpote, Monarchia in Ariſtocratiam & Democratiam: Ariſtocratia in Monarchiam & Democratiam: Democratia in Monarchiam & Ariſtocratiam, & unaquaeq; harum praeterea in Rempub. miſtam,* Ariſtot. 5. polit. cap. 1. pag. 423. 428. 429. &c. *quam nos* lib. 1. cap. 8. cum Clapmar. lib. 5. de Arcan. cap. 20. *ab interitu vindicavimus, & haec iterum in tres ſimplices converti poteſt. Unde in ſumma duodecim colliguntur ſpecies mutationum Rerumpub. quarum cauſas porrò inquirere, & ordo* Ariſtotelis, *& ratio curandi praecipit. Nam, quam diu cauſa morbum fovens non tollitur, fruſtrà morbo manum admovemus, ut eſt concors Medicorum ſententia,*

CAPVT II.

De cauſis quibuſdam corruptionum Rerumpub.

QVod in generali noſtra Metaph. lib. 1. part. 2. c. 4. *contra* Argent. 1. de cauſ. morb. & alios, *oſtendimus, occaſionem Veris cauſis innumerandam non eſſe, quia ſua vi morbos producere non valeat*, ut patet 1. in 3. Epid. com. 15. *id in doctrina cauſarum mutationum Rerumpub. rectè quoq; obſervatum videmus* ab Ariſtotele, *qui cum aliquot earum cauſas propoſuiſſet, non poſſe omnes occaſiones ordine & brevibus verbis comprehendi ſciens, illas unico verbo* Occaſiones diſcernendae à cauſis.

 indicaſſe

indicaſſe contentus fuit, dum ait, etiam ex leviſſimis rebus ſæpe conturbari, nec rarò funditus everti Rempub. ſolere, cujus rei exempla quamplurima affert 5. polit. pag. 404. 424. 431. *Syracuſas enim conturbavit duorum adoleſcentum contentio, quorum alter alteri virginem præripuerat: Delphos, quod ſponſus à ſponſæ, quam deſeruerat, cognatis interemtus erat. Doxandrus in Mitylenæos armavit Athenienſes, quod apud Mitylenæi cujusdam Timophanis, filias repulſam paſſus eſſet. Nec gravior ferè fuit belli ſacri cauſa, & Epidamnus everſa, quod pater filium multaret eò, quod ſe inſcio alterius cujusdam civis filiam ſibi deſpondiſſet. Hic enim, omnia iſthæc de contemtu ſuo interpretatus, ſocioſq́; aſſumens cæteros, quibus magiſtratus jam exoſus erat, Rempub. evertit. Simili ratione Apri caput, ſeminarium belli extitit inter Ætolos & Arcadas, inter Pictos & Scotos ereptus canis. Satis leve erat, quod Conſtantinopolitani factiones ſuas diverſo veſtium colore diſtinguebant. Tantæ tamen ſeditionis cauſa extitit, ut Juſtinianum ferè imperio exuiſſet*, Euagr. lib. 4. c. 13. Procop. lib. 1. de bell. Perſ. Nicephor. lib. 17. *Notum eſt* ex Dante Poëta, *quomodo colliſæ fuerint familiæ nobiles Florentinorum, hac una de cauſa, quod Buondelmontius virginem ſibi deſponſatam repudiaſſet. Erat ludicra turris pompoſæ oppugnatio Patavij inſtituta, ubi cum forte fortuna Patavinus Veneto vexillum laceraret, ea res maximum bellum inter Venetos & Pataviunos peperit.* Sigon. lib. 15. hiſtor. Ital. *Atq; ex id genus vel levioribus occaſionibus, magnum ſæpe incendium conflatum eſt, quas tamen, quia totam vim effectus in ſe non continent, pro veris cauſis* Ariſtot. *non numerat, ſed poſtquam admonuit, ſolere interdum ex tam exili principio magnum enaſci infortunium,*

generale

generale remedium, cõtra quaſcunq; tales ſubjunxit, quod quale ſit, paulò poſt oſtenſuri ſumus.

Inter cæteras verò cauſas, nonnulli referunt providentiam divinam & fatum, aſtrorumq; curſum, Item numeros, & alia, quæ generalium cauſarum reſpectum habere vidẽtur. Vnde de ijs, quantum ad noſtrum propoſitum attinent, primo loco agendum putavimus. Et de numeris quidem minùs ſolliciti erimus, quod res obſcuriſſima ſit, adeò, vt & in proverbio de rebus obſcuris numeros Platonicos uſurpare ſoleamus: & quanquam Syrianus, Philo, Beſſarion, Macrobius, Ficinus, *varijs allegoricis interpretationibus ſententiam* Platonis *involvere, aut excuſare, alij aliter nitantur, nunquam tamen numero vim efficiendi attribuent, quippe quem* Ariſt. 13. & 14. Metaph. & 5. polit. pag. 493. *effectiva virtute prorſus deſtitui demonſtrat. Quantitas enim nullam habet efficaciam*, ſicut in comp. Metaph. c. de Efficient. in fi. deduximus. *& apud recentiores Metaphyſicos dubium eſt, utrum numerus ſit in Quantitate, & Ens poſitivum, quod ſi verum eſt, multò minus vim agendi habebit, quia plus, aut ſaltem non minus debet in cauſa eſſe, quam eſt in effectu, vt ait* Procl. in com de an. & dam. *Sed de hoc vide* Fronſec. & Soar. *& nos* in Metaph. c. de Quantit. *eam rem luculenter expoſuimus.* Numeri Platonis.

Quod ad fatum attinet, quæſtionem difficiliorẽ facit, rei & nominis varia interpretatio. Stoicorum n. fatũ, quod Plat. in Phæd. *legem vocat Adraſteam, &* Chryſip. in 4. li. *περὶ προνοίας definit interprete* Gell. li. 6. c. 2. Plut. 1. de plac. c. 26. & in li. de fat. *ſempiternam quandam & indeclinabilem ſeriem rerum, & catenam, volventẽ ſemetipſam ſeſe & implicantẽ per æternos conſequentiæ ordines, ex quib. apta connexaq; eſt, qua etiã* Home. *Iovi manus ligat, ut quanq̃* Fatum.

maximoperè capiat, non poſſit tamen filio opem ferre, meritò reiicimus, cum Aphrodiſ. in lib. de fat. ad Anton. *& cum* Hermete in dial. de piet. & Philoſ. Plotin. En.3.li.1. c.2. En.2. lib.2. c.8. Fici. in lib. de fat. ad Alex. Pico.4. cont. Aſtrol. c.4. Picol. gr. 2. c.34. *per fatum intelligimus providentiam divinam. Qui enim hanc nomine fati intelligit,* ait Auguſtinus 5. de civ. Dei c.1. *linguam mutet, ſed mentem retineat. Definit autem providentiam divinam* Damaſc. 2. orth. fid. c.29. *quod ſit* βούλησις θεοῦ, δι' ἣν πάντα τὰ ὄντα τὴν πρόσφορον διεξαγωγὴν λαμβάνει, *quam definitionem à* Ludovv. Vive *repetitam, neſcio an ſatis firma ratione impugnet* Scalig. ex.ult. ſ. 8. Boëtij *definitio eſt, quod ſit divina ratio, in ſummo omnium principe Deo conſtituta, quæ cuncta diſponat, à qua non multum diſcrepat illa* Apuleij in lib. de dogm. Plat. *Cum igitur hæ definitiones unanimiter declarent, Deum ſua providentia omnia gubernare, quis Chriſtianorum negare velit, eundem res tanti momenti, quales ſunt Regna & Reſpub. maximè ſibi commendatas habere, imprimis, qui legerit illud Samuelis:* 1. Samuel. cap. 15. *Deus regnum tuum tibi ademit, & in proximum contulit, qui te longè eſt melior, aut quod Salomoni dictum fuit:* 1. Reg. 11. *Quia non ſervaſti pactum meum, ſcindam regnum tuum, & ſervo tuo dabo. Quin &* Paulus *ait: Omnis poteſtas eſt à Deo, & Chriſtus ipſe ad Pilatum: Non haberes in me poteſtatem, niſi data tibi eſſet deſuper à patre meo. Imò Ethnicis hoc non fuit prorſus ignotum. Nam M. Antoninus ad Verum collegam ſcripſit de Caſſio: Si divinitus ipſi debetur imperium, non poterimus ipſum interficere, etiamſi velimus. Scis enim proavi tui dictum: Succeſſorem ſuum nullus occidit,* Vulcat. Caſs. in Avid. Caſs. *qua voce jam antea*

Providentia divina.

T. Ve-

T. *Veſpaſianum uſum* Tranq. in ejus vit. *refert, dum inſidiatores ſuos admoneret; Deſiſterent decipulis agere: ſi fato ipſis deberetur imperium, ſi ijs adjumento futurum. Hinc proficiſcuntur vaticinia Prophetarum de futuris regnis, & quæ idem portenderunt, oſtenta plurima. Quanquam enim* Bodin. in Meth. hiſt. 4. Polit. c. 2. in fin. *viſiones Danielis aliter, atq; vulgò ſolent, interpretatur, nullus tamen negat, regnorum viciſſitudines ijs adumbrari. Nimis meherculè & præter rem prolixus eſſem, ſi omnia congerere ſigna & oſtenta vellem, quæ Perdiccæ, Cyro, Dario, Alexandro M. Iulio Cæſari, Auguſto, Diocletiano, Martiano, Theodoſio, Lecho, Zecho, Odoacro, & infinitis alijs futuros honores prædixerunt. Solet enim Deus ſæpè etiam ex Bileami ore veritatem prædicare,* Num. 24. *ſicut Nigidius Figulus, cum Auguſtus natus eſſet, Dominum orbis natum exclamavit,* Dion. in Auguſt. *quod & Cicero de eodem per ſomnium vidit. De Libris Sibyllinis negari non poteſt, quin multa Romanos docuerint, utpote ſe futura expugnatione Vejorum* Plutarch. in Camil. *de deducenda matre Deorum, bello ſecundo punico.* Livius lib. 29. *&c. Lentulus quoq; deſtinatum familiæ ſuæ regnum ex Sibyllinis verſibus vaticinari ſolebat, & de Telepho quodam ſcribit* Suet. in Auguſt. *quod eadem ſpe, tanquam fato ſibi debita, dominationem & Auguſtum & Senatum aggreſſus fuerit. Et quamvis tempore Syllæ Sibyllinos libros conflagratos ſcribat* Solin. c. 8. *tamen* Zonar. in Leon. Armen. *Leonis Imp. & imperium & mortem in ijs præfiguratam fuiſſe teſtatur. Legitur* apud Vincent. lib. 21. hiſt. c. 30. *&* Boët. in hiſt. Scot. *Merlini prophetia, quam* Alanus ab Inſul. *cum commentarijs edidit: Leguntur apud* Philoſtrat. *quam multæ prædictiones: nec non oracula interdum*

vera fuerunt, ſed quorum maximam partem eventus falſam docuit. Creditum quippe fuit, fatalem Romani imperij terminum fuiſſe Cteſiphontem, unde Flav. Vopiſc. in Caro *multorum ſuſpitiones refert, qui Carum fulmine abſumũt credebant, quod fatalem Romanorum terminum ſupergredi auſus fuiſſet. Sed Diocletianus ſine impedimento Aquilas longius protulit, quod cum narraſſet* Pomp. Lęt. in Dioclet. *addit. Plerunq; oracula fallere: id quod etiam* Arrian. Epictet. li. 2. c. 20. *confeſſus eſt: Pythiam, ait, ſciſcitantur, ut falſa audiant, & oracula alijs enarrent. Hanc igitur mutationum cauſam primam, licet accuratiſſimè non pertractet Politicus, ubiq; tamen præſupponit, tanquã à Theologo lucutentius explicatam, cujus hæ ſunt partes primariæ. Politicus enim non poteſt, niſi ex ſua arte cauſas aſſignare, niſi ſaltum facere & terminos ſuos transgredi velit.*

An aſtra ſint ortus & interitus Rerump. cauſæ.

Inveniuntur non pauci, qui Aſtrologiæ nimis dediti, ex poſitu ſtellarum omnes mutationes Rerump. derivant, cujus ſententia & Prudent. *fuiſſe convincitur ex his verſibus* li. poſt ad Symmach. *Urbibus affert, Hora dies q; ſuum, cum primùm mœnia ſurgunt, Aut fatum aut genium cujus moderamine regnent. Non ita quidem omnem oportet nos Aſtrologiam reijcere, ſicut omnes Mathematicos & Magos per SCtum Italia pulſos memorat* Tacit. 2. Annal. *qui jam antea C. Cornelij Hiſpalli prætorio edicto pulſi erant, Anno Urb. 614.* Valer. li. 1. *Et M. Agrippa quoq;, cum ædilis eſſet an. 721.* τοὺς ἀστρολόγους καὶ τοὺς γόητας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασεν. Dion. li. 49. *id quod crebrò poſtea repetitum fuit à Vitellio,* Xiphilin. in vit. Vitel. *& imprimis à poſteriorib. Impp. qui Mathematicos maleficis accenſent.* tit. de Mathem. & malef. C. *quod tum temporis Mathematici vaticinijs maximè incum-*

Quantum aſtris tribuendum.

incumberent, *vt* ex Zonar. Diac. Nicet. Gregor. *abundè patet. Quin & Canones eandem Aſtrologiam damnant*, c. Legimus in fi. diſt. 37. Illud quoq; in fi. 26. q 2. *quod tamen de abuſu Aſtrologiæ intelligendum contendit* Gerhard. Columb. li. 1. de febr. peſtilent. c. 10. *Nam* Ioh. Picus in li. contra Aſtrol. & Franciſ Picus *nimium detrahunt Aſtrologiæ, dum* Iohan. li. 3. c. 4. & 5. *non aliter putat cœlum agere, quam per motum & lumen, quæ &* Averrois *ſententia eſt* in li. de ſubſt. orb. 2. de cœl. t. 42. & Zimar. prop. 45. *cũ tamen multis experimentis, imprimis in facienda Medicina, occultam influentiam probare poſſint*, Concil. in differ. Iambl. de myſt. Aegyp. Plot. En. 2 li. 3. Augen. li. 8. Epiſt. 2. Conimb. 2. de cœl. c. q. a *quorũ opinioni ſubſcribimus quidem, ſed cum limitatione* Thomæ 1. p. q. 115. 3. cont. gent. c. 85. & Scoti in Report. 2. Sent. diſt. 14. q. 3. *quod in corpora naturalia quidem cœli virtus efficax ſit, ſed non in voluntates hominum, niſi quatenus corporis temperamentum ſequuntur.*

Vnde facilè redargui poſſunt Cardanus. Lucas Gauricus, Leovitius *& alij, qui ex Thematib. Genethliacis urbium, fortunam & ætates Rerump. conijcere volunt, Taruntium fortaſſe imitaturi, qui ex geſtis Romanor. natalem urbis ambiguum inveniſſe ſcribitur* à Plut. in vit. Rom. *in quo tamen themate* Ioh. Pic. *multa falſa notat, nonnulla etiam prorſus impoſſibilia. Sed hoc abſurdum eſt, quod ex Vrbis fortuna, Reip. caſus æſtiment, quaſi non poſſit Vrbs tota interire & abſumi, vel undis vel ignis, Reipub. interim ſalva manente.* Leovitii, &c.

Alij ad conjunctiones magnas ſuperiorum Planetarũ mutationes Rerumpub. referunt, vt Petrus de Alliac. *& fortaſſe etiam* Peucerus, qui in li. de divin. *ſpatio quingentorum* Opinio Alliaci & Peuceri.

torum annorum Reſpub. plerunq; convelli ſcribit, cum tamen multæ terminum iſtum ſupergreſſæ fuerint, nonnullæ etiam citius peſſum ierint, & veluti in herba perierint. Conjunctiones verò magnæ, licet Ptolomæo, *eluviones, peſtes, & alia magna mala producant, non tamen ſemper novas Reſpubl. ſecum ferre, aut veteres demoliri deprehenduntur.*

Opinio Copernici.

Copernicus *ad Revolutionem Eccentrici terræ, ortus & interitus Rerumpub. revocat. Sed præterquam, quod triplex ille motus terræ, falsò & contra principia à* Copernico *affingitur, ſicut* in Phyſicis c. de cœlo *monſtravimus, conſtat, ex hypotheſi* Copernici *motum illum regularem eſſe & certum: Sed Rerumpub. converſiones adeò incertæ ſunt, vt multas, priuſquam ferè caput extulerint, ad principia redire videamus, ſicut Anabaptiſtarum nova in Weſtfalia, ſi id nominis meretur, Reſp. eo ferè cecidit die, quo emerſerat.* Münſter.3.Gæogr.

Opinio Cardani.

Cardanus *adhuc aliam cauſam ortus magnorum imperiorum ex aſtris affert, videlicet, quibus extrema ſtella in cauda Helices, Sole meridianum tenente, verticulis fuerit, iјs magnum imperium portendi, qualiter diſpoſitam hanc ſtellam fuiſſe putat, erga prima initia Romæ. Refutat exemplum hoc ſatis rectè* Bodinus: *nobis verò ſufficit, hîc à* Cardano *quærere, ſi ſtella ſic poſita imperium promittit, quare multis aliјs populis, quibus ab eo non tantum verticulis, ſed & perpendicularis extitit, imprimis ſeptentrionalibus, tantum imperium nondum dederint?*

Qui ad cometas referunt.

Aliј Cometis mutationes Rerumpub. aſcribant, vt Mizald. lib. 2. Cometogr. *quod* Aphoriſmus 100. Ptolom. *confirmare videtur: Si effulſerit Cometes in cardine regni alicujus, interibit rex vel magnus aliquis in eo. Sed*

quicquid

quicquid ſit de præſagio Cometæ, quam Poeta nunquam impune viſum pronunciat, cujus præſagij exempla quam plurima affert Iulius Obſeq. in lib. de prodig. Camer. lib. 2. de oſtent. Meurer. in Meteor. c. de Comet. Millich. in 2. Plin. Iohan. Prætorius Ioachimicus in libell. de Comet. *nonnulla quoq; ponit ipſe* Plin lib. 2. *nunquam tamen bella, vt cauſa, ſignificare poteſt. Habet enim naturales cauſas & generationem aliis Meteoris ſimilem, vt* Ariſtot. Olympiodorus, *& alij* in Meteor. *docent, & nos in Phyſicis contra Neotericorum diſputationes aſſeruimus, unde ſterilitatem, ſerenitatem, & peſtem quidem efficere poteſt, bella verò & interitus Reip. minimè. Imò* Scalig. ex. de Com. *exemplis oſtendit, non rarò impunè viſos fuiſſe Cometas, quod ex* Crantzii, Sigeberti, VVidekindi, & Saxonino antiquo Chronico, *imprimis verò ex* Büntingi Brunſwicenſi, Pomarii Magdeburgenſi, Item ex Marchico, & Rivandri Thuringico Chronico *patet, qui nihil ferè niſi cometas narrant, nec tamen ſingulis notabiles rerum mutationes aſcribere poſſunt.*

Evenit ſæpè, cum infortunia affluant omnibus horis, vt malum cum Cometa coincidat, aut paulò poſt ſequatur, quod etiam ſine Cometa ſæpiſſimè obtingit, an idcircò omnis talis eventus cometæ aſcribendus eſt. Si te ambulante fulguraverit, ait Ariſtot. 1. poſt. t. 34. *non quia tu ambulaſti, fulguravit, nec, quia fulguravit, tu ambulaſti, ſed hoc cum illo per accidens coincidit. Non loquor de ſtella quæ ante aliquot annos in Caſſiopeja, & nunc ad pedes Serpentarii, inter ſtellas fixas, apparuit, quod cum Cometis confundi non debeant: nec omnem de Cometis religionem hominum animis exſculptam velim: id tantum aio, non poſſe à Cometis certas Rerump. cauſas acceſſi, cum pauci*

an tranſeant ſine Cometis, Reſpub. vero totæ non intereant, nec renaſcantur.

Quid ad Eclypſes.

De Eclypſibus idem eſt judicium, quas, quia magnorum corporum defectus ob oculos nobis ponunt, de extremo judicio nos admonere CHRISTUS *ipſe voluit, cum tamen cauſas habeant regulares & naturales, non eſt, ut in rebus agendis ab iis nos impediri ſinamus, ſicut Niciæ exercitus internecione deletus fuit, cum eum Niciæ præ metu Eclypſeos inter caſtra continuiſſet:* Plutarch. in Nic. Thuc. lib. 7. *aut ut tantopere ab iis nolis metuamus, ſicut Romanus Papa, contracta ex defectu Solis mœſtitia, mortuus fuiſſe contra ſe ſcribitur,* Sigon. 4 de hiſt. ital. & *Archelaum regem, deficiente Sole ſolet aulam regiam claudere, & filium, quaſi in mœrore moleſtiæ, tondere.* Sen. lib. 5 de benef. c. 6. *Recte enim Pericles, qui cum exercitum ob deliquium Solis conſternatum videret, nequaquam, ut Cleombrotus fecerat,* Herod. li. 9. *eum retroduxit, ſed circumitu ſtationibus, cauſa aperta, & exercitum in officio continuit.* Frontin. lib. 1 c. 12. Quintil. li. 1 c. 10. Valer. li. 8. c. 11. Patrit. 2. de Reſpub. tit. 16. *Noverat enim ex Thaletis qui primus Eclypſium cauſas averterat,* Herod. lib. 1. Cic. 1. de divi. & *Anaxagoræ præceptoris ſui doctrina,* Plin. lib 2 c. 12 *naturaliter accidere non tantum Solis & Lunæ, ſed & aliorum Planetarum Eclypſes, ſi eorum lumen terris eripiatur: quas cauſas Claudius imp. Romæ publicè propoſuit, cum Sol die ejus natali deficeret, ne inde aliquid tumultus oriretur, veritus* Dio lib. 60. *Notum eſt ex* Tacit 2 Annal. *de Druſo & de Sulpitio Gallo ex* Flor. Epit 4. Liv. c. 5. *quomodo exercitum ob Eclypſes conturbatum de ulteriori redditis cauſis naturalibus, & oſtenſo, quod nihil inde ſibi metuendum eſſet. Quo ſeſe ſophiſmate Colonus, Eclypſi Lunæ erga Americanos abuſus fuerit,* ex hiſt. Ind. *patet.* Quid

Quid igitur de aſtrorum inclinatione dicemus? cum enim voluntates hominum, unde corruptiones Rerumpub. originem ducunt, non ſint efficaciæ, & ſi quicquam efficiant, à ſapiente tamen prævideri & impediri poſſint, cum ſapiens dominetur aſtris? Numquid ſicut Caſſius, cum à Craſſo vetaretur Parthis bellum inferre, priuſquam Sol Scorpii ſidus evaſiſſet: Non, inquit, Scorpiones metuo, ſed Sagittarios, ad Parthos alludens, quorum ſagittis Craſſus erat obrutus, Plutarch. in Craſſ. *ſimulq; oſtendens, cauſarum proximarum ſibi rationem habendam, & non remotarum quibus proxime motum imponunt: Ita Politico non aſtrorum curſus reſpiciendi ſunt primariò, ſed, quæ ex ſua diſciplina derivantur, cauſæ proximæ. Nam cum Manuel Comnenus cum Siculis confligere nollet, niſi proclivi ſiderum poſitu prius obſervato, tandem Conſtantinum ducem in aciem prodire juſſit, quod ſidera conſentire viderentur, quo effecit, ut amiſſis copiis, dux ipſe caperetur.* Nicet. 2. Ann. Manuel. *Quapropter* Sibylla lib.3. oracul. extantium *de bonis hominibus ait: quod* οὔτε ἠελίου κύκλου δρόμον, *neque* σελήνης *curent*, οὐδὲ τὰ χθονὸς τέρατα, μάντια ἀστρολογοῦσι, οὐδὲ μὲν ἐρευνῶσι, τὰ γὰρ ταῦτα πέφυκεν.

Ὥστε μὲν ἄφρονες ἄνδρες ἐρευνῶσι κατ' ἦμαρ ψυχὰς γυμνάζοντες ἐς οὐδὲν χρήσιμον ἔργον.

CAPVT III.
De cauſis Mutationum Spontanearum & per fallaciam.

Duplex mutatio à duabus cauſis.

VT igitur ad cauſas proximas & Politicas, quæ ſunt hujus loci, deſcendamus, ſciendum eſt ex Plat. 5. de Rep. Ariſt. 5. polit. 433. 467. *duplices cauſas eſſe, externas & internas, quam diviſionem ſequitur &* Polyb. lib. 11. *dum ait: Inteſtinos hoſtes difficilius vitari, quam externos, &* Livius lib. 3. *ubi vocem Annibalis refert: Nulla magna civitas diu conſiſtere poteſt, ſi foris hoſtem non habet, domi invenit. De inteſtinis, ductu* Ariſtot. *agemus prius. Triplici autem modo ex internis cauſis corrumpantur Reſp. vel per vim, vel per fallaciam quos duos modos ponit* Ariſtot. 5. polit. pag. 410. *vel deniq; ſponte & cum gratia tum Imperantium, tum Parentium. Id quod fit uno modo, per deditionem, utpote, quando Campani, à Samnitibus in anguſtum coacti, in Romanorum fidem & civitatem ſe recipiunt,* Livius lib. 7. *cujus deditionis duo illuſtria exempla* apud Livium *habentur, Campanorum* lib. 7. *& Collatinorum* lib. 1. Alciat. lib. 1. parerg. c. 14. *Aliter per indulgentiam eorum, qui Reipub. poteſtatem in manu habent, quod tamen rarè admodum accidere* Ariſtot. 4. polit. c. 11. *credit, ubi & recordatur, unum tantum ex principibus inventum, cui perſuaderi potuerit, ut loco regio cederet: Cadmum fortaſſe intelligens, qui patriam Tyrannidem in Co mutavit in Democratiam.* Herod. lib. 7. *Nihil enim eſt dulcius, quàm imperare, ut Selymus I. dicere ſolitus fuit.* Fal. in ejus vit. *& Antonodorum à conſilio deponendi Ty-*

Mutatio, quæ fit ſponte.

di Tyrannidem, dehortata eſt Democratis uxor, admonens ipſum uſurpatæ à Dionyſio vocis, qua pedibus tractum, non inſidentem equo, relinquere Tyrannidem dixerit oportere. Victor. ad 5. polit. pag. 473. *Et quanquam Auguſtus populo regnum reddere vellet, levi tamen ratione perſuaſus, animum mutavit.* Sueton. in Aug. *Tiberium quoque ab initio dubitaſſe, utrum retineret ſibi imperium, vel patribus reſignaret,* Tacit. 1. Annal. *autor eſt, ſed dulce lo imperij prævaluit. Invenimus nihilominus* apud AElian. lib 6. variar. *Gelonis Imeræi exemplum, qui devictis Carthaginenſibus & tota Sicilia, in forum proceſſit nudus, dixitque, e civibus ſuis principatum* ἀποδιδόναι Camer. 4. polit. c. 11. *Poſt tempora Ariſtotelis Ariſtanus* apud Livium lib. 34. *Nabidi in memoriam revocat multos Tyrannos, qui depoſita Tyrannide, honoratam inter cives vitam egerint.*

Noſtro tempore, Andreas Auria, cum patriã Genuã ad pacem compoſuiſſet, principatum, qui ipſi offerebatur, maluit, vt ipſe loquebatur, patriæ dono dedicare. Iov. lib. 34. *Multi quidem regum aut principum, vel propter metum, vel propter onus imperij, vel vt religioſiorem vitam capeſſerent, vel etiam defeſſi, ab imperijs abierunt, quorum catalogum vel* apud Tholoſan. lib 26. de Repub. c. 1. 2. & 3. *legere licet, ſed quia Reſpub. non mutarunt, ad hunc locum minimè quadrant. Nec in Monarchijs ea mutatio tantum locum habuit, ſed, in aliis Rerumpub. formis. Nam Mitylenæorum Democratia in Monarchiam mutata fuit, cum Pyttaco Æſymnetæ ſummam omnium rerum committerent,* Ariſtot. 3. polit. c. 10. Laërt. In Pittac. *& Venetorum in Ariſtocratiam, cum Tribunis, mox in Monarchiam, cum Duci Rempub. in manum traderent, de quo diximus* lib. 1. c. 8. ex Ianott. & Volater. de Repub. Venet. *Duodecim s*

Palatinorum in Polonia teſtatur M., *qui poſt interitum Vandæ, centum annos*, ut ... Michov. lib. 1. Chron, *rebus præfuerant, in regnum ...*, *cum uni Premiſlao ſe ſubjicerent, qui ſua prudentia Alexandri M. exercitum*, ut errat Vincent. *aut Moravorum & Vngarorum cohortes*, ut rectius Dlugoſſus autumat, *compreſſerat, id quod iterum in eodem regno contigit, cum proceres, niſi in unius manu Remp. conſiſtere non poſſe videntes, per 200 & amplius annos intermiſſum regnum Premiſlo redderent*, Cromer. lib. 11.

Planè itaque cum indulgentia Principum concurrit error eorum qui ... eligendorum, idque potiſſimùm, ubi electio nuda eſt, aut pura, non cum ſucceſſione temperata. Qui enim ita ad principatum evehuntur, priuſquam eos ſibi elaborent, vel ut eos in ſtirpe ſua propagent, quam multum de jure ſuo remittere coguntur, ne ambitu & ſpe ſua excidant, nec cogitant interim, quod hac via, interdum ſeipſos, ſed ſucceſſores ſine dubio ſolida poteſtate privent, prout in Lacedæmoniorum, Germanorum, Venetorum, & Polonorum Rebuſpub. clarè videre eſt. Nam cum Theopompus, ut volunt Ariſtot. 5. polit. pag. 473. & Plutarch in Lycurg. *Ephororum Magiſtratum inſtitueret, ut regnum ſibi firmius faceret, quantumvis admonitus ab uxore, ne liberis regnum ea facilitate perderet, brevi effecit totam Rempub. ſui juris, ſuis certè ſucceſſoribus præter honorem regium nihil reliquit, ut retrò declaravimus.*

In imperio Germanorum Carolus Quartus, ut Wenceſlao filio jus ſuccedendi emeret, multa de jure Imperatoris Electoribus conceſſit, Cuſpin. in Cæſar. *ſicut & apud Polonos Ludowicus Vngarus, ut uni ex filiabus*, Lib. 1. Stat. Polon. c. 2. a. 1. *& Iagello, ut uni ex filiis regnum*

ecliu

relinqueret. Cromer. lib. 19. & Sebaſtianus Cyanus apud Venetos, cum Senatoribus ſummam majeſtatis diviſit, ex quo ſenſim Monarchiæ delapſæ ſunt, aut in mixtas, aut in puras Ariſtocratias, perinde, ſicut ex indulgentia unius Valerij, omnis poteſtas patribus Romanis erepta, & paulatim ad plebem deducta fuit. Livius lib 2. Plutarch. in Public. Poſſunt hi igitur, & ſoliti ſunt jam diu ſubditi, ſophiſtica quadam fallacia uti, ut non admittant ad imperium, niſi certis legibus circumſcriptum, quas non facilè aſpernaturus eſt, qui præter electionem nullum regnandi jus habet. Si enim hæ leges de anno in annum acuantur, & ſenſim particulæ majeſtatis, una poſt aliam accerſantur, ita ut tota majeſtas uno ictu præcidi non ſentiatur, verè Sophiſticôs proceditur ad poteſtatem unius minuendam.

Ita Veneti, mortuo Auguſtino Barbarino duce, cujus laxior fuerat potentia, anguſtioribus terminis ſucceſſores illigarunt. Sabell. in hiſt. Venet. Ita Danorum Ariſtocratia tum maximè incrementa ſumſit, cum abdicato Chriſtierno, Fridericum juratum, & novis arctioribusque legibus circumſcriptum ſubſtituerent. Articul. in quos Feder. juravit. Carolo Quinto tantò graviores leges poſuerunt Germani, quantò ad imperium minus juris habebat. Sleidanus lib. 1. Poloni, quoties peregrinos reges acceperunt, toties juramenta & leges regni acuerunt, ut in Ludowico Ungariæ, Wenceslao Bohemiæ, Jagellone Lituan. & noſtro tempore in Henrico Gallo patuit, quod & Angli in Philippo Hiſpano, & Galli in Henrico Quinto, Anglo obſervarunt. Neminem enim facilè putarunt quaſcunque conditiones recuſaturum, cui ſine iis Repub. exulare liceret.

Per fallaciam putat Ariſtot. mutari Reſp. quando vulgo, Mutatio per fallaciam.

vulgo, vel univerſo populo tam callidè imponitur, ut, quod fit, fieri non ſentiat, quam fallaciam Ariſtot. 4. & 5. polit. vocat σόφισμα, & Tacitus arcana imperii, ut poſt dicemus Platonis enim & Xenophont. dictum eſt: Magiſtratibus non aliter, quàm Medicis erga pueros & ægrotos, interdum mentiri licere, quem dolum, ſi ad bonum finem dirigatur, Bonum ICti vocant, ſi verò ad malum, fallaciam hic nominamus. Et Solon quidem cum reformationem Reipub. animo moliretur, ambiguis promiſſis voluit animos civium primùm præoccupare. Cum enim æquales ſe laturum leges ſponderet, non minus vulgi, quam τ͂ εὐπατρῶν animos pellexit, quod hi Geometricam, illi Arithmeticam æqualitatem ſperarent. Plutarch in Solo. Lycurgus verò à populo obtinuit juramentum, ſe ſervaturum leges ipſius, donec ab Apollinis oraculo earum confirmationem afferret. Interim ivit in exilium, nec unquam Spartam rediit, ut ſuis legibus cives perpetuò obligati manerent. Plutarch in Lycurg. Facilius ea ratione uterq; mutavit ſtatum Reip. quam ſi vi uti voluiſſent, ſicut Agis poſtea & Cleomenes, fruſtra tentarunt. Plutarch. in Agid. & Cleom. Nam ubi Leonina pellis nihil efficit, Vulpina induenda eſt, ut fertur vox Lyſandri. Probus & Plutarch. in Lyſandr. Piſiſtratus hac fraude, non tantum ſine ſanguine obtinuit, ſed & pacificam ſervavit Tyrannidem, quod in judicium ſe duci pateretur, Ariſtot. 5. polit. c. 490. & ad Solonem humaniter ſcriberet, ſe nec ex libertate populi, nec ex legibus ejus quicquam immutare. Laërt. in Solon. Cæſar quoque, quod plebi ſe familiariſſimum faceret, & Auguſtus, quod ſe ejus tribunum vocaret, Tacit. lib. 1. Annal. & Tiberius, quod pleraq; à patribus ſine provocatione decidi pateretur, Tacit. ibid. & libb. ſeqq. Poteſtates ſibi acquiſiverunt,

runt, idq́; arcanum patefecit Ariſtot. 5. polit. pag. 450. *ubi docet: Qui plebi imponere voluerit, illi non eſſe ſolito juramento utendum:* τῷ δήμῳ κακόνους ἔσομαι, καὶ βουλεύσω, ὅτι ἂν ἔχω, κακόν. *Plebs enim illi ſe non committat, omniaq́; ejus acta ſuſpecta habebit, ſed tali ſermone utendum putat:* οὐκ ἀδικήσω τὸν δῆμον. *Sic enim, poſtquam ſibi fidem plebis elaboravit, ubi volet, auribus eam ducere poteſt. Omitto fraudes, quibus Clearchus Heracleota, patriæ libertatem eripuit:* Poliæn. lib. 2. Stratag. *item quibus Mahometh, & poſtmodum ejus ductu, Iſmaël Sophi, & Seriffij integra regna occuparunt: Item, quibus Iohannes Vicentinus Monachus Bononienſium Tyrannidem in ſe tranſtulit,* Fulgoſ. lib. 1. cap. 1. *cum id genus exempla paſſim apud omnes hiſtorias occurrant, & nobis infra ad ea ſit redeundum, quandoquidem cum vi fallacia plerumq; miſceri, aut eam præcedere ſoleat: Et nunc ad tertium modum progredimur, quando per vim internam Reſpubl. concutiuntur.*

CAPVT IV.
De cauſis mutationum per vim internam.

*D*Eniq; naſcitur in medio Reipub. malum, quod etiam optimæ Reſpub. perſenſerunt, nimirum ſeditio, certum interituræ Reipub. argumentum, aut à ſeipſa, aut per vim externam ſupervenientem. Dum enim Ancini & Ardeates de agro rixantur, populus Romanus eum ſibi adjudicat. Plinius lib.3. *Dum Robertus Bruſſius & Balliolus de regno Scotiæ contendunt, Eduardus Anglus illud ſibi pro feudo vendicat,* Buchan.lib.8. *Ita, licet diſſenſio ipſa civium, Reipub. mortem non afferat, aperit tamen viam eam occupandi potentioribus Principibus, qui in eum finem inimicitias, inter potentiores Reſpub. ſerere & alere ſolent, donec mutuis diſcordiis attritas vires ſine negocio occupent. vt docet* Ariſtot.5.polit. pag.476. *inter Sophiſmata Tyrannorum. Unde* Tac.in Agric. *ait: Nihil principi adverſus ſubditos utilius, quàm ſi in commune non conſulant, id eſt, ſi factionibus ſeparentur. Apud* Cicero 2. de orat. *Craſſus commendat ſeditiones tanquam Reipub. utiles & neceſſarias, quas etiam probat* Machiav. 1.diſc.c.4. *quod inde bonæ naſcantur leges, vt &* Cyr.Sponto. part. 3. cordel principe. *Sed committunt fallaciam accidentis, vt oſtendunt* Scipion. Amm. lib.2. diſc.11. Antimach. lib.3. theor.31. *Perinde enim faciunt, ac ſi quis ſcelera laudet, quod bonis legibus cauſam præbeant. Sicut enim ante morbos neceſſe eſt cognitos eſſe, quam remedia eorum: Ita cupiditates prius natæ ſunt, quam ll., quæ ijs modum facerent, vt ait Cato* apud Livium lib.34. *Oratorum quippe licentia*

An diſcordia utilis ſit Rep.

licentia Ciniam rogationem: Candidatorum ambitus leges Iulias: Magiſtratuum avaritia Calphurnias leges pepererunt: Tacit.15. Annal. *& idem* Tacit 3. Annal. *ait: Corruptiſſimâ Repub. plurimæ leges. Pari modo quartanam commendabant nonnulli* apud Gellium & Langium in Epiſt. Medicin. *quod interdum ad incurabiles morbos proficeret, quam tamen in ſua natura morbum eſſe, & vitæ temperieiq; inimicam negari non poteſt. Nec enim melius ſe habet ſeditio vel diſſenſio in Repub. quam morbus in corpore, cum ſatis virium habeat, ad diſſolvendam quamcunq; Rempub. in qua radices egit, niſi præveniatur. Quid enim Barchina & huic oppoſita factio apud Carthaginenſes,* Livius lib.21. Plut. in Hannib. *plebis & patrum apud Roman. Gibellinorum & Guelphorum apud Italos,* Sigon. in hiſt. Ital. *Mediceorum & Soderin: apud Florentinos,* Quicciard. in hiſt. *Partialitates domorum Leucaſtri & de Lortz apud Anglos,* Polyd. Virg. lib.24. *Aureliorum & Burgund. apud Francos aliæq; in alijs Rebuſp. diſcordiæ effecerint, abundè patet, & ipſe* Machiav. lib.3. diſc.27. *falſitatis convincere annititur, quod vulgò credi & dici ſolet, melius ſub imperio conſervari poſſe civitatem ſeditioſam, quàm concordem, quia diſcordiarum ſemina ſæpe in Principem Rempub. conijciuntur, & ingruente bello, altera pars, quam Reſpub. deſtituit, ad hoſtes abit. Vbi manifeſtò præſupponit, malum eſſe, ſi Princeps Reſpub. ſeditionibus inferioris Reipub. inflammetur. Quid ni enim hoc malum ſit, quod fundamentum Rerumpub. adeoq; omnium rerum videlicet concordiam, convellit. Non alia de cauſa tantoperè improbat multorum imperia* Herodotus lib. 3. *niſi quod inter multos facilius odia gliſcant, unde primùm ſeditiones, mox cædes, & deniq; certus Rerump. interitus*

Mm 2 *ſequitur*

ſequitur. Et Ariſtot. 5. polit. pag. 390. populi dominatum ſtabiliorem putat, quam paucorum, quod hic duplex incidere poſſit diſcordia, dominantium, tùm inter ſe, tùm contra plebem, illic verò ſimplex tantum ſit, videlicet plebis contra optimates.

Nam idem Ariſtot. 5. polit. inter cauſas, ex quibus peculiariter mutatur Ariſtocratia, numerat diſcordiam optimatum, quam Livius rectè venenum Rerumpub. vocat & Ariſtot. 16. pag. 418. ait: ἀσθενὲς τὸ στασιάζον. Catonis prudentiæ aſſcribimus, quod leves oppoſitiunculas vel ſuſpiciones potius inter ſervos aluerit, ut ſe mutuò timerent, ſed magiſtratuum alia eſt ratio, in quorum manu ponuntur conſilia Reipub. dum interim ſervi ſummam rei familiaris non gubernant, ſed ſi quid peccarint à patrefamilias in ordinem rediguntur: alia longè ratio eſt in optimatibus, quorum diſcordias nullius, qui ſit ſuperior, poteſtas coërcere poteſt. Nec ipſe deniq; Cato apertas inimicitias cum poteſtate nocendi in ſua œconomia toleraſſet, quippe univerſam domum ſecura ruituras, perinde ut Camillus & Manlius, Livius lib. 6. Sylla & Marius, Plut. in hor. vit. Cæſar & Pompeius, Themiſtocles & Euribiades, Herod. lib. 8. inter ſe cum periculo Reipub. contenderunt, & Sturm. dial. 1. de bell. Turc. per longam hiſtoriarum ſeriem demonſtrat Principum Europæ diſcordias præbuiſſe poteſtati Turcarum ſatis magnum incrementum. Ex quo patet veritas dicti Ariſtot. 5. polit. pag. 422. qui ait: ὁμονοοῦσα ἡ ὀλιγαρχία οὐκ εὐδιάφθορος ἐξ αὐτῆς, quod Quintius in oratione ad Græcos paulò ſecius expreſſit: Adverſus conſentientes nec rex quiſquam ſatis validus, nec Tyrannus eſt: diſcordia & ſeditio omnia oportuna inſidiantibus faciunt, Livius lib. 34. & Agath. lib. 1. cum recenſu.

cenſuiſſet, Francorũ dominationem ſola primatum concordia ſtabilitam fuiſſe, addit ἡ δικαιοσύνη & amicitia conſervat omnes magnas Reſpub. facitq́ hoſtibus inexpugnabiles. Nam de Thracibus ſcribit Herod. lib. 5. *Inexpugnabiles futuros, ſi unius imperio regerentur, aut omnes idem ſentirent, quod de Græcis ſine controverſia dici potuiſſet, quocirca optimi quiq; Principes, quibus cum iis negotium fuit, ſtabilimentum hoc ante verterunt, & diſſenſiones inter illos vel ſeminarunt, vel gliſcentes aluerunt, ut Artoxerxes,* Polyen. lib. 7. *mox Philippus,* Iuſtin. lib. 8. *& deniq; Romani.* Herodit. lib. 5. *Quin inter ipſos Athenienſes Piſander hac ratione Tyrannidem ædificavit, quod alterum alteri ſuſpectum feciſſet.* Thucyd. lib. 8. *Id conſilij imitatus eſt Cæſar, qui inter Arvernos & Æduos tam diu inimicitias aluit, donec utroſq; ſibi ſubijceret,* Cæſar. lib. 1. & 6. *& poſt eum Druſus non leve decus quæſivit, inliciens Germanos ad diſcordias, utq; fracto Maroboduo usq; in exitium inſiſteretur.* Tacit. 2. Annal. *nec Iuſtinianus invenit aptius ſeditioni remedium, quam ut autores ejus corrumperet & partim ad ſe tractos, ab aliis diſſentire faceret:* Zonar. in Iuſt. *quo eodem arcano Appius putavit tribunitiam poteſtatem ſolvendam eſſe, quod & factum eſt. Non longè eſt, quod pari ratione Pontifex quidam, Columniorum & Urſinorum controverſias, mira ſimulatione aleret, modo his, modo illis favens, & occultè utriſq; pecuniam, & arma ſummittens, ut mutuis attriti cladibus, ab ipſo demum, ſine negotio delerentur.* Iov. in Columb.

Atq; hoc adeò verum eſt, ut & malitiæ conſervandæ ſerviat concordia, ſicut Livius lib. 3. *ſcribit: Xvirorum imperium ſola eorum concordia ſervatum fuiſſe. Cauſæ autem, quare potiſſimùm lites movere ſolent optimates, ab*

Ariſtot. *referuntur. Primùm excluſio multorum nobilium à magiſtratibus, ad quos æqualiter, vtpote qui ſe æquales putant, admitti volunt.* μόνον γὰρ μόνιμον, ait Ariſtot. 5. polit. pag. 427. τὸ κατ' ἀξίαν ἴσον; καὶ τὸ ἔχειν τὰ αὑτῶν *Nam Chore, Dathan, Abiron contra Moſen tumultuati, quod ipſi multos honores participarent*: Numer. cap. 16. *& Iſtrorum ſtatus prorſus popularis per contentiones optimatum factus eſt, ſicut & Cnidiorum, quorum patritiorum illi, qui excludebantur, applicuerunt ſe plebi, & Aſtriſtocratiam ejus ope everterunt*, ut refert Ariſtot. *Vnde rectè Cato, quoties eundem magiſtratum ſæpè refici videbat, hanc cauſam ingeminabat, eamq́ Septimo Marij Conſulatui ejus inimici exprobrarunt, & Aſinius Gallus ex eadem diſſuadet magiſtratuum ultra quinquennium prorogationem*, apud Tacit. 2. Annal. *Deinde commoventur contra ſe optimates per adulatores, qualis fuit Charicles inter 30. & Phrynicus inter 400. Tyrannos Athenienſium. Auget enim animum adulatio, ſicut de Demetrio ſcribit* Plutarch. in Demet. *quod aliàs per ſe parum ſanus, penitus corruptus ſit, cum populus Athenienſis ipſi divinos honores aſſignaret. Peccatum in hac parte eſt à L. Flacco, qui juſſit omnia Syllæ rata eſſe*: Cicero 3. de ll. *à Gabio, qui Pompeium omnibus ll. exolvit*, Plutarch. in Pomp. *& ab Antonio, qui Cæſari regiam coronam impoſuit.* Plutarch. in Cæſ. *Imò* Sueton. *autor eſt aſtitiſſe Cæſari adulatorem, eumq́ retraxiſſe, ne Senatui aſſurgeret, ex quo primùm odium ſibi Cæſar contraxit.*

Cum igitur diſcordia, ſeu ſeditio, (Quæ enim inter familiares inimicitia incidit, ſeditio quæ inter extraneos, bellum vocatur. Plato 5. de Repub. *) tam ſit Rebuſp. noxia, ejus porrò cauſas inquiremus, quarum Vndecim* Ariſtot. 5. polit.

polit. *in genere recenſet, ordine nobis quoq; explicandas, ſimulq; ad ſtatus ſingulos in ſpecie accommodandas.*

Primo loco nominat Ariſtot. *honorem nimium, uni aut pluribus exhibitum, & reliquis denegatum, qui propterea ad invidiam commoventur, mox æmulantur, & odium concipiunt, deniq; apertis fraudibus inſectantur. Quò facit, quod* Ariſtot. *dixerat* 3.polit.cap.7. *Cum multitudo inopum ab honoribus excluſa eſt, eam Rempub. oportet eſſe plenam hoſtium. Cum enim omnibus inſideat hæc opinio, ex qua & Cyrus judicabat* apud Xenoph. in Cyrop. *Æqualia tribuenda eſſe æqualibus, atq; ex natura ductu didicerint, quod* Ariſtot. *tradit* 3.polit.cap.3. 6. polit.cap.2. 5.polit.cap. 2. & pag. 429. *non conſervari civitates, niſi æqualitate, non nihil cauſæ videntur habere, quare honoratiſſimis quibusq; detractum cupiant, imprimis, cum ea ſit ſummi honoris natura, ut invidiam comitem habeat. Sicut enim Cantharides maximè læto tritico innaſcuntur:* Plinius lib. 11. cap 35. *ita Summa petit livor, perflant altiſſima venti.* Ovidius 1. de remed. amor. *Unde &* Senec.in Med. *ait: Ars prima regni eſt, poſſe invidiam pati: &* Ariſtot.5. polit. pag. 459. *coarctat hanc cauſam potiſſimùm ad Tyrannũ, quem eò plures oportet inimicos pati, quò in majori dignitatis culmine, & non ſine injuria aliorum reſidet, quanquam & in liberis Rebuſpub. invidia ſummis honoribus nequaquam parcit. Ita enim cum omnibus ferè hominibus comparatum putat* Dion.Caſ. li. 45. *ut potentiſſimum quemq; demoliri ſtuderent: & Auguſtus dicebat: cum omnia quæ præclara ſunt, tum imprimis ſummum Imperium cum invidia conjunctum eſt.* Dio. in Auguſt. Prima cauſa corruptionis.

Apud Thebanos enim Manaclides ex invidia conſtituit

tuit ſe adverſarium Epaminondæ in adminiſtranda Rep. Prob. in Epaminond. *imò univerſus populus hunc ipſum inter Gregarios milites redegit, quod ad invidiam uſq; ob Leuctricam victoriam honoraretur.* Pauſan. in Bæot. *De priſcis Romanis ſcribit* Livius lib 2. *Sine obtrectatione gloriæ alienæ tunc vivebatur; Hi tamen Camillum ex invidia, quod equis albis triumphaſſet, exilio multarunt.* Liv. lib. 5. Machiav. lib. 3. diſc. 23. *Quid M. Manlius? nullam ſeditionis cauſam habebat, niſi quod Furio invideret, eximio ſimul honoribus & virtutibus viro ægrè ferebat,* ait Livius lib. 6. *Solum eum in magiſtratibus, ſolum apud exercitus eſſe; tantum jam eminere, ut iÿſdem auſpitiÿs creatos, non pro collegis, ſed pro miniſtris habeat. &c.* *Cato oppoſuit ſe Scipioni ex eadem cauſa. Nam inquiebat: Tanquam umbræ volitant aliÿ, ſolus ſapit iſte.* Plut. in lib. de ger. Repub. *& Cæſar, ſi* Ciceroni pro Ligar. *credimus, hinc ſumſit occaſionem Pompeium bello petendi, quod hunc perpetuis honoribus onerari, ſibi verò repulſam parari videret, quanquam idem* Cicero in Epiſt. ad Attic. *cauſam iſtam Cæſarem quidem prætexuiſſe dicit, veram tamen fuiſſe occaſionem negat. Maximus ſeditionem movit Gratiano & Theodoſio, non quod eos regnare nollet, ſed quod Theodoſium à Gratiano ubiq; præferri, ſe verò in infimo ordine relinqui doleret.* Zoſim. in Grat.

Secunda cauſa. *Eadem invidia ſecundam quoq; cauſam continet, ſed ex alio fundamento derivata, videlicet à divitiÿs, quæ perinde hominum oculos perſtringunt, ut honores. Nam,* ut ait Seneca, *facilius eſt pauperi contemtum effugere, quàm dividi invidiam. Nec facilè pauperes alieni æquis oculis opulentum intuentur fortunam,* ut ait Prob. in Chabr.

Tertia

Tertia cauſa Ariſtoteli *eſt* ὑπεροχὴ, *quæ Rebuſp. minitatur interitum, non tantum, quod potentiæ nimiæ invideatur, ſed quia nimia potentia liberis Rebuſp. ſuſpecta eſſe ſolet, imò & Monarchicis. Nec enim hac via tantum Syracuſæ occupatæ fuerunt ab Agathocle, Dionyſio. &c. aut Cyprus ab Evagora, Athenæ à Piſiſtrato, Verona à Scaligero, Mediolanum à Sfortia, Florentia à Mediceis, ſed & multis Monarchis imperium ereptum, aut ſaltem maximis motibus agitatum fuit. Omnes enim hi Imperatoribus arma intentarunt, aut etiam intulerunt, quod ab iiſdem nimia potentia armati prius fuerant, Sejanus Tiberio,* Tacit 4, Annal. *Ottho Galbæ,* Plutarch. in Otth. *Caſperius Ælianus Nervæ,* Vict, in Nerv. *Caſſius Antonino,* Capit. & Dion. in Marc. *Perennis Commodo*, Herod. in Com. *Maximinus Alexandro,* Lamprid. in Alex. *Philippus Gordiano.* Capit. in Gord. Iun. *Æmilianus Gallo*, Zoſim. & Let. in Gall. *Ingebus, Lollianus, Aureolus &c. Gallieno.* Pollio in 30. Tyrann. *Magnentius Conſtantio,* Zoſim. in Conſt. *Maximus Gratiano.* Zoſim. in Grat. *Arbogaſtes Valentiniano,* Zoſim. in Theod. *Ruffinus Arcadio, Stilico Honorico,* Zonar. in Arcad. *Et vix leguntur poſtremi Imperatores alia via de imperio præcipitati, quam per nimiam potentiam ducum exercitus. Qui enim arma in manu habent, eorum arbitrij* ait Ariſtot. 7. polit. c. 9. *eſſe, ut maneat vel non maneat Reſpub. Mortuo Marciano unus Aſparis tantæ potentiæ fuit, ut ſolus Leonem ad imperium evehere potuerit.* Zonar. & Diac. in Leon. *Mauritium Phocas, Phocam Heraclius, Iuſtinianum II. Leontius, Theodoſium Adramyttenum Leo Iſaurius, Irenem Nicephorus, Michaëlem Curopalatem, Leo Armenius, Conſtantiorum Romanus Lacapenus, Romanum Puerum Nicephorus Phocas.* Tertia cauſa.

cas, hunc Iohannes Zimiſces, Michaëlem Stratioticũ Iſaac Comnenus, Michaëlẽ Ducæ filium Nicephorus Botoniates, hunc Alexius Comnenus imperio exuit, eaq́ fallacia duravit uſq; ad imperij everſionem, ut ex Zonar. Cedren. Diac. Nicet. Grego. patet. *Poſſem per ſeriem temporum & hiſtoriarum uſq; ad noſtra tempora oſtendere, quam meritò Rebusp. unius hominis excedens poteſtas timeri deberet, niſi* li. 1. c. de Magiſt. *jam aliquid de hac re monuiſſem. Noſtra ætate, non ita pridem Rex Peguſinus regno Tangu exutus fuit à vicario vel prorege, cui nimis licenter iſtud regnum adminiſtrandum dederat.* Boter. lib. 2. Coſmograph. part. 2.

Quarta cauſa. *Affinis huic cauſæ eſt, quam* Ariſtoteles *ſeptimo loco numerat, & αὔξησιν vocat, de qua* Bald. ad §. Conventic. de pac. juram. firm. in Feud. *Cuſtodia regni eſt, non permittere ullum creſcere ultra commenſurationem. Sicut enim*, ait Ariſtot: *inter membra corporis humani monſtrum naſcitur, ſi unum eorum in quantitate proportionem, quam ad cætera habere debebat, exuperet: ita ſi in Repub. quam humano corpori benè comparabat Menenius Agrippa*, ap. Liv. li. 2. *pars una multitudine reliquas omnes tranſcendat, nõ tantum ordo, qui eſt forma Reip. violatur, ſed & pars, quæ ſuperat, alteram facilè ſibi ſubijcere, & Remp. ſuam facere poteſt. Hoc nimirum eſt, quo Manlius plebem contra patres commovere volebat: Quouſq́, inquit, ignorabitis vires veſtras, quas natura ne beluas quidem ignorare voluit. Numerate ſaltem, quot ipſi ſitis, quot adverſarios habeatis: Quot enim clientes circa ſingulos fuiſtis patronos, tot nunc adverſus unum hoſtes eritis. Oſtendite modò bellum, pacem habebitis: videant vos paratos ad vim, jus ipſi remittent.* Liv. lib. 6. *Hec quoq; conſideravit*

Senator

Senator ille, qui diſſuaſit, quò minus ſervi à civibus veſtitu diſtinguerentur, ne ſi vires ſuas cognoſcerent ſervi, civibus manus inferrent, quod quidem Tyri fecerunt, Iuſtin. lib.18. *apud Sarmatas*, Marcel li.17. *& apud Ægyptios, quorum omninò ſe dominos fecerunt*, Martyr.3.de legat.Babyl.*adeò ut non immeritò* Ariſt 2.polit.c.7.*multitudinem ſervorum in Laconum Rep. reprehendit, tanquam periculoſam, quã ut diminuerent Spartiatæ, Helotas ſuos, circa ſanum Iovis congregatos, uno die omnes trucidarunt*, Thucyd.li.4. *quo remedio erga Templarios quoq; uſi ſunt Franci, cum nimia illorum multitudo regi ſuſpecta eſſe inciperet*, Platin. in vit.Clem V. *Addit* Ariſt. *quo tempore hæc cauſa frequentius in Rebuſp. inveniatur, quando videlicet caſu quodam, imprimis belli, altera pars infringitur & decreſcit, ſicut Tarenti, cum nobilium plurimi ab Iapygibus extincti eſſent, populus Remp. ad ſe tranſtulit: Athenis, cum nobiles pugna terreſtri periiſſent, res ad populum delapſa eſt: & Argivorum Rempub. occuparunt παροικοι, cum civitas à Cleomene Lacedæmon. exhauſta eſſet. Plebs quoq; Romana incrementa ſumere cepit, poſtquam tercentum Fabij una acie ceciderant.*

Quinta cauſa apud Ariſtot. *eſt Metus, ſeu deſperatio, quando quis ſibi magnum aliquod malum metuit, occaſionemq; effugiendi deſperat. Tum enim nihil non moliturus videtur, etiamſi Tartara cœlo miſcenda ſciat, ut impendens infortunium aliqua ſaltem via devitet. Nam, ut* Scipio. Ammir. lib.1. diſc.8. verbis utar, *dalla diſperatione naſce in un ſubito un fermo proponimento di commetter ogni coſa empia & ſcelerata*, & Cyr. Spont. part. quarto, cor del princip. Quinta cauſa

 quamvis

quamvis alijs verbis, eodem tamen ſenſu ait: Il principe non trova mai nemici piu feroci de' cittadinini diſperati. Qui enim in tali caſu conſtituti ſunt, nullum putant bellum juſtius eſſe, quam quod neceſſitas ſuggerit, ſicut ibid. idem docet & Machiav. diſputat. Iuſtum bellum eſſe ijs, quibus, niſi in armis, ſpes nulla eſt. Propterea Scipio, cum Numantinos præ deſperatione obſtinatè nimium mortem oppetituros prævideret, noluit etiam cum flagitantibus pugnam committere, quia, inquit, cum deſperatis pugnandum non eſt. Flor. lib. 2. cap. 18. Ex quo fundamento dependet præceptum Pyrrhi, relatum à Iulio Frontin. lib. 2. Stratag. cap. 6. non eſſe pertinaciter inſtandum hoſti fugienti, ne fortius ex neceſſitate reſiſtere incipiat. Clauſis enim, ait Veget. lib. 3. de re milit. c. 21. ex deſperatione creſcit audacia, & cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido. Quo præcepto uſi ſunt multi probati duces, quorum exempla Front. d. lo. recenſet. Nam Antigonus rex Macedon: Ætolos ex obſidione, Cæſar Germanos ex acie ſua, cui incluſi erant, & Hannibal eoſdem, vel quod mavult Stewech. in com. Front. ex Oroſ. lib. 4. Livius lib. 22. Flor. lib. 2 Plutarch. in Hannibal. Sil. lib. 5. Romanos ipſos ad Thraſymenum, fugere permiſit, ne obſtinatius ad pugnam coacti, victori palmam præriperent. Nam Cn. Manlius Conſul, cum Hetruſcos in Romanis caſtris, quæ ceperant, ab omni latere obſediſſet, incluſos hoſtes in eam rabiem efferavit, ut ipſe in prælio caderet: Et victoriam fortaſſe perdidiſſet, niſi legati ejus hoſti ad fugam portam aperuiſſent. Frontin. d. lo. Huic quoq; baſi innitur præceptum Machiav. lib. 3. diſc. 12. Prudentem Imperatorem debere operam dare, ut ſuis militibus pugnandi neceſſitatem imponat. Nam neceſſitatem vocat Vectius Meſſius Volſcorum

Imper.

Imper. ultimum ac maximum telum; Livius lib. 4 & *Pontius Samnitum Imper. eo maximè putat ſuos admoneri poſſe, quod neceſſariò pugnandum eſſet.* Livius lib. 8. *Neceſſitas* ait Seneca lib 9. de Clement. *magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, omnem legem frangit*; & Valer. lib. 7. cap. 6. *Abominandæ neceſſitatis amariſſimæ leges, & truculentiſſima imperia, tum urbem noſtram, tum etiam exteras gentes, multa non intellectu tantum, ſed etiam auditu gravia perpeti coëgerunt. Agathocles cum in Africam trajeciſſet, naves in littore combuſſit,* Iuſtin. li. 22. *quod & Alexander M. fecit, cum exercitum in Aſiam duceret, quà effugiendi ſpem militibus præcideret. Quoniam verò Darius in Scythica expeditione idipſum negligeret, effecit, vt cum milites pugnare deberent impenſiſſimè fugiendi occaſione illecti, ad naves certatim redirent.* Herod. lib. 5. *Romani, cum Cenomannos, quibus parum fidebant, trans Padum duxiſſent, pontem dejecerunt, vt, niſi mori mallent, fortiter pugnare cogerentur.* Polyb. lib. 2 *Par eſt in Rebuſpub. ratio, quia, qui mortem, aliudvè infortunium ante pedes advertunt, quam diu in ſua poteſtate ſunt, nihil reliqui faciunt, quò viam quandam, quantumvis ancipitem & deteſtabilem, elabendi inveniant. Affert* Ariſtot. 5. polit. pag. 395. *exemplum Rhodiorum Nobilium, qui in perniciem plebis conjurarunt, ob lites, ſibi à plebe intentatas, quod ſolvendo non eſſent: & Pericles bellum concitavit, ne 50. talenta reddere cogeretur, quæ intervertiſſe dicebatur.* Tholoſ. lib 22. cap. 12. num. 4. *Quin &* Plutar. & Sueton. *ſuſpicantur Cæſarem, non tam regnandi cupiditate impulſum Tyrannidem affectaſſe, quam ne cogeretur æs alienum, cujus magnam molem contraxerat, exſolvere, & rerum geſtarum rationem reddere. Accommodat* Ariſt. 5.

 polit.

polit. pag. 463. *hanc cauſam etiam ad Monarchiam, afferté exemplum Artabanis, quem ait Xerxi manus intuliſſe, ob metum criminis de Dario ſuſpenſo, tanquam ſuſpendiſſet, non juſſus à Xerxe.*

Apud Turcas frequenter hinc excitantur turbæ, quod filijs Imperatorijs, excepto primogenito, cum patre certò moriendum ſit. Nec enim rectè à ducibus Alexandri M. uſurpatum fuit: Fratrum cædes ad ſecuritatem regis eſſe. Plutarch. in Demet. *Quia qui ſcit ſibi moriendum, nihil intentatum relicturus eſt, quò vel non moriatur, vel ne moriatur inultus. Libenter cupit commori*, ait Veget. lib. 3. de re mili. cap. 21. *qui ſcit ſine dubio ſe moriturum. ſicut Macrinus, cum Aſtrologos Caracallæ indicaſſe videret, regnum à ſe ambiri, ne ipſe mori cogeretur, Caracallam potius interimendum curavit.* Part. in Caracall. *idq́ admonet* Machiavell. lib. 3. diſc. 6. *nunquam eò adducendos homines, vt videant, vel ſibi pereundum eſſe, vel alium tollendum. Hinc enim Selymus patrem de regno abegit:* Vaſ. in Bajaz, *& Bajazethes primùm erga fratrem Selymum, mox etiam contra patrem arma ſumſit.* Busbeq. Ep. 1. *Sæpe enim,* ait Cicero 1. de offic. *à metu proficiſcuntur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. Ita Mneſtheus, inſidiator Aureliani, vt deſtinata morte ſe eximeret, manum & ſcripturam Imperatoris imitatus, conſignavit magnum catalogum Procerum, morbi ab Imperatore adjudicatorum, eumq́ quaſi ab Imperatore ſcriptum, clanculum ijs communicavit, qui nihil aliud niſi rem verè ita eſſe ſuſpicati, vt prævenirent potius, quam præveniventur, Imperatorem trucidarunt.* Flav. Vop. in Aurel.

Ita & Commodi concubina Martia, cum ſe inter mori

turos ſcriptam legeret, metu excita, Electum & Lætum Eunuchos, itidem ſecum damnatos, ad interficiendum Imperatorem extimulavit. Herodi. & Lamprid. in Comm. *Non rectè igitur* Machiavell. *vult metui Imperatorem vel Principem debere, cum metus non conſervationis, ſed corruptionis Rerumpub. cauſa ſit. Quem enim quis metuit,* ait Cicero, *eum ſublatum cupit, &* Demoſth. in Philipp. *negabat adeò ſtabilem fore dominatum Philippi Macedon. ut vulgò credebatur, quod à multis metueretur.*

Sexta cauſa eſt καταφρόνησις, *ſeu Contemtus, qui poteſt corruptionis Rerumpub. cauſa eſſe, tum reſpectu Imperantium, tum reſpectu Parentium, quem utrumque modum paucis complexus eſt* Ariſtoteles. *Et utroque modo dupliciter. Vel enim eum invadunt cæteri, quem contemnunt: vel, qui contemnitur, cæteros. Vtriusq; probabiles ſunt rationes & exempla. Si enim* Curt. lib. 8. *rectè dixit: Majeſtatem imperij, ſalutis eſſe tutelam, è contrario argumentando, oportet contemtum ejus eſſe perniciem, cui* Plinius *conſentit* in Panæg. *Nunquam niſi ex contemtu imperij noſtri factum eſt, ut vinceremur. Duas facit* Ariſtot. 5. polit. pag. 468. *interitus Tyrannidum cauſas: Odium & Contemtum. Et de odio* Cicero 2. de offic. *loquitur: Nulla vis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Nihilominus odium contemnebat Caligula, dummodo contemtus non accederet: Oderit, inquit, dum metuant.* Sueton. in Calig. *Putabat enim odium ſuffocari poſſe, modo contemtu non armetur, ita, ut audere aliquid, & ſe manifeſtare in effectu poſſit. Ideoq; crudelitas multos quidē Tyrannos præcipites dedit,*

dicente

Sexta cauſa.

Odium civium quomodo vi comprimendū.

dicente Seneca 1. de Clem. *ſed plures contemtus*, ut vult. Bodin. 4. de Repub. c. 1. *Crudelitas enim, niſi modum nimiùm excedat, & cives ad incitas ſeu ad deſperationem adigat, terrore quodam abigit eos ab innovandis rebus, imprimis ſi autoritate armetur, quam neſcio quomodo homines ſuſpicere ſolent, ut & quidam, qui à Perſarum rege fuſtigatus erat, gratias egerit maximas, quod ſe non negligi, ſed in notitia regis eſſe intelligeret.* Nicol. in lib. de morib. *Qua de cauſa Tyranni, quamvis in odio ſe eſſe ſciant, diligenter tamen dant operam, ut contemtum avertant, & autoritatem ſibi retineant. Et hinc referebat* Ariſtot. 3. & 4. polit. 5. polit. pag. 475. *mores Tyrannorum, quod latera ſua præſidiis militum armare ſoleant, ne odium civium per contemtum, ſecurius & audacius ad nocendum prodire audeat,* & Machiavel. lib. de princ. cap. 17. *principi, qui per vim imperium occupavit, autor eſt, ut, ſi amore non poſſit, metu & ſeveritate ſubditos ſub obedientiam cogat, contra quem diſputac* Antimach. lib. 3. theor. 8. & 9. *Certè, quod Tyrannum attinet, aliter imperium confirmare nequit. Errat enim, ſi quis exiſtimet, tutum ibi eſſe regem, ubi nihil à rege tutum eſt. Securitas ſecuritate mutuâ paſcenda eſt.* Seneca 1. de Clem. c. 19. *Expertus eſt Cæſar, quantopere opus ſit cuſtodia novello Tyranno, quippe qui, ut cuſtodiam ſibi jungeret, admonitus, reſpondit: Mori ſemel præſtabilius eſſe, quàm metu tam diu languere.* Plutar. in Cæſ. *Brevi enim ita contemtui factus fuit adverſariis, ut ſanguinolentis manibus non timuerint ejus corpus violare. Rectiùs Auguſtus, qui nec victo ad Actium Antonio, prætorianos milites à ſe dimiſit. Servium, ubi credo, imitaturus, qui cum præter vim nullum jus ad imperium haberet,* ut ait Livius lib. 1. *præſidio militum uſus eſt, gratiaq́; populari*

putari ſimul adjuncta, ſumma integritate ac fide ſe geſſit. Quadraginta quoq; Athenienſium Tyranni, ut à ſe diſſentientibus metum injicerent, armatos undiq; milites per forum diſpoſuerunt: Thucyd lib. 8 *& cautè Baſilides, cum in ſeditioſos milites graviter advertere decreviſſet, prius optimos & fortiſſimos quosq; viros in ſatellitium ſuum adoptavit.* Paul. Oderbor. lib 2. in vit. Baſilid. *Nec potuiſſet Coſmus Medices occiſo Alexandro Florentinorum Tyrannidem ſibi retinere, niſi arcibus & præſidiis conatus adverſariorum retudiſſet. Hæc eò faciunt, ut oſtendant, qui cupit Rempub. ſuam ſartam tectam, illi ante omnia videndum, ne contemtum incurrat, & ſi in alterutram partem peccandum eſt, quanquam neutrum fieri debet, ut in remediis dicemus, tutius eſſe ad ſeveritatem declinare, quàm ad contemtum. Hannibal enim conſcriptitium militem, 18. an. abſq; turbis & ſeditione, ſola ſeveritate & autoritate continuit: Severus Imperator poſt victoriam Britannicam, 41. Conſulares & Prætorios Senatores interfecit,* Ael. Spart. in Sev. *nec tamen de imperio dejectus fuit, ſicut, Heliogabalus, Macrinus, & Gallienus, ob ſolum contemtum. Huic enim quod domi in mollitie torpeſceret,* Vict. & Trebell Poll. in Galie. *alteri, quod guloſus eſſet, & hiſtrionibus deditus,* Herod. in Macri. *tertio, quod muliebrem vitam viveret,* Herod. in Eleog. *interitus cauſa extitit.*

Ut autem ex ſtirpe contemtum excidere poſſimus, longius progrediendum eſt, minutioresq; & priores contemtus cauſa inquirendæ, quarum primam meritò facimus, quæ graviſſima eſt, & contemtum ipſo jure meretur, nempe neglectum rerum publicarum. Qui enim alios contemnit, ab iiſdem meritò contemnitur. Ea ratione ſcribit Ariſtot. 5. polit.

Cauſæ quæ cõtemtum pariunt.

Neglectus publicarum rerũ.

politic. cap. 10. *Sardanapalum periiſſe, cujus interitum ex hac cauſa refert* Iuſtin. lib. 1. *Francorum Rex Chilpericus eadem de cauſa regno excidit, quod ejus adminiſtrationi non ſufficeret.* Aymon. & AEmilius. Paul. in hiſtor. Franc. *Nihil enim intereſt, ſive propter malitiam, ſive propter impotentiam officium negligas.*

Nam Innocentius Quartus Sanctium Portugaliæ regem, fratri Alphonſo regnum cedere juſſit, quod ipſe inidoneus eſſet: Vaſſæus in Chron. Hiſpan. *& Wenceslaum Boëmum abdicarunt Electores, quod moli imperii non ſufficeret.* Cuſpin. in Cæſar. *Perſuaſerat Argobaſtes Eugenio Philoſopho, ut interfecto Valentiniano, Viennæ imperium uſurparet: Sed quia rerum gerendarum imperitus erat, facilè à militibus contemtus & deſertus eſt,* Zoſim. in Theodoſ. *Eos enim, qui in Scholis conſenuerunt, ad res gerendas ignavos exiſtimat* Iſocr. in Archid. & Plutarch. in Pericl. ait: *Non eſt eadem meo judicio Philoſophi, rebus deditis perſpiciendis, atque in Republica verſantis vita, quod &* Plato *docet* 3. de ll. *Studiis videlicet ſapientiæ emolliri animum Cuſtodis civitatis, niſi ad Gymnaſticam unà abducatur, cujus exemplum repreſentat nobis Michaël Ducæ filius, qui, cum in Pſelli ſui Schola ſudaret, rerumque adminiſtrationem Nicephoro relinqueret, ita ſuis contemtui fuit, ut vel à Servo impeteretur, denique à Nicephoro Botoniate ſuperaretur, & à Senatu in monaſterium detruderetur.* Zonar. in Michaël.

Alterum

Alterum locum meritò debemus pravis moribus & vitijs, quæ naturaliter odiſſe & deſpectui habere ſolemus, nedum in Principe, qui tantò conſpectius in ſe crimen habet, quantò major qui peccat habetur. Ἀπολαυστι ὡς ζῶντες, ait Ariſtot. 5. polit. cap. 10. εὐκαταφρόνητοι γίνονται, *& multas oportunitates præbent inſidiantibus: Apud* Stob. tit. de magiſt. Euſebij *dictio refertur: Homines inobedientes ſunt illis, qui, cum injuſtè vivant, alijs præeſſe volunt.* *Nam Dion Dionyſium auſus fuit armis impetere, quem ebrium quotidiè intelligeret,* 5. polit. cap. 10. *& Seuhtes Thrax Amadoco,* Xenoph. lib. 4. rer. Græcar. *& Cyrus Aſtyagi bellum intulit,* Herodot. lib. 1. *quod uterque otio diffluceret, & copias deſides haberet,* Ariſtoteles 5. polit. pag. 465. *Scylem regem ſuum Scythæ trucidarunt, quod eum more Græcorum debacchantem viderent.* Herodot. lib. 4. *Lucullum deſeruit miles quod luxurioſus viveret.* Plutarch. in Lucull. *Pauſaniæ vitio datus fuit, habitus Perſicus,* Thucyd. lib. 1. *qui & Heliogabali contemtum auxit.* Herodianus in Helig. *Quomodo Phocam riſerit populus ob ebrietatem, refert* Zonar. in Phoca.

Cum enim ſerò in theatrum veniſſet, eunti occlamatum eſt: Rurſum bibiſti, rurſum mentem amiſiſti. Paulò poſt memorabo exempla eorum, quos libido perdidit, cum hoc vitium ſit plerunque cum contumelia alterius conjunctum.

Quin & leviora ſæpe vitia, & quæ ſapiens minimè moraretur, contemtui anſam præbent in animis vulgi. Scimus enim homines, ut metuant, aut oderint, non minus opinione & fama, quam certa aliqua ratione moveri, ut docet Cicero pro l. Manil.

Pravi mores.

Alia levicula.

Quanti enim æſtimandum putes, quod Ageſilaus claudicaret? Parum tamen aberat, quin propterea à regno exulare cogeretur. Xenoph. & Plutarch. in Ageſ. *Marius* apud Saluſt. in Iugur. *conqueritur novitatem ſuam contemni. At rectè* Martial. lib. 1. Epig. 55. *Nec me, quod tibi ſum novus, recuſes. Nam quondam hoc veteres tui fuerũt. Sertorius Pompejum contemſit, ob pueritiam, illiq́; virgas minitatus eſt:* Plut. in Sert. *& Darius Alexandrum vocavit Philippi adoleſcentulum, quem juſſit verberibus cædi, & vinctum ſibi tradi.* Curt. lib. 2. *Et ſimili ratione quã plures ob alios leviculos nævos contemti ſunt*, ut eſt apud Plut. in lib. de ger. Rep. & ad princip. Indoct. *Iulianum vocarunt adulatores Conſtantij, Græcum literionem, purpuratam ſimiam, loquacem talpam, capellam &c. Erat enim hirſutus.* Ammia. lib. 17. *Antigono nunc colliſus naſus, nunc pumila ſtatura Probro dabatur.* Seneca 3. de ira, cap. 22.

Præterea adverſa fortuna, paupertas & cætera ejus generis, imprimunt animis vulgi vilem quandam de Principibus opinionem. Proſperis tuis rebus ait Tacit. 2. hiſtor. *certaturi ad obſequium, fortunam adverſam omnes ex æquo detrectabunt. Laxa deniq; diſciplina & nimia familiaritas facit ingenia luxuriare, nec ſatis decoro in precio Principem habere. Vnde* Dio. ait in Nerv. *Malum quidem, Principem habere, ſub quo nihil ulli liceat: Pejus verò, eum, ſub quo omnia omnibus. Atq; hæc non tantum ad Principes in Monarchia pertinere putanda ſunt, ſed & ad plebem & optimates. Nam Thebanorum popularis ſtatus fractus eſt, poſt prælium Oenophytanum, cum à plebe infeliciter pugnatum eſſet: Item Megarenſium & Syracuſanorum ante Tyrannidem Gelonis, cum plebs rebus ſuis malè*

malè præeſſet, & propterea contemni cepiſſet. Ariſtot.5.polit. pag.397. *Pyrrhum non alia, niſi hæc cauſa, ſi Cyneæ oratio vera eſt,* apud Plutarch. in Pyrrh. *ad expugnandam Siciliam evibravit, quod poſt Agathoclis mortem omnia illîc turbata, & cujusq; armis expedita videret.*

Alio modo contemtus ad mutationem Reipub facere poteſt, quando qui contemnuntur, præ dolore contra aſſurgunt, & vindictam quærunt. Nihil enim eſt, quod ingenuum animum vehementius urat, quàm contemni, aut convitijs proſcindi ab alio. Memorabile exemplum affert hujus rei Machiav.lib.2.cap.26. *quod in Aſia accidit, cum Mida à Gabade Perſa oppugnaretur. Hic enim cum obſidionem ſolvere vellet, convitijs Oppidanorum commotus, exercitum reduxit, expugnatamq; Vrbem militi in prædam ceſſit. Italorum proverbium eſt, Le facetie aſpre, quando elle hanno troppo di verità, rimangono agramente nella memoria di quegli, a cui toccano. Sed accommodatius ad propoſitum* Tacitus 5. Annal. *ſcribit: Acerbarum facetiarum apud præpotentes longa memoria eſt. Iocati erant Antiocheni in Caracallam, matrem ejus Iocaſtam vocitantes: Sed is ad ſpectaculum congregatos, ad unum omnes interfecit.* Herod. in Carac. *Gallieni ſocordiam tetigerunt quidam, qui Perſis, quos ille in triumpho, quaſi captivos ducebant, ſe immiſcentes, ſingulosq; accuratè contemplantes, mox quid quærerent, interrogati: Patrem, inquiebant, Imperatoris quærimus. Sed is comprehenſos vivos combuſſit.* Trebell.Poll. in Gall. *Polonus quidam, Petrus Danus Palatinus, Vlatislai I. regis jocum, cum in terra procumbenti diceret: Fortaſſe uxor tua melius cubat cum Abbate Serinenſi, retorſit in regem: Fortaſſe & tua cum Dobeſſo. Erat autem hic ſtupri apud vulgum ſuſpectus.*

Secundus modus, quo contemtus corrũpit Reſp.

Sed regina, poſtquam hoc comperit, Petro linguam & oculos execari curavit, Cromer. lib. 6.

Raro enim adeo patientis ingenij ſunt Principes, atq; Auguſtus, qui Timagenem hiſtoricum quidvis de ſe ſcribere impunè paſſus eſt : Seneca 3. de Ira cap. 23. *aut ut Antigonus, qui, cum audiret, ſe à duobus militibus criminari, palla tantum leviter remota : Longius, inquit, diſcedite, ne vos rex exaudiat;* Seneca ibid. cap. 22. *aut etiam ut Pyrrhus, qui juvenes quoſdam, à quibus ſatis gravi verborum injuria affectus erat ſine objurgatione dimiſit, quod dicerent : Niſi lagena defeciſſet, Pyrrhe, etiam occidiſſemus te. Non ita Coridanus, qui legatis reſpondit : Se memorem Romanorum injuriæ futurum.* Livius lib. 2. *Quippe contemtum & ignominiam, qua ſe affectum putabat, concoquere non poterat, nec Volſcos putabat ſpecioſiorem, aut magis plauſibilem potuiſſe ſuo bello cauſam prætexere, quam contemtum, quod juſſi eſſent Urbe excedere.* Livius lib. 2. *Imò ipſe populus Romanus ſeditionibus ſuis ſuperbiam patrum & ſui contemtum prætexuerunt : Ecquid ſentitis, ait Canulejus, in quanto contemtu vivatis?* Livius lib. 4. & *idem* ibid. *Nemo eſt nomen daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus, pro ſuperbis dominis: cum quibus nec in Repub. honorum, nec in privata connubij ſocietas eſt. Pedites indignati,* ait Iuſtin. lib. 13. *nullas ſibi conſiliorum partes relictas, Aridæum Alexandri fratrem regem appellant. Hieronymum regem Siciliæ ſubditi trucidarunt, quod ab eo ſe negligi ſperniq; cernerent*, Livius lib. 24. *eandemq; ob cauſam, Scoti Argadum proregem ſuum, poſt abdicatum Conarum, magiſtratu abire juſſerunt.* Buchan. lib. 4. *Atque hoc eſt, quod Solon Crœſum admo-*

admonebat, Herodot. lib. 1. Plutarch. in Sol. Ariſtot. 1. Eth. cap. 11. *quodque vulgò dici ſolet: Superbiam futuri interitus prænunciam eſſe,* ὅταν δ', ait Euripid. ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ, τούτου ταχεῖαν νέμεσιν εὐθὺς προσδόκα, *&* Seneca in Herc. fur. *Dominare tumidus, Spiritus altos gere: Sequitur ſuperbos victor à tergo Deus.*

Peculiariter hæc cauſa locum habet in Ariſtocratia, vt & illa, quæ ſequitur, quia peculiare eſt optimatibus, vt plebem premant, & præ ſe contemnant, cujus in Democratia nullum eſt periculum. Nam Saluſtius in Iugurth. *Nobilium ingenia in Q. Metello adumbraturus: Quanquam, inquit, illi virtus, gloria, atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat contemtor animus & ſuperbia, commune nobilitatis malum: &* Ariſtot. 2. Rhetor. cap. de morib. nobil. *Nobilium ait eſſe,* καταφρονητικὸν εἶναι, καὶ τῶν ὁμοίων τοῖς προγόνοις τοῖς αὐτῶν, *& paulò poſt de divitibus ſcribit, quod ſint* ὑβρισταὶ καὶ ὑπερήφανοι, *contumelioſi & ſuperbi, quæ vitia* Cicero de l. agra. *Campanis quoque ex abundantia profecta impingit: Campani, ait, ſemper ſuperbi, bonitate agrorum & fructuum, magnitudine Vrbis, ſalubritate, deſcriptione, pulcritudine. Ex hac copia atque omnium rerum affluentia, primùm illa nata ſunt: arrogantia, quæ à majoribus noſtris alterum Capua conſulem poſtulavit: deinde ea luxuries, quæ ipſum Hannibalem, armis etiam tum invictum, voluptate vicit.* Aleſſand. Piccol. in Inſtit. Moral. lib. de morib. hom.

Accommodatur cauſa hæc ad Nobilium ſtatum.

Hinc fit, vt quæ in contemtu perpetuò vivere ſe videt plebs,

plebs, facilè etiam cujusvis hominis vocibus contra nobiles patiatur ſe commoveri, ſicut plebs Romana, arctius quodammodo & contentius à patribus habita, vel Sicionio duce & autore, in ſacrum montem abſceſſit: Livius lib.2. *Heracleenſium 65. Tyrannos ejecit Clearchus diſcipulus Platonis*, Iuſtin. lib. 16. & Ariſtot. 5. polit. pag.424. *ex hac cauſa teſtatur oligarchiam in Cnido & Chio periiſſe.*

Quando enim animi jam ad ſeditionem ſpectant, facilè eſt, vel proletario homini ducem ſe præbere. Nam Galbam duo gregarij milites imperio exuerunt, Tacit. in hiſt. Galb. *& Commodum totidem Eunuchi, qui & imperium ad Pertinacem detulerunt.* Herod. in Comm. *Aliquando,* ait Saluſt. in Iugur. *ex Optimatibus ipſis nonnulli, qui plebi favent, nequeunt oppreſſionem ejus pati, ſed ſeipſos duces præbent, ſicut Lygdamis unus Optimatum in Naxo, autor fuit cæterorum optimatum eijciendorum, & Grachus plebis dux extitit, ad recuperandum agros, quibus divites illam privarant.* Plut. in Grach. *Nam* Ariſt. 2. Rhetor. ubi ſupra, *nonnullos quoq; nobilium putat miti ingenio naſci, quales erat Theramenes, unus ex 30. Tyrannis Athenienſium, quem reliqui idcircò interfecerant, & Sextius Xvir, qui, quantumvis ſine provocatione creatus, ſubmiſit ſe tamen plebi, & ad eam collegæ diem dixit.* Livius lib.3.

Septima cauſa.

Paulò durior contemtum eſt Contumelia, cum ſit gravis injuria, vel in corpus, vel in bona ſubditorum. Vtrumq; Monarchis familiare eſſe ſcribit Ariſ. 5. pol. pag. 470. qui & pag. 459. *ejus multa affert exempla. Si enim cõtemtus tam crebrò ad vindictã extimulat homines, ſicut mox diximus, & ex hiſtoria Lyſandri patet quẽ contra patriam non alia de cauſa conſtat conſilia inijſſe, niſi, quod Ageſilaus res ejus*

geſtas

geſtas contereret: Ariſtot. 5. polit. pag. 427. Plutarch. in Lyſand. *tantò ad hanc rem gravior erit contumelia, quantò plus doloris infert, quam contemtus. Vnde* Cicero ad Attic. *de Cn. Magno meritò ſuſpicatur: Timeo, inquit, tam vehemens vir, tamq; acer in ferro, & tam inſolens contumeliæ, ne omni animi impetu, dolori & iracundiæ pareat. Id quod Scanderbegius quidem fecit, vt patri & fratribus illatas injurias ulciſceretur.* Marin. Barlet. in hiſtor. Scanderb. *Quid ni enim injuriæ memores maneant Principum animi, cum viles etiam homines ſuas injurias ultos ſeveriter ſciamus. Philippus Macedo à Pauſania interfectus eſt, quod ejus ſtuprationi connivisſet.* Curt. in hiſt. Alex. *Periander Ambraciæi Tyrannus perijt, quod puerum in convivio interrogaſſet: an nondum ex ſe prægnans factus eſſet. Adamas à Coty defecit, quod puer ab eo exectus fuiſſet.* Ariſtot. 5. polit cap. 10. *Archelaus Rex Maced. necatus eſt ab eo, quem Euripidi Poëtæ verberandum tradiderat.* Ariſtot. ibid. pag. 463. *& Nepos hujus itidem rex Maced. ab eo trucidatus eſt, cujus pudicitiam ab Antipatro impunè violari paſſus eſſet. Nec verò privatim tantum, qui injuriam perpeſſi ſunt, eam ulciſcuntur, ſed ſæpe indignatio pervadit univerſos, vel quod injurijs aliorum naturaliter condoleamus, Tyrannorumq; crudelitati iraſcamur, vel quod ab amicis commoveamur, vel quia, quod uni noſtrum fieri videmus, ſinguli nobis timere habeamus. Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. Non erant ipſi quidem Campani, qui Romæ vivebant, admodum læſi, ſed, quod parentes ipſorum Fulvius occiderat, ea injuria ita urebat eorum animos, vt cum aliter vindictam exigendi poteſtatem non haberent, urbem Romam incenderent.* Livius lib. 26.

Sævitia in corpus.

Injuria enim parentum ad liberos pertinet, quod Periandri Corinthij Tyranni, minor natu filius quoq; ſcivit, qui patrem irreconciliabili odio perſecutus eſt, adeò, vt nec conſpectum ejus ferret, quoniam matrem ſuam interfecerat. Herod. lib. 3.

Injuria item dominorum ſervos tangit, ſicut Deſpotæ ſervus, vt Domini ſui mortem ulciſceretur, Amurathem interemit. Vaſs. in Amir. *Item injuria fœminarum maritos. Nam Abuſahita rex Feſſarum, cum ſex liberis à domeſtico ſervo cæſus eſt, cujus uxorem ſtuprarat.* Leo Affric. in hiſt. Afric. *Sed & ſtupra Tyrannorum & libidinoſorum hominum multoties publicitùs punita legimus. Ob fœminarum contumelias,* ait Ariſtot 5. polit. pag. 483. *multæ Tyrannides everſæ ſunt,* & Horat. in Sat. lib. 1. *Et fuit ante Helenam Cunnus deterrima belli cauſa, ſed ignotis perierunt mortibus omnes: in quem ſenſum interpretamur & illud* Plinij in Epiſt. *Eſt enim fœmina interdum peſtis humani generis Dioclis Athenienſis libido extitit cauſa eijciendorum Piſiſtratidarum,* Iuſtin. lib. 1. *Tarquinij eyciendorum Tyrannorum,* Livius lib. 1. *Appij Claudij abolendi decemviratus.* Livius lib. 3. *Gallos quoq; Cluſini adulterium, Cluſium pellexit.* Livius lib. 5. *Roderici libido Sarracenos pertraxit in Hiſpaniam.* Volater. 2. Gœogr. *Ioſcelini Comitis Armenij ſtuprum, civis Edeſſani filiæ illatum, totam Edeſſam ex manibus Chriſtianorum exemit: Hic enim per turrim, mœnibus contiguam Sarracenos recepit, qui urbem occuparunt.* Sigon. lib. 4. Ital. *Tota ferè tribus Benjamin deleta eſt, ob ſtuprum unius mulieris, idq; volente Deo.* Iudic cap. 20 21. *Scribit* H. Mutius lib. 22. Chron. German. *SuitZenſium, Vrienſium, & VnderWaldenſium rebellionem hinc exortam fuiſſe, quod Nobiles & Præfecti*

forma-

formoſioribus virginibus & matronis pro libitu abuterentur. Hoc enim ſcelus DEVS *abominatur quam maximè. Nam cum homicidiis ſecuritatem in certis civitatibus, ad inſtar aſylorum conceſſerit, nunquam tamen adulteria impunita relinqui voluit. Quod ſi ulterius progredi, alioſq́ contumeliæ gradus conſiderare velimus, inveniemus nihil ad evertendas Reſpub. efficacius eſſe, quam ſævitiam & crudelitatem. Peſſimus enim diuturnitatis cuſtos eſt metus, quem crudelitas gignit, idq́ Maximino dictum volebat Mimus: Qui ab uno, inquit, occidi non poteſt, à multis occiditur: Elephas grandis eſt & occiditur: Leo fortis eſt & occiditur: Tigris fortis eſt & occiditur. Cave multos, ſi ſingulos non times.* Capit. in Maxim. *Id nimirum innuebat fieri non poſſe, qui crudelitate multos ſibi inimicos ceperit, quin aliquando unâ multorum inſidiarum capiatur.*

Altera verò injuria, quæ bonis infertur, non minus habet pondus ad mutandas Reſpub. quam ſævitia in corpus, cum ſanguis mortalium ſit pecunia, ut Timocles dixit apud Stobæ. *verſus eſt:* Τ' ἀργύριόν ἐστι αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς. *cui concinit* Heſiod. in op. ἔργ. καὶ ἡμερ. χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι. *Scripſit* Salycet. in l. admonendi ff. de jurejur. *Pecuniam eſſe alterum ſanguinem, quod confirmat* gloſ. in l. laudabile, C. de advoc. ver. jud. *dum, quod ibi dicitur munus advocatorum neceſſarium eſſe vitæ, ita interpretatur, quod advocati defendant patrimonia: Patrimonium autem & pecunia ſint vita hominis, quam gloſſam infiniti probant ICti, quos notat* Tiraq. c. 3. de nobil. num. 364. & ſeqq. *Imò* Bald. in l. certa. in fi. C. de jure fiſci lib. 10. *hinc ratiocinatur, majorem pœnam eſſe privationem omnium bonorum, quam*

mortis per text. in l. ult. C. ad l. Iul. Maieſt. *ubi mors eſt ſolatium illi, qui opes perdiderat.*

Quod quia eatenus verum eſt, ut omnibus rebus exuto, ad vitam nihil ſit ſolatij, non eſt mirum, ſi ex ſevera tributorum exactione ſeditiones plurimæ oriantur, imprimis, quia & hoc verum eſt, quod ſcribit Moſes lib. 3. perplex. cap. 41. *multos mortales bonis animæ anteponere bona corporis, aut quod* Cato *dicit: Majorem nos habere curam marſupij, quam vitæ noſtræ. Ita enim & Annibal in oratione ſua ad ſenatum ait, cum primum à Romanis tributum exigeretur: Tantum ex publicis malis ſentimus, quantum ad privatas res pertinet: nec in eis quicquam acrius, quam pecuniæ damnum ſtimulat.* Livius lib. 30. *unde* Ariſtot. 5. polit. pag. 457. *non immeritò nummos vocat rem, qua mortales ſtudent præſtare. Si exempla placet intueri, vix ex ulla alia cauſa ſæpius quaſſatas aut mutatas Reſpub. comperiemus, quam ex hac, quando cum* Cicer. 5. ad Att. Ep. 16. *ſubditi conquerentur: Audimus nihil aliud, niſi imperata ἐπικεφάλια non poſſe: poſſeſſiones omnium venditas, civitatum gemitus, ploratus, monſtra quædam non hominis, ſed feræ, neſcio cujus immanis. Hæc cauſa Tarquinium ejecit, qui præterquam, quod plebem in foſſis & lacunis defatigaret,* ut ſcribit Livius lib. 1. *etiam 10. denarios in capita exegit,* ut refert Halycarnaſſ. *Hæc Manlianæ & Metianæ factionis origo extitit:* Livius li. 6. *& Dalmatis ab Imperio deſciſcendi occaſionem præbuit, quorum dux Batto, roganti Tiberio, quare ab imperio defeciſſent, reſpondit: Quia ad greges veſtros, non canes paſtoresvè, ſed lupos mittitis.* Dion. lib. 55. *Florus Belgas, Iulius Sacrovir Gallos ad rebellionem conciverunt ſumta occaſione ex continuatione tributorum, gravitate fœnoris,*

ſævitia

ſævitia & ſuperbia præſidentium. Tacit.3. Annal. *Clitarum natio, quod Romanum in modum cenſus deferre, pati tributa cogeretur, in juga montis Tauri abſceſſit, ingenioq́; montis ſe tutata eſt.* Tacit.6. Annal. *Theodoſij nova exactio Antiochenum populum ad ſeditionem movit:* Niceephor. 12. lib. hiſt. Eccleſ. *& vt ad alias Reſpub. tranſeamus, Eadem cauſa ſimul Athenienſes,* Thucyd.lib.1. Iſoc. in Panath. *& Carthaginenſes ſuis privavit ſociis,* Polyb. in hiſt. Ea.10.*tribus à Iuda abalienavit,*1. Paralip. cap.12. *ab Imperio Helvetios,* Chron. Helvet. *ab Hiſpano Belgas ſeparavit, quod Albanus omnium rerum decimam exigeret. Ea Thuringiam ab Henrico IV. ad Dieterictrum Marchionem Miſniæ tranſtulit.* Rivand. in Chron. *Albertum Megapolenſem Sueonum & Gothorum Regem regno exuit, & ad Margaritam Daniæ reginam detulit.* Iohan.Magn. lib.31. *Achæo Lydiæ regi ſuſpendii cauſa extitit.* Ovid. in Ibi. *Nec nullam iſtius ſeditionis cauſam videntur habere ſubditi, quandoquidem ſe lanam quidem, ſed non ſanguinem debere Principibus ſciunt, ſicut Tiberius, cum increparet præfectum Ægypti, quod ſeverius tributa exegiſſet, Tondere, inquit, oves meas, non deglubi volo, & nota eſt vox Alexandri: Hortulanum odi, qui ex radice olera excindit. Diximus ſupra, quod Dominis in ſuos ſubditos plus liceat, quam Regibus in ſuos. Atqui Corinthiorum Tyrannus Periander, ſolis fori & portuum tributis contentus fuit, tributum non imperavit:* Heraclid. in Polit. *& Piſiſtratus vix etiam decimas ab Athenienſibus accepit.* Plut. in Piſiſtr. *Turcam, quamvis ſit Dominus ſuorum ſubditorum, nihil tamen ex cenſu ſubditorum ad res ſuas conferre, autor eſt* Menavin. lib.3. cap. 20. *quod putet majeſtate indignum eſſe, ſubditorum ſudores devorare,*

rare, & Sclymus I. interemit Baſſam Boſtangi generum ſuum, quod provinciam ſuam nimiis tributis oneraſſet. Vaſſ. in Selym. *Quin & Mahometh in teſtamento ſuo deploravit, quod ſemel extra ordinem tributa imperaſſet.* Comin. lib. 10. bell. Gall. *Quis igitur Peſcennino non iraſceretur, qui etiam aërem cenſeri voluit?* Spart. in Peſc. *Quis cenſum Syracuſanorum non execretur, qui quinq; annorum ſpatio, univerſas civium facultates ad fiſcum traduxit?* Ariſtot. 5 polit. pag. 475. *aut Chilperici regis Francorum, qui multos poſſeſſores bonis in integrum exuit?* Gregor. Turon. lib. 5. in hiſt. Franc. *Quis non deteſtetur Cephalationem Leonis Iſaurij*, Conſtitut. 1. & 2. Leon. *Chryſargyrum Conſtantini*, Zoſim. Zonar. in Conſt, Evagr. lib. 3. & ἐπιβολὴν *Iuſtiniani?* Suid. in voc. ἐπι. *Intueatur aliquis Hippiam Athenienſem & non expuat, qui pro quolibet mortuo vel nato cive, menſuram unam hordei, alteram tritici, cum obulo uno popoſcit.* Ariſtot. 2. Oecon. *Frotho 4. rex Danorum, quos ſibi ſubjugarat, Saxonas pro quolibet membro cubitali tributum pendere coëgit* Saxo. Grāmat. lib. 6. Crantz. 1. Dan. cap. 36. *Theodoſius I. cenſuit etiam veſtem, quæ pudenda tegebat*, Zoſim in Theod. *& Theodora uxor Iuſtiniani nonnullis tributa indixit, quod de religione malè ſentirent, aliis quod laſcivè viverent*, Evagr. lib. 4. cap. 30. *quod &* centuriatores Magdeburg. *annotarunt* Cent. 6. cap. 3. *Non eſt igitur mirum, ſi ad extremam inopiam adacti cives hiſce tributorum crebris & duplicatis impoſitionibus, ex ſervitute ſe liberare, & res novas moliri cupiant, quibus quomodo obviam ſit eundum, paulò poſt dicemus.*

Octava cauſa. *Octava cauſa eſt* ἐρίθεια, *quam vulgariter coitionem humilium interpretantur, quia* ἔριθοι *vocantur* Heſiod. & Homer.

Homer. *humiles & abjecti homines, qui agros colunt, aut telas ex lana texunt. Cæterum quia facilius Rempub. evertunt conſpirationes magnatum & potentum, quam abjectorum hominum, quare has* Ariſtot. *excluſas velit? Certè* Machiavel. lib. 3. diſc. 6. *ſtultiſſimam ait eſſe conjurationem vilium hominum, quippe cum prudentiores* ex Ariſtot. 3. Ethic. cap. 3. *ſciant conſilia debere ad ea dirigi, quæ ſint poſſibilia: his autem, quia & facultate & occaſione deſtituuntur, conjurationem in actum producere, tantum non impoſſibile videtur, aut certè cum certiſſimo diſcrimine vitæ perpetrandum eſt, ſicut & neminem ferè eorum mortem evaſiſſe videmus: nec Quintianum, qui præ foribus Amphitheatri in Commodum gladium ſtrinxerit: nec Hiſpanum, qui Ferrando Hiſpaniæ regi cultrum in collum defixerat: nec Ieſuitam, qui Henrico Galliæ regi manus intulerat: nec Deruſium ſacerdotem Turcicum, qui in Bajazethem telum torſerat: nec Thomæ Perci miniſtrum, qui Iacobi I. regis Britan. palatio pulverem bombardicum ſuppoſuerat. Quanquam hi non tam conjurationis membra & conſiliorum participes erant, quam miniſtri, à potentioribus ad perpetrandum facinus conducti, aut religione perſuaſi.*

Nona cauſa eſt ὀλιγωρία. quando per incuriam Reſp. datur adminiſtranda iis, quibus præſens ſtatus jam divitiæ eſt & odio, ſicut Heracleodorus, Ariſtocratiæ infenſus, cum ex dominantium numero factus eſſet, Oreo, Eubææ urbe, Democratiam inſtituit: & Lycurgus, cum Rempub. utpote regius tutor, in manu haberet, & jam poteſtatem regum oderat, ejus tantum non nomen abolevit. Plutarch. in Lycurg. *Valerius, qui ob ſtudium plebis Publicola uſurpatur, cum interfecto Bruto caput Reipub. regeret, per* Nona cauſa.

leges

leges ſuas, paulò poſt ſecuto populari ſtatui viam aperuit. Livius lib.2. Plutarch. in Publ. *Quod cum ſcirent Lacedæmonij, inq; eo à ſe peccatum viderent, quod Pauſaniæ, qui Perſis favebat magis, quam patriæ, rerum ſummam commiſiſſent, non tantum illi imperium ademerunt, ſed domum revocatum, in templo fame interfecerunt:* Thucyd. lib.1. Ariſtot. 5.polit. pag.428. Pauſan. in Lacon. *perinde ut & Carthaginenſes Hannoni imperium abrogarunt, quod populari libertati ſuccenſere & regnum ſpirare crederetur.* Plutarch. in lib. de ger. Rep. *Intelligebant hoc quoq; Romani non tantum patres, ſed & plebs, utpote, quorum illi nullos, niſi Claudios, Manlios, Furios, Quintios, in magiſtratibus malebant: hæc verò Menenium, Sicinium, Virginium, &c. eò quod utriq; eò vergere Rempub. ſcirent, quò eam magiſtratus propendere ſinerent. Nec alia de cauſa Cato tam obſtinatè obſtitit Cæſari, quam quod ejus animum altius quicquam, quam Democratiæ conveniret, agitare deprehenderet. Nam & Sylla, ex moribus ingenium æſtimans, Pompeio dixerat: Cave tibi illum puerum malè præcinctum, Unde Iocum traxit Cicero, qui rogatus poſt victoriam Cæſaris, cur in electione partis erraſſet: Præcinctura, inquit, decepit me.* Macrob. 2. Satr. cap. 3.

Decima cauſa. *Decimam cauſam vocat Ariſtot.* τὸ παρὰ μικρὸν, *eamq; ſic explicat* 5. polit pag.431. *quando propter parvam differentiam nihil intereſſe putamus, id eſt, quando putamus, hoc conceſſo, nihil deceſſurum Reipub. Sed* ut ait Liv.lib.7. *quamvis parva ſint hæc, tamen parva hæc non contemnendo, majores noſtri, maximam hanc rem fecerunt, de quo* Scip. Ammir.lib.16. diſc.1. *Piſiſtratus certè ea ratione Tyrannidem occupavit, quod pro defenſione contra optimates,*

mates, parvam manum ſatellitum à Repub. exoraſſet, cujus auxilio ſenſim Tyrannus evaſit. Eodem fuco illinebat Pericles Athenienſes, quod ſe curatorem tantum diceret, ne Princeps eſſe intelligeretur, Thucyd. lib. 2. *Perinde ut Auguſtus, qui licet teſtamento ſibi traditum imperium retineret, tamen libertatis & populi defenſorem ſe dici voluit, ut parum ſibi deceſſiſſe populus crederet.* Tacit. 1. Annal. *Poterat exemplum cepiſſe à Iulio Cæſare, qui, licet ſe dictatorem perpetuum feciſſet, ſub quo reliqui magiſtratus ceſſabant,* Plut. in Probl. *ipſe tamen quaſi ex indulgentia tam ſollicitè omnes etiam ſummos magiſtratus inſtituit, ut cum pridie, quam abiturus à Conſulatu erat, Maximus Conſ. moreretur, in diem unum reliquum Caninium Robelium ſurrogaverit,* Plut. in Cæſ. *in cujus conſulatum iocatus Cicero: Conſulem, inquit, habemus vigilantiſſimum, qui in toto ſuo magiſtratu ſomnum non cepit,* Dion in Cæſ. *cumq́; ſalutatum eum iret. Maturemus, ait, priusquam ille abeat magiſtratu.* Macrob. 2. Sat. c. 3. *Id eo faciebat Cæſar, ut plebi imponeret, ne ſibi ſurreptam eſſe poteſtatem ſentiret, in qua re Tiberium, ſi quenquam alium, magiſtrum iudicat.* Tacitus, *ut ſupra diximus. Atq; hoc eſt, quod* Ariſtot. *dicit, Ambraciæ parvum ab initio fuiſſe cenſum, quem cum non curarent cives, factum eſt, ut nullus poſtmodum obſervaretur. Vt enim in vita privata,* dicente Demoſth. 4. Philipp. *ſic & in Repub. deſidia & ſocordia quotidiana, non in ſingulis ſtatim, ut quicq̃ eſt neglectum, ſed in ſumma rerum apparet. Ita,* dicente Sturm. in ſerm. de bell. Turc. *exhauſtum eſt imperium, dum nunc agellus, nunc ædicula, nunc pagus, nunc aliud quoddam cœnobiis & religioni donabatur, quod iam ante* Alberic. in l. 3. de quadrien. præſcript. C. *dixerat: Pontifices*

Eccleſiæ Romanæ inſigni aſtutia, nunc imperium attollendo, nunc deprimendo, Senſim omnia & cœleſtia & terrena, & ſpiritualia & temporalia pedibus ſuis ſubjeciſſe, &c.

Habet autem hæc cauſa potiſſimùm locum in Democratia, propter imperitiam vulgi, quod quantum ſit in parvis initijs inſtar, non intelligit, & proinde à δημαγωγοῖς, aut plebeis oratoribus facilè ſeducitur, quos idcircò Ariſt. *peculiariter numerat inter cauſas, Democratiam corrumpentes. Nam qua de cauſa* Modeſtin. *dixit* l. unic. ff. ad l. Iul. Ambit. *ambitum in Monarchia locum non habere, ex eadem Oratoribus & id genus cæteris minus ibidem loci eſt, quam in Democratia, quippe quam* Plato *nundinas populares vocabat, de qua &* Petronij in Satyr. *verſus interpretamur: Nec minor in campo furor eſt, emtiq́ Quirites ad prædam ſceptrumq́ lucri ſuffragia vertunt. Venalis populus, venalis curia patrum, &c. Idq́ accidit propter imperitiam & mobilitatem vulgi. Dum enim in dubio eſt animus, paulo momento huc illuc impellitur,* ut ait Comic. *Plebs verò utpotè omnium rerum dubia & imprudens, nũquam in una re quapiam certò quieſcere novit, ſed ſemper Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus, ſicut & Accius Tullius de Volſcis querebatur: Nimio plus, quàm velim, noſtrorum ingenia mobilia ſunt,* Livius lib. 2. & Agath. *teſtatur* lib. 3. *Vulgus ait, ſemper novitati ſtudet & mutationibus delectatur, id quod prolixè enarrat* Scip. Ammir. lib. penult. diſc. 4. *Unde ſit ut facilè patiatur ſe auribus duci vulgus, quoniam,* ut ait Publius apud Polyb. lib. 11. *Multitudo talis eſt, quales habet Duces & conſiliarios, imprimis ſi lenocinia orationis acceſſerint, quorum tantum pondus fuit apud Argivos, ut plebs ijs perſuaſa 2200. nobiles trucidarit, tantum, quod oratores nobilitatem contra plebejos*

plebejos conjuraſſe dictitarent. Halycarn. lib.15. *Periclea orationis tantam vim agnoſcit* Thucyd. *ut, quamvis victus, negando tamen, populo ſe victorem perſuadeat.* Plut. de ger. Repub.

De Demoſthene ſcribit Plut. in Demoſth. *quod ipſo loquente pacem & bella populus Athenienſis ſuſceperit, ſuſcepta depoſuerit, fœdera cum regibus junxerit, juncta quoque diſſolverit. Econtrario, cum dicendi facultate minori præditus eſſet Nicias, vicit facundia Alcibiadis, nec ille, quam malè ſucceſſuram providebat, expeditionem diſſuadere potuit.* Plut. in Nic. *Noſtra ætate,* ait Clapmar. lib.3. de arcan. Rerumpub. cap. 22. & Tholoſſ. lib. 7. de Repub. cap. 18. nu. 14. *Demagogorum locum ſubierunt quidam ex ordine ſacro: (qui pudor eſt religionis noſtræ) Veluti Kocliſanus ille, cujus concionibus & debacchationibus Georgius Podibradius regnum Boëmiæ invaſit, nec ita pridem Iacobus Buſſularius Monachus, concionibus Ticinienſem populum dementavit, donec ejus Tyrannidem occuparet.* Iov. in Galeac. *Hi enim eò facilius imponunt vulgo, quod faciant animos humiles formidine Divûm, Depreſſosq́; premant ad terram,* ut ait Lucanus.

Duplici autem via Demagogi afferunt interitum Rebuſpub. Vel quando populo adulantes, ejusq́; res nimis dilatare cupientes, nobilibus occaſionem præbent, contra plebem conſilia ineundi: vel quando ipſam plebem contra patritios armant & exſtimulant. Prior modus frequens eſt, ubi plebs confert magiſtratus, ut vult Ariſtoteles. *Tum enim, Nobilium nonnulli, quibus ad magiſtratus aliàs non multum ſpei eſt, populo*

ſe ſubmittunt, prenſando ſupplicandoq́, ut aliquos ſibi honores eblandiantur, qualis erat Abſalon, qui in atrijs ſtans, rogavit ſingulos: De qua civitate es tu? cumq́ audiſſet, reſpondit: Videntur ſermones tui boni & juſti, ſed non eſt, qui te audiat conſtitutus à rege. 2.Reg. *Ita peſſumijt popularis ſtatus in Co, cum Nobiles congregati contra injurias plebis, ab aſſentatoribus commotæ, Remp. plebi eriperent. Peſſum ijt quoq; Democratia Heracleenſium, Megarenſium & Cumanorum, cum ab aſſentatoribus ejecti nobiles, recollecta manu, Remp. occuparunt.*

Cum nati apud Romanos eſſent tribuni, & ut dicebat Quintius Cincinnatus apud Livium lib. *3. plebem, quaſi partem abruptam à cætero populo, ſuam patriam, peculiaremq́ Rempub. feciſſent: Patres quoq;,* ut ait Livius lib. 2. *conſilia non publica, ſed in privato, ſeductaq́ à plurium conſcientia habuêre. Iidem cum Pompejo urbe exceſſerunt, cum à partibus Iulij Cæſaris premerentur, & à plebe, occupaturi procul dubio Remp. ſi Deo cauſa*, ut ait Lucan. *placuiſſet. Nec dubium eſt, niſi plebs Helvetiorum victoria Sembachiana potitus eſſet, quin Nobiles populares ſtatus fuiſſent immutaturi. Alio modo plebs ipſa patritiis eripit Remp. inſtimulata ab aſſentatoribus, qui, dicente Bione, ſicut amphoram anſa cocus, ita illi vulgum auribus circumducere poſſunt.* Plutarch. de vitioſ. verecund. *Tales fuerunt, apud Athenienſes Cleon, quem* Ariſtoph. in fab. *exagitat: Apud Romanos Sicinius, Icilius, Canulejus, Grachi, Clodius, &c. de quibus rectè ſcribit* Ariſtot. *quod olim evaſerint Tyranni, cum minores eſſent Reſp. ipſiq; Demagogi adhuc arma tractarent. Nam Piſiſtratus apud Athenienſes, cum oppugnatis Pediacis, quos* Plutarch. in Sol. *vocat etiam Pedieas, in favore plebis ſe obfirmaſſet,*

paulò

paulò poſt Tyrannus evaſit. Eadem via Panætius apud Leontinos, Cypſelus apud Corinthios, Ariſtot. 5. polit. p. 455. Cicero de fat. *Theagenes Megaris, Dionyſius Syracuſis ad Tyrannidem progreſſi ſunt, Romæq́, quod Caſſius, Metius, M. Manlius fruſtrà tentarant, obtinuit Cæſar, adeò ut rectè dixerit* Ariſtot. 5. polit. pag. 454. *Cuncti ferè Tyrannidem occuparunt, facta ſibi fide apud plebem, & ibid.* pag. 448. πολλὰ τ̃ δοκούντων δημοτικῶν λύει τὰς δημοκρατίας. *Hoc enim eſt Demagogorum Sophiſma, ut dum ſe plebi ſervire ſimulant, potentioribus viam occludant, ſibi verò ad Tyrannidem aperiant.*

Vndecima cauſa eſt diſſimilitudo hominum in Rep. quæ frequenter inducitur, quando peregrinorum multi recipiuntur, & imprimis, vel veris civibus æquantur, vel etiam præponuntur. Vnde meritò miraretur autor neſcio quis, in Rep. Romanor. homines diſpari genere, diſſimili lingua, alios alio more viventes, tam facilè coaluiſſe, niſi primordia Romanorum ſciremus perpetuis ſeditionibus turbata & conquaſſata fuiſſe, adeò ut Ariſtot. 5. polit. *rectè dixerit: Omnem civitatem, quæ recepit extraneos, tumultibus expoſitam eſſe, imò Sybaritas, Thurios, Byzanthinos, Zanclæos, Amphipolitas, ex patriis urbibus peregrini, qui ab ijs recepti erant, ejecerunt. Vnde Regulus quidam Comnanum rectè admonuit: videat, ne aliquando Græcorum colonia, cui Maſſiliam pater eius ædificandam conceſſerat, inquilinos eijciat.* Iuſtin. lib. 43. *Nam Apolloniatæ & Syracuſani, licet ſedibus ſuis non eijcerentur à peregrinis, ſeditionibus tamen inteſtinis agitati ſunt, ſicut & Stockholmienſes à Belgis,* Ioh. Mag. lib. 21. *& Budenſes à Germanis.* Fulgoſ. lib. 9. cap. 7. A En. Sylv. in hiſt. *Nec ineptè* Dantes, *quod novos iterum hoſpites Florentini adoptarent,* Cauſa XI.

tarent, exclamat: Hanc iterum fore cauſam diſcordiarum, interitusq́ Reip.

Accommodat Ariſtot. 5. polit. pag. 457. *hanc cauſam ad Tyrannidem, quam jam antea ad Ariſtocratiam contraxerat, quod,* ut idem docet pag. 475. 478. *Tyranni utpote civibus parum fidentes, facilè extraneos civibus aſſcribant: Optimates verò, cum pauci numero ſint, ſi diſcordia ipſis incidat cum plebe, cogantur ad externa auxilia confugere, quæ pluribus Rebuſpub. exitioſa fuiſſe compertum eſt.*

Ideoq́ prudenter Aratus, cum Achæi contra Lacedæmonios viderentur ſibi præfecturi Antigonum tutorem Philippi Macedon. in medium procedens, conſilium illorum redarguit. Fore enim, ut de victis Lacedæmoniis etiam Achæos ſibi ſubijceret: Polybius lib.2. *& legatus Acarnanorum in concilio Lacedæmoniorum cum Ætoli vellent Romanos contra Philippum accerſere, dixit: Vos nebulam ex Heſperia contra Philippum excitabitis, ſed quæ mox totam Græciam inumbrabit.* Polybius lib.9. *Magna enim ſtultitia eſt,* ait Polyb. lib. 2. *tantam, præſertim Barbarorum hominum copiam in urbem inducere, quæ aut viribus, aut multitudine magis, quam cives polleat. Rheginorum Ariſtocratia ita peſſumijt, cum Optimates contra adverſarios ſuos ex Imera urbe veteranos in auxilium devocarent. Illi enim ejectis adverſariis, etiam à quibus vocati erant, ejecerunt.* Iuſtin. lib. 4. *Iidem Rhegini, cum contra Carthaginenſes præſidium Romanorum peterent, ab eodem oppreſſi ſunt.* Polybius lib.1. *Subtilius Catanenſes, qui cum Athenienſes contra*

contra Syracuſanos excitos imperium affectare ſubolfacerent, exercitum eorum dimiſerunt: Iuſtin. lib. 4. *quod & C. Martius Rutilius fecit, cum Campanum præſidium contra Campanorum libertatem quicquam moliri intelligeret.* Livius lib. 7.

Infinita ſunt exempla everſarum & vel occupatarum Rerumpublicarum, à mercenarijs & peregrinis militibus, quorum unum atque alterum ſufficit ad noſtrum inſtitutum delibari. Gothi, quos Arcadius diu pro auxilijs foverat, poſtquam Stiliconis machinis defecerant, imperium occidentale occuparunt. Zonar. in Arcadium & Honor. *Turcæ eripuerunt Palæologis imperium occidentale, à quibus evocati erant in auxilium contra tumultuantes Nobiles.* Gregor. in hiſtor. *Idem jam ante Veneti & Flandri à Comnenis abalienarant, cum Alexio Angelo ſuppetias tuliſſent.* Nicet. in Annal. Alex. *Dux Beneventanus à Sarracenis,* Sigon. in hiſtor. Ital. *& Guido rex Hieroſolimitanus à Solydano Ægyptio, principatu ſpoliatus eſt, cui antea opem tulerat contra Raimundum.* Car. lib. 4. *Ita Britanni Saxonas Anglos deduxerunt in Britanniam contra Pictones, & ab ijs regno exuti ſunt.* Diac. in Theod. Iun. *Ita regem Cambajæ de regno dejecit Solymannus, cujus opem imploraret contra Portagalenſes.* Vaſc. in Selym. Damian. à Goës lib. 1. bell. Camb. *Ita Vladislaus Locticus perdidit arcem Gdanenſem, cui defendendæ, præſidium Cruciferorum impoſuerat.* Cromer. li. 11. *Propterea rectè dixit* Machiavel lib. 2. diſc. 20. *Neq; Principes, neq; Reſpub. ſine periculo uti poſſe auxiliario & mercenario milite: Idq; non tantum in bello, ſed & in pace, quando Optimates ſibi minus fidentes, aliorum Principum arbitrio & fidei ſe concredunt.*

Nam,

Nam cum populus Romanus arbiter captus eſſet ab Ancinis & Ardeatibus de agro quodam dubio, populus eum ſibi adjudicavit, Plinius lib.3. *& Philippus Macedo à diſſentientibus Græcis ad dirimendas controverſias accitus, ſolitus eſt utramq; partem occupare,* Iuſtin. lib.9. *Vſq; adeò tutum non eſt in patrocinium peregrini cujuſdam ſalutem ſureponere.*

Cauſa ultima. *Addam adhuc unam cauſam, videlicet mutationem Religionis. Nihil enim,* dicente Cromer.lib.2. hiſt. Polon. *æquè valet ad moderandas ſtabiliendaſq; Reſp. & ad religandos animos hominum, ſemper,* ut ait Tacit.1.Ann. *ad ſuperſtitionem mobiles, quam religio. Quod cum ſciret Numa,* teſte Liv. lib.1. *omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, & iſtis ſeculis rudem efficaciſſimam, Deorum metum injiciendũ ratus eſt, vtq; ſancita ejus plus autoritatis haberẽt, à Nympha ſinxit proficiſci, ſicut & Minos, & Lycurgus, & Seleucus Locrenſis & multi alij, quos enarrat* Cyr. Spont. part.2. cor.del. prin. *ad Deos legum ſuarum originem retulerunt, de quo* Polyb.lib 10. *ita ſcribit: Mihi non videtur Lycurgus adeò ſuperſtitioſus fuiſſe, vt per omnia Pythiæ obſecundans Rempub. conſtituiſſet, nec Publ. Scipio ſomniis & divinationibus ita deditus, ſed quoniam uterq; multos mortales videbant, nec Paradoxa facilè amplecti, nec res graves audere ſine periculo Deorum aggredi, Lycurgus ſua acceptiora reddebat, quod à Pythia profecta fingebat: Publius verò, quod propoſitum ſuum publico conſilio exequeretur.* Polyæn.lib.8.Stratag. *Quapropter callidus rerum agendarum Magiſter Lyſander, vt propoſitum ſuum de abrogandis regibus populo perſuaderet, niſus fuit oracula corrumpere, vt illud populum facere juberent,* Prob. in Lyſ. *ratus, vulgum non alia ratione*

facilius

facilius permoveri poſſe, quo conſilio etiam Piſiſtratus finxerat ſe à Minerva in Tyrannidem immiſſum fuiſſe, Poliæn. li.1. Stratag. *& Hanno Carthaginenſis ex avium vocibus, quas domi eas docuerat, augurium ad occupandum dominatum quæſivit.* Aelian. lib. 14. var. hiſtor. Nicet. lib 3. Ann. Iſaac. *Caligula quoq; ad populum commentus eſt, ſe Caſtoris & Pollucis familiaritate uti*, Dio. in Calig. *& Attalus, cum Gallis congreſſurus, victimam ante aciem mactavit, & victoriæ prædictionem manui inſcriptam, particulæ cuidam victimæ impreſſit, eoq́; portento ita animavit exercitum, vt certam reportarit victoriam*, Poliæn. lib. 8. *Alexander M. cum in Indiã proficiſci certus eſſet, Vtinam, inquit, Indi quoq; me Deum crederent*, Curt. lib. 8. *Quippe, qui ſciebat non alia re magis terreri poſſe homines, quam ſuperſtitione, quod & Romanis patribus incognitum non fuit, qui alijs comprimendæ plebis remedijs deſtituti, tandem ad ſuperſtitionem confugerunt, auſpitiaq́; turbari à plebe dixerunt.* Livius lib. 5. *Patres, inquit, non vi agebant, ſed precibus, & inter preces multa Deorum mentio erat, relligioſum parti id maximè fuit. Sicut & adverſarij Ludowici Pij, cum in cæteris fruſtrà eſſent, tandem ſub ſpecie religionis illum accuſarunt, & ab imperio demoliti ſunt.* Annal. German. in vit. Ludovv. *Hinc eſt, quod* Machiavell. *diſputat*, 1. lib. diſc. cap. 11. 12. & 13. *Romanos religione maximè ſolitos moveri, quod* ex Valer. Max. *deſumtum eſt, qui eos ait omnia poſt religionem ponenda duxiſſe, etiam in quibus ſummæ majeſtatis decus conſpici voluerunt. Nam devotio utriusq́; Decij tantum ardorem intulit animis, vt tum à Latinis, tum Samnitibus extremas reportarent victorias.* Livius lib. 8. & 10. *Et Deorum, quibus imperium ſteterat*, ut ait Virg. 1. Aen.

 idde-

id eſt, tutelarium, evocationes, urbiumq́ ſecutæ devotiones, quarum typos deſcribit Macrob.3. Sat.cap.9. ex lib.3. rerum recondit. Sammonici Sereni, *unde profectas putabimus, niſi ex opinione religionis? Quid, quod* Flor. *ſcribit* lib.2.cap.6. *Summa fœderum Romanis religio eſt, an non ex metu Deorum profectum eſt? Reverentia enim Deûm non conſiſtit tantum in ſacrificando, ſed & ſervando juramento*, ut vult Iſocrat. in orat.1. de Hipp. *Cum nulla ratione ad delectum habendum plebs adigi poſſet, Quintius Cincinnatus injecit mentionem juramenti, Valerio anteceſſori ſuo præſtiti, & quod voluit, obtinuit. Nondum*, ait Livius lib.3. *hæc, quæ nunc tenet ſeculum, negligentia Deûm venerat, nec interpretando ſibi quiſq; juſiurandum & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad ea accommodabat. Nondum quippe noverant illud oraculi Delphici: Mors rapit hos etiam, qui fœdera ſervant*, Nicet.6. Annal. Man. *ſed inſtituta Numæ ſervabant, quem* Livius lib.1. *teſtatur effeciſſe, ut fides ac juſiurandum, propulſo ll. & pœnarum metu, civitatem regerent. Quod verò* Machiavel. cap.11. in fin. *addit: Religionem à Numa inſtitutam fuiſſe maximam partem felicitatis Romanorum, quod &* Sturmius ſer. 2. de bell. Turcic. *de religione Turcarum enunciat, non rectè interpretatur aut impugnat*, Antima. lib.2. theor.9. *quia non ab Ethnica religione tanquam cauſa, cui Deus benedictum voluerit, hanc felicitatem derivat* Machiav. *ut fortaſſe fecit Capelius advocatus Regius, cujus meminit* Antimach. *Sed, quia iſta religio bonarum legum & Inſtitutorum origo fuit. Propterea enim fidem & fœdera ſervabant, propterea legibus & magiſtratibus ſe ſubjiciebant, quod ſecus facientes Deum ſupplicio affecturum credebant. Nam Coſniga dux Thracum, tu-*

multus

multus & inobedientiam ſuorum compreſſit, quod multis confectis ſcalis, minitaretur, ſe in cœlum aſcenſurum, eosq; coram Iunone accuſaturum. Polyæn. lib. 7. *Tanta tum erat Deorum reverentia, qua & Americanorum nonnullos Columbus ſibi ſubjecit, quod, Lunæ Eclypſi abuſus, eam illis iraſci diceret, quod ſe non recepiſſent. Nec apud Romanos tantum, aliasvè meliorum temporum gentes, tanta vis ſuperſtitionis fuit, ſed etiamnum pondus habet apud nos, tam qui Chriſto nomen dedimus, quam qui Ethnicorum tenebras ſequuntur. Nam Henricum IV. Imper. quidnam exuit imperio, niſi ſuperſtitio?* Sigon. 9. hiſtor. Ital. *quid Fridericum I. ſubjecit pedibus Alexandri III. Pontif.* Cario. lib. 4. *quid deniq; totam Chriſtianitatem tranſvexit in Aſiam, ad expeditionem ſacram,* In addition. ad Schafnab. Car. & Peuc. 4. Chron. *niſi ſuperſtitio? Superſtitio deniq;, ut Otho Imper. dicebat: eò progreſſa eſt, ut imperium, amore ejus ſeipſum exhauſerit. Bononienſes ſanè eò perduxit, ut Iohannem Vicenotinum Monachum libenter pro Tyranno acceperint, tantum, quod crederetur cum Deo colloquia miſcere.* Fulgoſ. li. 1. c. 1. *Savanorola, quod divinus putaretur frui revelationibus, magnam partem Florentinorum in regis Franciæ partes permovit, quem prædixerat in Italiam venturum.* Comin. lib. 4. & 5. bell. Neapol. Machiavel. 1. diſc. c. 11. *Memorat* Florus lib. 3. cap. 19. *de Eumo, Syro quodam, qui fanatico furore ſimulato, dũ Syriæ Deæ ceremonias jactat, ad libertatem & arma ſeruos quaſi numinum imperio excitavit, idq; ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam ſulphure & igne ſtipaverat, leviter inſpirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculo primùm duo millia ex obvijs, mox jure belli refractis ergaſtulis, 40. amplius millium fecit exercitum. Eadem*

id eſt, tutelarium, evocationes, urbiumq́ ſecutæ devotiones, quarum typos deſcribit Macrob.3. Sat.cap.9. ex lib.3. rerum recondit. Sammonici Sereni, *unde profectas putabimus, niſi ex opinione religionis? Quid, quod* Flor. *ſcribit* lib.2.cap.6. *Summa fœderum Romanis religio eſt, an non ex metu Deorum profectum eſt? Reverentia enim Deûm non conſiſtit tantum in ſacrificando, ſed & ſervando juramento*, ut vult Iſocrat. in orat.1. de Hipp. *Cum nulla ratione ad delectum habendum plebs adigi poſſet, Quintius Cincinnatus injecit mentionem juramenti, Valerio anteceſſori ſuo præſtiti, & quod voluit, obtinuit. Nondum*, ait Livius lib.3. *hæc, quæ nunc tenet ſeculum, negligentia Deûm venerat, nec interpretando ſibi quiſq; juſiurandum & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad ea accommodabat. Nondum quippe noverant illud oraculi Delphici: Mors rapit hos etiam, qui fœdera ſervant*, Nicet.6. Annal. Man. *ſed inſtituta Numæ ſervabant, quem* Livius lib.1. *teſtatur effeciſſe, ut fides ac juſiurandum, propulſo ll. & pœnarum metu, civitatem regerent. Quod verò* Machiavel. cap.11. in fin. *addit: Religionem à Numa inſtitutam fuiſſe maximam partem felicitatis Romanorum, quod &* Sturmius ſer. 2. de bell. Turcic. *de religione Turcarum enunciat, non rectè interpretatur aut impugnat,* Antima. lib. 2. theor. 9. *quia non ab Ethnica religione tanquam cauſa, cui Deus benedictum voluerit, hanc felicitatem derivat* Machiav. *ut fortaſſe fecit Capelius advocatus Regius, cujus meminit* Antimach. *Sed, quia iſta religio bonarum legum & Inſtitutorum origo fuit. Propterea enim fidem & fœdera ſervabant, propterea legibus & magiſtratibus ſe ſubjiciebant, quod ſecus facientes Deum ſupplicio affecturum credebant. Nam Coſniga dux Thracum, tumultus*

multus & inobedientiam ſuorum compreſſit, quod multis confectis ſcalis, minitaretur, ſe in cœlum aſcenſurum, eosq́ coram Iunone accuſaturum. Polyæn. lib. 7. *Tanta tum erat Deorum reverentia, qua & Americanorum nonnullos Columbus ſibi ſubjecit, quod, Lunæ Eclypſi abuſus, eam illis iraſci diceret, quod ſe non recepiſſent. Nec apud Romanos tantum, aliasvè meliorum temporum gentes, tanta vis ſuperſtitionis fuit, ſed etiamnum pondus habet apud nos, tam qui Christo nomen dedimus, quam qui Ethnicorum tenebras ſequuntur.* *Nam Henricum IV. Imper. quidnam exuit imperio, niſi ſuperſtitio?* Sigon. 9. hiſtor. Ital. *quid Fridericum I. ſubjecit pedibus Alexandri III. Pontif.* Cario. lib. 4. *quid deniq; totam Chriſtianitatem tranſvexit in Aſiam, ad expeditionem ſacram,* In addition. ad Schafnab. Car. & Peuc. 4. Chron. *niſi ſuperſtitio? Superſtitio deniq;, ut Otho Imper. dicebat: eò progreſſa eſt, ut imperium, amore ejus ſeipſum exhauſerit. Bononienſes ſanè eò perduxit, ut Iohannem Vicenotinum Monachum libenter pro Tyranno acceperint, tantum, quod crederetur cum Deo colloquia miſcere.* Fulgoſ. li. 1. c. 1. *Savanorola, quod divinus putaretur frui revelationibus, magnam partem Florentinorum in regis Franciæ partes permovit, quem prædixerat in Italiam venturum.* Comin. lib. 4. & 5. bell. Neapol. Machiavel. 1. diſc. c. 11. *Memorat* Florus lib. 3. cap. 19. *de Eumo, Syro quodam, qui fanatico furore ſimulato, dũ Syriæ Deæ ceremonias jactat, ad libertatem & arma ſeruos quaſi numinum imperio excitavit, idq́; ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam ſulphure & igne ſtipaverat, leviter inſpirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculo primùm duo millia ex obvijs, mox jure belli refractis ergaſtulis, 40. amplius millium fecit exercitum. Eadem*

latè aliud promittunt, aliud præſtant, quod vocabat Cicero lib. 3. de nat. Deorum. *peccare in Repub. cum beneficio. Errat enim, qui negat, magiſtratibus ut & medicis erga ægrotos aliquando mentiri licere, ex ſententia* Platonis & Xenophontis. *Nam Imperator Fridericus I. adagij vice uſurpavit: Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare, quod unicum Ludowicus XI. rex Gall. à filio ſuo diſci voluit.* A Emil.lib.10. *Sertorius, qua ratione autoritatem ſibi conciliavit, & militem in ſtipendijs continuit, niſi quod temporibus difficilimis ad milites mentiretur, ſi mendacium prodeſſet, & literas compoſitas pro veris legeret, & ſomnium ſimularet? &c.* Gell.lib.15. cap. 22. *qua juſta fraude etiam Eumenem pulchrè viſum fuiſſe autor eſt* Plut. in Eumen. *& de Cicerone ſcribit* Paterc.lib.2. *quod inſito amore Pompejanarum partium, Cæſarem tamen laudandum putaſſet. Aliud quippe dicebat, aliud intelligi volebat. Infinita occurrunt apud autores id genus Sophiſmata, quæ, qui reprehendere velit, non minus cauſæ habebit ad reprobandos medicos, qui,* dicente Lucretio, *abſinthia tetra medentes cum dare conantur, prius oras, pocula circum, Contingunt mellis dulci flavoq́ liquore, Ut puerorum ætas improvida ludificetur Labrorum tenus: interea perpotet amarem Abſinthij laticem, deceptaq́ non capiatur. Nam Appius Claudius, roganti tribuno, quare plebeium Conſulem fieri non oporteret, ut fortaſſe verè, ita parum utiliter in præſens certamen reſpondit: quod nemo plebeius auſpicia haberet. Plebs enim ad id maximè indignatione exarſit, quod auſpicari, tanquam inviſi Dijs immortalibus, negarentur poſſe: nec ante finis contentionum fuit, quam victi tandem patres, ut de connubio ferrent conceſſere.* Livius lib. 4. *Proinde*

inde magnis ſæpe tumultibus vias occludunt hæc arcana, ſi probè admoveantur, quæ nos propterea cum cæteris commiſcebimus. vide Clapmar. in libro de arcan. Rerumpublicarum.

Curandi verò proceſſus iterum Medicorum Methodum imitatur. Nam aut viam occludit cauſis corrupturis, aut jam invaleſcentes amolitur, aut quando jam morbum pepererunt, morbo manum applicare docet. Quomodo cauſis, priuſquam radices agant, repagulum obyciatur, aut quomodo in herba ſuccidantur, id primo loco explicat Ariſtot. *Sed pulcrum admiſcet Sophiſma, quod non tantum cauſæ extirpandæ ſint in ipſo ortu: ſed quod aliquando utile ſit, aut eas accerſere, aut, quaſi in propinquo fingere, cujus rationem reddit* Plutarch. in lib. de cap. utilit. ex hoſt. *Equidem, inquit, hiſtriones & cantores ſcenicos videmus ſæpenumero in theatris pro ſeſe remiſsè, ac nulla cum alacritate aut ſolertia agere; ortâ autem concertatione adverſus alios, non ſeipſos modo, ſed & inſtrumenta ſua majore cum diligentia ad certamen aptare, fides explorare, accuratiusq́ concentum inſtruere, & tibijs canere. Ita & qui adverſarium ſibi vitæ exiſtimationisq́ ſuæ paratum novit eſſe inimicum, attentius ſeipſum obſervabit, resq́ ſuas circumſpiciet. Nam & hoc vitij proprium eſt, quod cum peccamus, inimicos magis reueremur, quã amicos. Eandemq́ rationem ſuo præcepto adjungit ipſe* Ariſt. 5. polit. pag. 437. *ut ſcilicet cives quaſi in nocturna vigilia excubitores maneant, &* ut 2. Rhet. idem ait, *quoniam ὁ φόβος βουλευτικοὺς ποιεῖ urget quippe metus. faciuntq́ pericula fortes*, ait Poëta Ligur. & Petron. in Saty. *quãtũ quisq́ timet, tantum fugit. Securitas n. quæ otiũ plerumq́ comitẽ habet, quid mali afferat Rebuſp.* Liv. *docet* li. 26. *& Naſica ſenſit,*

cum

cum plerique deletis Carthaginenſibus & ſubactis Achæis, rem Romanam in optimo ſtatu collocatam crederent: nunc verò, dixit, periculosè res noſtræ ſe habent, Νῦν μὲν ἔτι ἐπισφαλῶς ἔχομεν, μήτε οὓς φοβηθῶμεν, μήτε οὓς αἰσχυνθῶμεν, ἑαυτοῖς ἀπολελοιπότες. Plut. in lib. ubi ſupra. *Id quod & Q. Metellus poſt devictum Hannibalem timuit, vt refert* Valer. lib. 7. cap. 2. *qui & Appium Claudium ſæpe dicere ſolitum memorat: Negotium populo Romano melius, quã ocium committi, non quod ignoraret, quam jucundus tranquillitatis ſtatus eſſet, ſed quod animadverteret, præpotentia imperia, agitatione rerum ad virtutem capeſſendam excitari, nimia quiete in deſidiam reſolvi. Atque de ſuo addit* Vale. *Sanè negotium nomine horridum civitatis noſtræ mores in ſuo ſtatu continuit, blandæ appellationis quies plurimos vitijs reſperſit. Nam,* ut Cyr. Spont. part. 1. cor. del princip. *rectè docet, Non ha la plebe il maggior nemico alla ſua ſalute, che il trappo facilè ſucceſſo delle ſue attioni: ne il maggior maëſtro per la prudenza, che il contrario fine de ſuoi penſieri.* & Livius lib. 3. *ſcribit: Secundæ res extemplò urbanos motus excitarunt. Exemplo ſit populus Athenienſium, qui, occiſo Epaminonda, quem ſoliti erant revereri, in luxum effundi ceperunt, & à bellis amoti, ſtipendia militum in cives diſtribuerunt, Poëtasque magis in theatris, quam Duces in bello laudarunt.* Iuſtin. lib. 6. *Qua de cauſa Pericles, ne facultatem daret otio torpeſcendi Athenienſibus, 60. triremes in alienas terras miſit, vt ſtipendia illic mererentur, cum patria pacata eſſet.* Plut. in Pericl. *& de iiſdem teſtatur* Plato 3. de ll. *quod eos metus Perſarum ad concordiam adegerit, & ad virtutem extimularit, alioquin otio & ſecuritate corrumpendos. Quin & ipſi Romani non alia de cauſa facti ſunt præda Hannibalis,*

quam

quam, quod 24. annorum ſpatio arma magnopere non uſurparant. Sturm. ſerm.2. de bel. contr. Turc. ineun. *Meritò igitur à* Platone lib.3. de ll. & Ariſtot. 5. polit. *ad excitandas vigilias civium præſcriptum eſt, ut aliquando ex veterno, metu periculi excitentur, quod &* Frontin lib.1. c. 9. lib.2. cap.9. & Polyen. lib.5. *inter ſtratagemata militaria reponunt. Nam Hermocrates Syracuſanus, ſuperatis acie Carthaginenſibus, veritus, ne captivi, quorum ingentem manum in poteſtatem redegerat, parum diligenter cuſtodirentur, quia eventus dimicationis in epulas & ſecuritatem compellere victores poterat, finxit proxima nocte equitatum hoſtilem venturum, qua expectatione aſſecutus eſt, ut ſolito attentius vigiliæ agerentur. Idem rebus proſperè geſtis, & ob id reſolutis ſuis in nimiam ſecuritatem, ſomnoq́ & mero preſſis, in caſtra transfugam miſit, qui præmoneret, ſe fuga elapſum: diſpoſitas enim ubiq; à Syracuſanis inſidias, quarum metu recepit aciem.* Frontin. lib.2. Stratag. c.9. *Eodem Sophiſmate Theognis dux Athenienſium, & Eudocimus, quos refert* Polyæn. *& apud Romanos Sylla ſeditiones militum compeſcuit, quod hoſtem in propinquo eſſe fingeret:* Frontin. lib.1. cap.9. *& Valentiniano, ſi quando præ luxuria ſævire cœperit, ſolitus fuit Remigius copiarum præfectus novos Barbarorum motus ſubijcere, quos ubi leviter ſaltem inaudijt, ſtatim iram remiſit, & ad ſe redijt.* Aminian.lib.31.

Porrò verò ad viam, cauſis, corruptionem portendentibus, occludendam, hæc remedia potiora ſunt, quæ in genere proponi poſſunt. Ante omnia, quod Tacit.2. Annal. *dicit: Nihil eſſe in bello ſpernendum, quodq; ante* AEmil. in Thraſyb. *dixerat: Nihil in bello oportere contemni, & paulò ſecus repetijt* Comin. lib.3. *ne minimum quidem ho-*

ſtium flocci faciendum, Scip. Ammir. lib. 18. diſc. 10. *id non minus prudenter* Ariſtot. 5 polit. pag. 404. 431. 434. *in omni cauſa, unde Reipub. aliquid periculi metuendum eſſet, obſervandum putat, quia minima ſæpè ſcintilla in maximum exuberavit incendium, quod idem* Ariſtot. 5. polit. pag. 404. *docet :* τὸ ἐν ἀρχῇ μικρὸν ἁμάρτημα, *inquit, pro maximo in progreſſu habendum. Sicut enim ſumtus,* ait idem pag. 434. *qui ſenſim erogatur, non ſentitur, prout in multis regnis patet, quæ* dicente Sturm. ſerm. 2. de bell. cont. Turc. *primum agrum, mox ſylvam, mox aliud quoddam vectigal in cœnobia & ſacerdotes contulerunt, donec ſeipſa exhaurirent : ita prima ſæpe cauſa, cui ſine negotio obviam iri potuiſſet, tam diu latet, & occultè Reip. unum membrum poſt alterum depaſcitur, donec tandem omnes remediorum vires ſuperarit. Sera, inquit, ille, tunc remedia cum vulnus jam ad extremos halitus pervenit. Propterea, quod Medici ab* Ovidio *depromſerunt : Principijs obſta : ſerò medicina paratur, cum mala per longas invaluêre moras, id ad morbos Reipub. eò magis trahendum, quod* Polyb. *credat, altius jam progreſſam ſeditionem eſſe incurabilem. Vnde, rectè* Tacit. 14. Annal. *Sæpe modicis remedijs primi motus conſedêre, &* Cicero 5. Philipp. *Omne malum naſcens facilè opprimitur : inveteratum fit plerunq; robuſtius. Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras, Quo poſita eſt primùm tempore virga fuit. Tunc poterat manibus ſumma tellure revelli, Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.*

Et AElianus *quoq;* lib. 14. *maximo honore putat afficiendos, qui naſcentibus malis occurrere, & ea, priusquam virium ſit facta acceſſio, extinguere ſciunt. Difficile*

cile enim eſt principium mali, præſertim latenter ſubrepentis, cognoſcere, ſicut & Ariſtoteles *docuit* 5. polit. pag. 437. τὸ ἐν ἀρχῇ γινόμενον κακὸν γνῶναι, οὐ τοῦ τυχόντος, ἀλλὰ πολιτικοῦ ἀνδρός. *Nonnulli ad hoc delatores per populum diſponunt, vt ex eorum relatione, quid cives machinentur, clanculum intelligant, quales* Ariſtot. 5. polit. pag. 475. *nominat Syracuſanorum mulieres,* ποταγωγίδας *quæ turbis miſtæ, ſolitæ fuerint Tyranno ſenſa plebis renunciare. Nominat eadem, ſed viros* Plutarch. in vit. Dion. & in lib. de Curioſit. *ex quo* Budæus *redarguit* Ariſtotelem, *quod eas pro fœminis referat, quaſi non idem officium ſimul viris & mulieribus committi potuerit, vt placet* Victorio comm. in Ariſtot. polit. pag. 475. *Nam & Catilina mulieres ſubornavit, vt conſilia virorum ſibi proderent,* Saluſt. in Catil. *& Prexaſpes per mulierem cognovit fraudes Magi, pro Cambyſis fratre ſuppoſiti.* Herod. lib. 3. *Cæterum Hieron tales ὠτακουστὰς ſolitus fuit plebi immiſcere, vt & Darius, ex quibus, quod de ſe ſentiret vulgus loqueretur vè, intelligere poſſet :* Plutarch. in lib. de curioſit. *& Nero per theatra, idem genus homines diſponebat, quos Corycæos vocabant.* Sueton. in Neron. *Claudius nec convivia inire auſus eſt, niſi ſpeculatores cum lanceis aſtarent : quippe qui erant, veluti è ſpecula Principis.* Sueton. in Claud. *Quia verò iſtis delatoribus tutò fides haberi nequit, quippe, qui non rarò culpam à nocentibus in innocentes convertiſſe deprehenſi ſunt, ſicut* Marcellin. *teſtatur* lib. 14. *quod per clandeſtinos verſutosq́ rumigerulos, compertis leviter addere quædam maleſuetos, falſa & placentia ſibi dicentes, affectati regni, vel artium nefandarum, calumnias inſontibus affigant.*

Perinde ut Theodorus Syracuſanus, pro veris conjuratoribus, regis intimum amicum Thraſonem, & cæteros à latere, quicunq; fingenti occurrebant, ſed extra culpam erant, prodidit: Livius lib. 24. *meritò* Ariſtot. 5. polit. *inter modos ſervandi Tyrannidem, delatores nominat. Nam Imperatores Valentinian. Gratian. & Theodoſi.* l. ſinguli 14. C. de accuſat. *negant delatoribus in publicis negotiis locum eſſe, ne innocentia per calumnias periclitetur: &* Tacit. ait 4. Annal. *Delatores, genus hominum publico exitio repertum, nec pœnis unquam ſatis coërcitum, quos etiã vituperat* Arrian. Epicte. lib. 4. cap. 13. Theophraſt. in Charact.

Bonus enim Princeps longius ire, & conjurationibus remoram objicere debet, priusquam eò deveniant, ut à delatoribus detegi poſſint. Tum enim oportet eas jam deliberatas eſſe, quò pertinent graviora remedia, infra recenſenda. Hoc igitur eſt optimum inter remedia præſervativa, quia utilius eſt, intacta jura ſervare, quam poſt vulneratam cauſam remedia quærere, l. fin. ex quib. cauſ. in integr. reſt. non eſt neceſſe C. *& melius eſt occurrere, quam poſt exitum vendicare.* l. un. C. quand. lic. unic. ſine jud. ſe vind.

Deinde utiliſſimum eſt ad prævertendas Reipub. mutationes, Lycurgi prudentiam imitari, qui ita leges ſuas conditas voluit, ut perpetuæ eſſent. Plut. in Lycurg. *Videbat enim, quod* Cicero pro Flacc. *ſcribit, tam diu ſartam tectam manſuram Rempub. quam diu ex legibus nihil immutaverit. Poſtquam verò Spartani ab ijs deſciverunt, &* ut ait Ariſtot. 5. polit. pag. 430. *patrimonia ad paucos pervenerunt, omnia retrò & in pejus iverunt, donec antiquam frugalitatem Agis & Cleomenes reſtituere*

nite-

niterentur. Plut. in Agid. & Cleo. *Id enim* Machiav. lib. 3. diſc. 1. *diſputat, ſæpè revocandam eſſe Rempub. ad ſua principia, ſi fortaſſe degeneraverit, quod ferè fieri ſolet. Satius tamen eſt ab initio ita conſtitutas eſſe leges, (loquor autem de legibus, quæ ſtatum Reipub. concernunt) ut non liceat civibus ab ijs deſciſcere, id quod Thurios quidem obſervaſſe,* Diodor. lib. 12, *prodidit. Hi enim nulli civium poteſtatem faciebant, legis abrogationem petendi, niſi inſerto in laqueum collo id faceret. Hac enim ratione ſeditioſis hominibus, omnium optimè occluditur via ad mutandam Rempub. quippe cum ſciant, ſe in mutando ſtatu Reipub. fruſtra fore, quod eum omnes cives immutabilem conſervare niſuri ſint, idq́; lege jubente & cogente. Nec facilè conſilia ſua occultabit corruptor Reipub. quod ſtatim contra leges & majeſtatem Reipub. agere convinci poſſit. Econtrario verò, ubi ſemel via patefit mutationibus, planiſſima aperta eſt feneſtra ſeditioſis hominibus, ad bonas quaſcunq; leges antiquandas, & novas ſubrogandas, quæ propoſito ipſorum inſerviunt. Ita Romæ, cum plebs ſemel patribus ſuos tribunos extorſiſſet, mox etiam conjugia cum ijs promiſcua obtinuiſſet, brevi poſt, omnia Senatui jura eripuit. Atq; hoc eſt argumentum Catonis pro l. Oppia: Si, inquit, mulierum libidini, parum conceſſeris, nihil reliquum facient, donec quidvis obtinuerint.* Liuius lib. 34. *Si verò ab initio quicquam minus aptè conſtitutum ſit, quod neceſſaria mutatione indigeat, ne magni alicujus mali origo evadat, aut ſi progreſſu temporis malæ quædam conſuetudines irroborarint, aut aliud quiddam acciderit, quod ſui remotionem indicet, ita monet* Ariſtot. *mutationem inſtituendam eſſe, ne à populo ſentiatur, & ab alijs in exemplum trahi poſſit.*

Id quod fiet, ſi priſtinæ rei umbra quædam, monente Machiavel. lib. 1. diſc. 25. Clapmar. lib. 6. de arcan. Imp. cap. 5. *ſemper retineatur, ſicut Romani, exactis regibus, faſces Conſuli, & Regium nomen Sacrificulo dederunt, ne regum memoria ſtatim intercideret,* Livius lib. 2. *& mutatio paulatim fieri permittatur. Quæ enim ſenſim fiunt, à paucis deprehenduntur, ſicut legum 12. tab. rigor ea ratione, nemine advertente, evanuit:* Gell. lib. 20. cap. 1. *& Auguſtus, cum pace & gratia civium, univerſam in ſe transtulit poteſtatem, quod* dicente Dione, *quædam in tempore diſponeret, quædam reijceret ad tempus. Quod enim* Galenus 2. de comp. med. ſec. lo. cap. 1. 5. de Meth. circ. fin. *præcipit: Non ſtatim à principio efficaciſſima adhibere convenit, ſed à debilioribus auſpicari, quodq;* Crat. in Iſag. ad art. Med. *dicit: Semper illud* Meſuæ *tenendum: eſſe gradum ſapientiæ, ut ad medicinas fortes non deveniamus, niſi ubi debiles non contulerint, in omni adeò re verum eſt, cum* Concil. diff. III. *enunciet. Omne ſubitaneum naturæ inimicum, quod* Ariſtoteles 5. polit. pag. 486. Tacitus lib. 1. Annal. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 3. Scip. Ammir. lib. 1. diſc. 5. *ad Reſpublicas benè accommodant, quibus nihil detrimentoſius accidere ſolet, quam repente mutari. Agis enim, cum repente Lycurgi leges revocare vellet, non tantum intentione ſua, ſed & vita excidit.* Plutarch. in Ag. *Nam nihil magnum,* ait Arrian. Epict. lib. 1. cap. 15. *fit ſubitò, cum ne uva quidem, aut ficus.*

Porrò, ſedulò cavendum monet Ariſt. *à ſophiſmatis τῶν δημαγωγῶν, eorum videlicet quos* Lambinus *vertit, leves tribunos plebis, eò quod populum ad libitum ſuum agitent.* πολλὰ γὰρ τῶν δοκούντων δημοτικῶν, ait Ariſtot. 5. polit. pag. 448.

448. *λύει τὰς δημοκρατίας, nec multitudo ad rebellandum ſatis diſpoſita eſt, niſi autoribus ſuis incitetur,* teſte Veget. lib.3. de re milit. cap.4. *His popularibus oratoribus multis modis obviam itum fuit, vel quod ἄνευ πάθους καὶ προοιμίου perorare juberentur, ut Athenis :* Ariſtot.1.Rhetor.cap.2. Lucian. in Hermot. *Vel quod à Republica abeſſe juberentur. Sed in noſtris Rebuſp oratores tantam vim non habent, niſi religionis prætextu abutantur, ſicut ſupra ex* Clapmario & Tholoſſ. *oſtendimus, nec alijs ad populum concionandi facultas datur, niſi Eccleſiaſticis, quibus proinde facile eſt, religionis metu turbare animos mortalium, & in quamcunq; partem placuerit, ducere, id quod Iohanni Rocytæ cum Imperatoris legatis in Ruſſiam venienti Baſilides, Moſchorum princeps objecit.* Oderborn.lib.1. de vit. Baſilid. *Nam ſuperſtitio,*ut verbis Lactantij utar,lib. 4. cap.28.*quæ minimis rebus magnum timorem injicit, facilè decipit, adeò ut poſtquam* ex Diod. Sic. lib.4. Biblioth. *ſcimus reges Meroes coactos fuiſſe ad mortem ire, quoties Sacerdotibus placuerit, non miremur ulterius, Anabaptiſtam quendam fratri germano auſum fuiſſe caput amputare, & utriq; parenti potuiſſe perſuadere, id ſibi divinitus imperatum fuiſſe.* Surius in hiſtor. *Imò religionis ſimulatio ſola tantum ponderis habet ad dementandos animos hominum, ut cætera vitia, & quid præterea cogitet quiſq;, non videant. Erat Deſiderius, Rex Italiæ, non tantum Politicorum, ſed & Eccleſiaſticorum bonorum rapax: & tamen pius habebatur, quod Pontificem ſequeretur, & ex nummis Herculis imaginem removeret.* Viterbienſ. de Antiquit. & reb.Hetrur. *Erat Narſes reapſe violentus & ſanguinarius, ſed ſimulato cultu pietatis religioſus & pius habebatur,* Agath. lib.1.

Tantum

Tantum valet in animis hominum ſuperſtitio, ut mirum non ſit, Sertorium, falſis ſimulatis religionibus, animum militum ita adjutaſſe, ut ex ijs nationibus, quæ ſecum faciebant, cum multis prœliis ſuperatus eſſet, nemo unquam ab eo deſciverit, quanquam id genus hominum erat mobiliſſimum; Gell. lib. 15. cap. 22. *nec mirum, quod hodie ſub prætextu pietatis tam multæ excitentur ſeditiones, quibus obviam itur, ſi nemini licentia detur aut facultas publicè docendi quicquam, cujus ſufficientem rationem ſapientibus, pijs & prudentibus viris, Reipub. vel præſidibus, vel Senatoribus non ediderit*, l. Nemo C. de ſum. Trinit. & fide Orthod. *Non enim permittendum eſt, occaſione religionis hæreſiumq; quæſtionis à quoquam Provinciam commoveri*, ut ait Imp. Nov. 17. §. neque de Mand. Princip. C. *Si ab Romanis exemplum capere velimus, poſt Vejos expugnatos, Ædilibus datum eſt negotium, ne qui niſi Romani Dij, neu quo alio, quam patrio more colerētur, unde* Scipio Ammir. lib. 11. diſc. 3. *oſtendit, non facilè debere Principes pati, ut in ſuam ditionem nova religio introducatur, de qua re refert* Sigiſm. Bar. in hiſtor. Muſcov. *ſtatutum Principis Muſcoviæ, Sed nobis ſolis eorum ſtatutis hac in parte acquieſcendum non eſt. Qui hujus mali remedia quærit, quod ex religionis abuſu naſcitur, Theologos adeat neceſſe eſt, quibus illam curam relinquimus, ne curioſitatem Politicorum durius accuſare habeant.*

Deniq; ut minus obnoxia ſit mutationibus Reſpub. cum Magiſtratus ſua cura maximè providere poſſint, rectè præcipit Ariſtot. *Rerum ſummæ prudentes & verſatos præponere Magiſtratus, quippè cum talis ſit Reſpub. qualem eam ſolertia vel incuria magiſtratuum efficit. Multas enim improbas Reſpub. prudentia magiſtratuum benè gubernatas*

tas fuiſſe teſtis eſt Ariſtot. 5. polit. pag 435. *& de Dione ſcribit* Prob. in Dion. *quod modeſtia ſua Tyrannidem Dioniſij, alijs tolerabilem, alijs acceptam fecerit. Iuſtinianus ſanè ignaviæ nomen non effugit*, apud Procop. 1. de bell. Perſ. Centuriat. Magdeb. cent. 6. cap. 3. *& tamen ope Narſetis & Belliſarij, res maximas geſſit, ita, vt in prudente magiſtratu non minus momenti ſit, quam in rege ipſo. Proinde magiſtratum oportet ſe benè gerere, tum erga Collegas ſuos, tum erga ſubditos, ne oriatur ejus merito ſeditio. Erga ſubditos benè ſe gerunt magiſtratus, ſi ſe nimium non efferant, nec damno vel injuria eos afficiant. Nam Cornelium Gallum Ægypti præfectum Auguſtus ignominia notavit, quod inſolentius, quam par erat ſe geſſiſſet, ſtatuasq; & Pyramides rerum à ſe geſtarum inſcriptionem continentes, locari permiſiſſet.* Dion. lib. 53. *Demetrium verò, cum per contemtum accuſatorum libellos in fluvium excuteret, univerſa multitudo deſeruit.* Plut. in Demet. *Imprimis verò dandam operam monet* Ariſtoteles, *ne defraudetur, aut damnum patiatur quisq; in eo, in quo ſe minimè defraudari velit, vtpote φιλότιμοι in honore, plebs in lucro. φιλότιμοι enim, honorum ſocij adoptandi ſunt, vt invidere deſinant: Vulgi verò lucris aliquid indulgendum, quod fiet, ſi magiſtratus à quæſtu ſibi temperent. Si enim officia ſine quæſtu ſint, vulgus ea non appetet, nec alijs invidebit, dummodo rebus ſuis vacare poſſit ſine impedimento. Vnde* Ariſtot. 5. polit. pag. 442. *probum Sophiſma proponit ad removendum vulgus ab officiis publicis. Nam ſi magiſtratibus nihil lucri ſit expectandum, plebs eos ne quidem recipiet: interim divitibus & nobilibus licebit eos ſine obſtaculo capeſſere. Plebs enim, dummodo diteſcat, imperia & libertatem flocci facere ſolet, ſicut*

Cicero in Epiſt. ad Attic. *innuit: An fœneratores, ait, an agricolas, quibus optatiſſimum eſt ocium, timere putas, ne ſub regno ſint, qui id nunquam, dummodo otioſi eſſent, recuſarunt.*

Erga ſeipſos rectè agunt Magiſtratus, ſi æqualiter magiſtratus & honores dividant, quia ſunt collegæ. Hinc enim collegæ dicuntur, ſecundum Meſſalum 1. de auſpic. *quod ſint æqualis poteſtatis. Non loquor jam de minoribus magiſtratibus, quorum eſſe ſupra diximus, majorum juſſa exaudire, ſed de collegis, reſpiciendo ſimul ad cauſam corruptionis Ariſtocratiæ,* 5. polit. pag. 424. *quam ſupra propoſuimus, videlicet diſſenſionem mutuam Optimatum, ut ejus remedium proponamus, quod in concordia conſiſtere facilè videre eſt, cum* Livius lib. 3. *Decemviratum apud Romanos, ſolo Imperantium conſenſu ſtabilem fuiſſe teſtetur. Conſenſus autem conſervatur, ſi mutuum honorem ſibi invicem exhibeant, quia hac de cauſa turbas excitabat M. Manlius, quod Furium tantum eminere videret,* Livius lib. 6. *nec alter alteri poteſtatem eripiat. Nam, qui paris poteſtatis ſunt, mutuò ſe rogare non poſſunt,* l. §. §. ult. l. Nam Magiſtrat. de Arbit. l. apud de Manumiſ. Vind. l. Minor. de Minor. *nec ſibi mutuò imperare, quia par in parem non habet imperium. Impedire quidem collega collegæ poteſt actionem, ſicut Piſo prætor peregrinus tribunal juxta Verrem urbanum prætorem poſuit, ut acta ejus inhiberet,* Aſcon. & Cicer. libell. in Verr. *& Paulus ſcribit* l. apud de manumiſſ. *Apud eum, cui par imperium eſt, manumitti non poſſe, ſed aliud eſt intercedere, aliud imperando prohibere.* M. Tullius 3. de ll. *tum Magiſtratuum edicta valere voluit, ſi par majorve poteſtas non prohibeſſit, id eſt, niſi intercesserit. Alioquin*

æquæ

æqualibus æqualis poteſtas & honor exhiberi debet, ne, qui ſe contemni videt, occaſionem habeat Remp. invadendi, ſicut Lyſandrum feciſſe conſtat, quod ubiq; Ageſilao poſtponeretur, Plut. in Lyſand. *Argivi quoq;, ſocietatem cum Lacedæmoniis inituri, cum regem ſuum non æquali cum Lacedæmonio, loco eſſe viderent, ad Perſas defecerunt:* Herod. lib. 7. *Quando verò nonnulli, quod à magiſtratibus excludantur, ex optimatibus tumultuantur, commodum inſtitutum eſt, ut breve ſit tempus magiſtratus. Hoc enim modo pluribus ad publica officia aditus dabitur. Sed de hac re jam* in 1. parte *multa diſputavimus, ubi oſtendimus ſimul ea ratione impediri unius poteſtatem, quod & infra repetemus.*

Si enim unus perpetuò dominetur, & ejus poteſtas præter proportionem augetur, & reliquis ſuccenſendi feneſtra aperitur, quippe, qui putant, ut Horatius diſputat contra Xviros, unam exæquandæ libertatis rationem eſſe, viciſſitudinem imperitandi, Livius lib. 3. *ſicut &* Ariſtot. 5. polit. pag. 452. *duo, ait, eſſe, quibus populi ſtatus definiatur, libertatem, & ut plures in manu Rempublicam habeant.*

Hæc jam ſunt remedia præſervativa, quibus ſubjcit Ariſtoteles *ea, quæ cauſas ingraveſcentes amputant, & morbum tollunt. Cum verò ingraveſcant cauſæ per ſeditiones, quarum interventu corrumpunt Remp. Primum in genere de remediis contra ſeditiones agendum eſt. Et antevertitur quidem ſeditio, civiumq; contentio, ſi æqualitas obſervetur inter cives, quia hæc eſt mater amicitiarum,* ut 8. & 9. Eth. *docetur, quod &* Cicero 3. de ll. *admonet: In eo, inquit, conſiſtit ſalus Reip. ut tenuiores cum Principibus æquari ſe putent. Hæc enim eſt æqualitas illa,*

quam Ariſtot. 5. polit. *non tantum Democratiam, quanquam illam maximè, ſed etiam cæteros ſtatus conſervare dicit.* *Cæterum* Ariſtot. 5. polit. pag. 437. *vult præterea ſeditionem legibus ſeverè prohibendam eſſe, quia legum pœnarumq́ metu maxima pars hominum deterretur potius, quam utilitatis publicæ reſpectu ad tranquillitatem ducatur.* *Si verò jam ſeditio pullulare cœperit, nec prædicta remedia profuerint, inter Solonem & reliquos legumlatores controverſum eſt, quid facto opus ſit. Solon enim puniendos putavit cives, qui in civitate ſeditioſa ocioſi ſpectatores manerent, nec ad alterutram partem ſe applicarent. Sed aliter* Cicero ad Attic. *Ego verò, inquit, Solonis popularis tui, & ut puto, etiam mei, legem negligam, qui capite ſanxit, ſi quis in ſeditione non alterutrius partis fuiſſet, niſi tu aliter cenſes, & hinc abeo, & filij, quæ fuit etiam ſententia Q. Hortenſij, quem* Cicero 2. Epiſt. famil. *nunquam bello civili interfuiſſe ſcribit, ſicut nec Aſinium Pollionem.* Paterc. 2. hiſtor. *& Pomponius Atticus, cum in Cinnano tumultu vivere ſe non poſſe videret, quin alterutram partem offenderet, Athenas ſe contulit, ut dum ſtudiis ibi vacaret, tutò aliorum pugnas ſpectaret.* Corne. Nep. in vit. Pompo *Imò ipſe Solon neutri parti adhæſit, cum inter agreſtes cives maritimos ſeditio exorta eſſet.* Laërt. in Solon. Bodinus *tamen* lib. 4. de Repub. c. 7. *in Ariſtocratia & Democratia legem Solonis retinendam putat, eò, quod ſeditioſi ab armis & ſeditionibus magis terreantur, ſi ſciant, ſibi totam civitatem capiendam inimicam, quaſi non aliis tutioribus & æquioribus vijs deterreri poſſint, auxilio totius Reipub. priusquam ſeditio nimias vires ſumſerit, & quaſi una tantum eſſet cauſa ſeditionum, videlicet, à pravis & ſeditioſis civibus, qui contra*

tra Reipub ſtatum tumultuentur: unde facile ſcire poſſis, utri parti te applicare debeas. Sed ſæpiſſimè initium ſumit ſeditio à privatis civium litibus, ubi difficile eſt judicium, utrius cauſa ſit potior, tutiusq́ ſequenda. Nam ipſum Catonem, Lucanus, *dum ſcribit aliter Deo, aliter ipſi viſum, in eligenda parte aberraſſe indicat: nec Cæſar ſanè tam ſplendidum Reipub. occupandæ prætextum, & fortaſſè nec cauſam habuiſſet, niſi melior pars civium tam inconſiderate Pompejo ſe addixiſſet.*

In his igitur controverſiis aliter privatus ſe geret, aliter Reſpub. Privatus enim civis, ad quem aliorum lites non attinent, nihil cauſæ habet, quare ſe immiſceat, &, quod Reipub. peſtiferum evadere poteſt, malum adaugeat, quod potius, quantum poteſt, in exortu ſuffocari debet. Nec timere habet, ne victoris præda fiat, ſicut Aſinius Pollio timebat, rogatus à Cæſare, ut ſe ad bellum Actiacum comitaretur: Ego, inquiebat, diſcrimine veſtro me ſubtraham, & ero præda victoris, Paterc. lib. 2. hiſt. *Nam, ubi depugnatum videt, ad meliorem partem tutò tranſire poteſt. In ijs verò ſeditionibus, quæ ſtatum Reipub. convellere videntur, non eſt dubium, quin unicuiq́ civium vires ad tollendos ſeditioſos autores ſint conferendæ.*

Totius autem Reipub. ſeu majeſtatis, cui cura ſalutis publicæ incumbit, nequaquam eſt alterutram partem fovere, ſed potius operam dare, ut ab utraq́ parte ſeditio extinguatur, & non ſtatim ad majora remedia tranſeundo, ut ſuadet Machiavell. lib. 3. diſc. 27. *Sed à mitioribus incipiendo, tentanda eſt litigantium reconciliatio. Quod enim reconciliatio omninò deſperanda non ſit, ut* Machiav. *putat*, Scip. Ammir. *docet*, lib. 15. diſc. ult. *& nos infra oſtendemus. Multi enim eatenus adhuc patriæ amantes inveni-*

veniuntur, ut in gratiam ejus, privatarum injuriarum obliviſcantur, ſicut Ariſtidem & Themiſtoclem feciſſe legimus. Herod. lib.8. Plutarch. in Ariſt. & Themiſt. *Apud nonnullos autoritas majeſtatis idem obtinuit, ſicut populus Romanus, cum Livium Salinatorem, Neronii inimico collegam dediſſet, privatarum injuriarum oblivisci coëgit, ne pertinacem ſe exhibendo inimicum, malum Conſulem ageret:* Valerius lib.4. cap.2. *& jam antea Senatus Fabium admonuerat, ne privatas inimicitias, quas cum Papyrio Curſore alebat, patriæ fraudi eſſe ſineret, ſed potius condonatis injurijs eum Dictatorem diceret.* Vide Machiavell. lib.3. cap.47. *Paulò ſecius Archidamus rex Lacedamon. duos amicorum ſuorum litigantes in fanum convocatos, rogavit: Ecquem ſuarum litium arbitrum capere vellent: cum innuerent & regem pro arbitro nominarent: Vos igitur, ait, veto hinc diſcedere, quoad in amicitiam bona fide redeatis. Hæc via eſt mitiſſima, qua ſi non ſucceſſerit, & diſſidentes nec amor patriæ, nec autoritas Reipub. dimoverit, ad* Machiavelli *remedia progrediendum eſt, quæ ſunt exilia & cædes.*

Minanda tamen ſunt magis à principio utriq; parti, quam inferenda, ſicut monet Apollonius lib.5. Philoſtr. *dum ait: Res novas molientibus terribilem te oſtende, minitando tamen magis, quam puniendo, quia compertum eſt, &* Machiavel. docet lib. 2. diſc.25. *commune periculum ſæpe capitales inimicos ad concordiam redegiſſe. Romanorum enim patrum & plebis contentiones ſuſtulit bellum, à Veis & cæteris Hetruſcis imminens: Florentinos compeſcuit Philippus Vicecomes, dux Mediolanenſis. Hoc nimirum eſt συγκρητίζειν, quando duo inimici in tertium, à quo uterq; ſibi malum timebat, conſpirant, & priſtinas*

priſtinas inimicitias ſibi mutuò condonant. Eraſmus in proverb. συνκρήτισμ⊗. *Ea ratione Columni & Urſini ad concordiam redierunt, cum Alexandrum VI. Pontificem viderent eorum ſeditionibus abuti ad Cæſaris Borgiæ opes augendas:* Bodinus lib. 4. cap. 7. *& Alexander M. Hephæſtionem & Craterum ad amicitias reduxit, quod ſe hoſtem interminaretur futurum illi, qui prius læſiſſet. Si deniq; nec hoc profuerit remedium, eÿciendi ſunt è Repub. aut alteruter, ſicut Ariſtides pulſus eſt in exilium per Oſtraciſmum, quod cum Themiſtocle vivere non poſſet,* Plutarch. in Ariſt. *aut, quod Reipub. utilius eſt, uterq;. Nam, qui eÿcitur, ubi adverſarium ſuum non tantum ſibi præferri, ſed & honoribus cumulari videt, excandeſcit magis, omnemq; navat operam, ut vel cum interitu patriæ, inimicum de ponte deÿciat: cujus exemplum in Sertorio videre eſt, qui ingens illud bellum in Hiſpania excitavit, non alia de cauſa, niſi quod ſe proſcriptum, adverſarios autem in ſummo honore conſpiceret:* Flor. Epit. lib. 90. *& in Cæſare, quem nihil acutius, quam honor Pompeÿ ſtimulabat.*

Apud antiquos in uſu erat aliud remedium compendioſius quod non trahebat ſecum totius Reipub. perniciem, videlicet Monomachia, qua ſecum decertabant ſoli diſſentientes, extra periculum reliquorum civium. Sed Nicolaus Papa c. Monamachiam 2. q. 4. *Innocent. II.* Sigon. lib. 11. hiſtor. Ital. *Cæleſtinus III.* c. cura extr. de purgat. vulg. *Clemens V.* c. unic. ∫. Sane de Torneam. in Extrav. Iohan. *Iohannes XXII.* cap. eod. *monomachiam prorſus ſuſtulerunt, quod per eam cædes ſoleant committi: & legibus Neapolitanis* tit. 32. de pugna ſubl. conſtit. *ſtatutisq; Hiſpanorum,* Petr. Bellug. in Spec. tit. 26.

tit. 26. §. Ieſu. *nulla duelli juſta cauſa probatur. Iam verò, ſi quæcunq; lites armis definiri debeant, ſicut Fronto Danorum Rex omnia litium genera armorum judiciis reliquit,* Saxo. Grammat. in hiſt. Dan. *non improbamus Ludowici Pij decretum, qui propterea duella ſuſtulit, nec Raotaris regis Longobard. qui tam ferino remedio nunquam utendum putavit, ne medicina ſit aſperior malo, quod fieri non debere* Tacit. *docet, & ex eo* Hannibal. Scot. in com. Scip. Ammir. lib. 3. diſc. 2. *Nec tum probamus duella, quando adhibentur pro teſtimonio innocentiæ, quia Deus non eſt tentandus, quam rationem huic rei aſſignat* Nicolaus Papa, & gloſſ. c. Monomachiam 2. q. 4. & gloſſ. c. unic. Extrav. Ioh. de Torneam: *Vnde & modus purgandi ſeſe per ferrum candens, quo Ludowici II. filij legitimam ſuam ſucceſſionem, Richildis Caroli Craſſi conjunx ſuam caſtitatem,* Sigon. 5. hiſt. Ital. *Comitiſſa Mutinenſis mariti ſui innocentiam probavit,* Sigon. lib. 7. hiſt. Ital. *ex eadem ratione, ſublatus eſt à Stephano V. Papa* c. Conſuluiſti 2. q. 4. Sigon. 5. Ital. *Honorio III.* c. dilecti. Ext. de purg. vulgari. *& ante utrumq; à Gregorio,* c. Mennam 2. q. 4. *Sed in hoc caſu, ubi ſine cæde civium controverſia componi non poteſt, ex duobus malis minus eligendum eſt, minoriq; cum jactura Reipub. duo tantum pugnant, quam univerſa civitas ſanguine civili perfunditur. Qua de cauſa Raotaris Rex Longobard. ſubditorum rogationibus compulſus, duellum, quod ſuſtuliſſet, reſtituere coactus fuit,* In ll. Longobard. *quod & Philippus Bellus fecit, cum Ludowici Pij decretum renovaſſet.* Bodin. lib. 4. cap. 7. *Nam ſi Bothruelius, qui ad duellum provocabat, unius manu victus fuiſſet, non tot cladibus exhauſta tota Scotia fuiſſet.* Buchan. lib. 18. *Neq; nos hic*

mora.

moramur Accurſij ad l. 1. de glad. C. & l. cum filius ſ. ult. ff. de leg. II. *ſententiam, aut* Luc. Pen. ad l. 1. de glad C. *quorum ille negat Monomachiam jure permiſſam, hic verò jus Longobardorum, quod illam permittit, irrationabile vocat, nec audimus diſputationem* Zenzelini de Caſſanis in gloſſ. c. un. de Torneam. in Extrav. in vocabul. Torneamenta, *qui omne duellum peccatum vocat, etiam, quod David cum Goliatho pugnavit, niſi quod hunc propter inſtinctum Spiritus S. excuſet.* arg. d. cap. Monomach. & gloſſ. ibid. *Nam ſi totum exercitum in bello confligere peccatum non eſt, quid vetet ſolum cum ſolo manus conſerere. Propterea Fridericus Imp.* de pac. ten. ſ. ſi quis hominē, ſ. ſi quis aliquando, ſ. Et ſimiles, *in certis caſibus duella permittenda putat, quod & fieri ex uſu Reipub. eſſe cenſet* gloſſator Feudor. ſ. Injuria de pac. jur. firm. ſ. Non eſt de ali. feud. pat. *quanquam legibus ea præſcribi non oportet. Multa enim vel ex neceſſitate, vel boni publici cauſa permittuntur, quæ aliàs non probarentur, ut ſupra oſtendimus. Sed vide de hac re plura* apud Rebuff. ad l. 1. de gladiat. C. Pet. Iacob. tit. de duellis conſuetudinariis, & Recentiores ad l. Ex hoc jure ff. de juſt. & jure.

Aperuimus mitiores vias, quibus ſingulorum hominum, ſive privati ſint, ſive in magiſtratu conſtituti, contentionibus, & hinc oriundis ſeditionibus obviam iri poſſit: Sed quando jam plebs univerſa vel maxima civium pars aut contra capita & magiſtratus Reipub. exurgit, aut alterutrius ex diſſentientibus partes ſequitur, longè aliam apparet ineundam eſſe rationem, quia nec placet quicquam ſuperior poteſtas contra vim ſeditionis, nec tota plebs ejici poteſt. Proinde per arcana, procedendum conſilioque, ut ait

Vu Curt.

Curt. lib. 7. *non impetu opus eſt, &, quia mobile vulgus eſt, & facilè in quamcunq; partem impellitur, videndum, quò palpo quaſi demulſum à propoſito dimoveatur. Nam, ſi aſperius tractare velis, inſtar feræ eſt, quæ, quò durius ferias, eò efferatur magis. Accedit, quod jam in fermentoſitum ſit. Qui verò ira incenſi inſidiantur,* ait Ariſtot. 5. polit. pag. 487. *omnem cogitationem ſui abjecerunt, &* pag. 469. *contentius fertur ira in adverſarium, quia non utitur ratione is animi motus. Affert etiam* pag. 487. ib. *Heracliti dictum, cujus &* Plutarch. in Mar. *meminit: Arduum eſſe adverſus iram prœliari: ψυχῆς γὰρ ὠνεῖσθαι. Animo namq; emi. Exemplum à Roboamo capere licet, qui cum populo diceret: Pater meus flagris vos cecidit, ego verò Scorpionibus, 10 tribus à regno Iudæ abalienavit.* 1. Reg. 12. *Nec App. Claudius, qui imperio conſulari ſeditionem comprimendam putabat, uno atq; altero abrupto, cæteros quieturos dictitans, aliud quicquam effecit, quam ut animos plebis magis incenderet, quos Servilij Conſ. & paulò poſt M. Valerij Dictatoris æqua ſententia ſtatim in viam reduxit.* Livius lib. 2.

Qui autem iſtuc efficere poſſit, eum oportet gratia apud populum valere, qualis erat Valerius Dictator, plebi adhuc ob fratrem Publicolam commendatus. Eum enim licet contra ſe plebs creatum Dictatorem videret, quievit tamẽ, quod nihil ex ea familia triſte aut ſuperbum timeret. Sed ſi App. Claudius tum temporis Dictator dictus fuiſſet, ea res, inquit Livius lib. 2. *utiq; alienaſſet plebem periculoſiſſimo tempore.*

In ſeceſſione Aventina, noluit plebs alios audire, præter L. Valerium & M. Horatium, quos ſui ſtudioſos credebat, Livius lib. 3. *nec alius quiſquam commodius eandem*

idem ex Sacro monte reducere potuiſſet, præter Menenium Agrippam, de quo Livius lib. 2. *Placuit oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum & quod inde oriundus erat, plebi carum.* *Tum enim*, dicente Virgil. 2. Æneid. *pietate gravem & meritis, ſi fortè virum quem conſpexère, ſilent, arrectisq; auribus aſtant. Ille regit dictis animos & pectora mulcet.* *Maximè enim incipiens, & nondum adulta ſeditio melioribus conſiliis flectitur*, ut ait Tacit. 1. Annal. *Ita M. Popilius Conſ. Romanus, ut erat flaminis Carmentalis lena amictus: ita in concionem venit, & autoritate ſua ſeditionem compeſcuit.* Cicero in Brut. *Ita Petrus Loredanus Venetus nauticæ turbæ tumultum compreſſit, ad quam Senatorum nemo progredi audebat.* Bodinus lib. 4. cap. 7. *& Franciſcus Soderinus Epiſcop. Volat. Florentinos habitu Pontificiali, à ſeditione deterruit.* Machiav. lib. 1. diſc. 54. *Ponamus jam longius progreſſam ſeditionem, ut verba non exaudiantur, ſed orator excipiatur veluti Muſorinus in ſeditioſis caſtris, qui cum ſeditioni mixtus bona pacis ac belli diſcrimina diſſereret, armatosq; moneret, plerisq; ludibrio fuit, plurib. tædio, nec defuère, qui eum propellerēt proculcarentq;, niſi admonitu modeſtiſſimi cujusq;, & aliis minitantibus omiſiſſet intempeſtivam ſapientiam.* Tac. 3. hiſt. *Tum verò omnis cura in autores convertenda eſt.* *Quia*, dicente Veg. lib. 3. c. 4. *nunquam ad contumaciam pari conſenſu multitudo prorumpit, ſed incitatur à paucis, qui vitiorum ſcelerumq; impunitatem ſperāt, peccare cum pluribus. Scipio declarat hoc ſimilitudine apud* Polyb. li. 11. Liv. li. 28. *Multitudo omnis, ait, ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, ut venti & auræ cient, aut tranquilli aut procelloſi: Et cauſa in vobis atq; origo omnis furoris penes autores eſt, vos contagione, inſaniſtis.*

Non diſſimiliter Leon legatus Athenienſium, qui vulgatâ ſimilitudine, mari tranquillo, quod ventis concitaretur, æquiparando multitudinem Ætolorum, uſus, cum in fide Romanæ ſocietatis manſiſſent, inſita gentis tranquillitate quieſſe eos ajebat. Poſteaquam flare ab Aſia Thoas & Dicæarchus, ab Europa Menetas & Damocritas cepiſſent, tum illam tempeſtatem coortam, quæ ad Antiochum eos, ſicuti in ſcopulum intuliſſet. Livius lib.38.

Vbi igitur plures autorum fuerint, obijciendæ ſunt rationes, ut à ſeipſis ruant, quod conſilium patribus dabat ille, apud Livium lib.6. *Quin, ait, cum plebe aggredimur, quem per ipſam plebem tutius eſt aggredi, ut ſuis ipſe oneratus viribus ruat. Nec ſacroſancta Tribunorum poteſtas aliter diminuta eſt, quam quod patritij, eorum quoſdam ſuarum partium facerent, & illorum interceſſionibus reliquorum acta impedirent. Ita Juſtinianus Imper. ſeditionem pacavit, quod autores corrumperet,* Zonar. in Iuſt. *& Piſander Athenienſium tumultus contra ſe inhibuit, quod inimicitias in populo ſereret, & nemo alteri ſine ſuſpitione quicquam communicare auderet.* Thucyd. lib.8.

Eſt alia via ſeditionem declinandi, amandatis ſub prætextu quodam ſpecioſo, & cum ſpe melioris fortunæ, ijs, à quibus ſeditionem exortum iri ſuſpitio eſt, quæ ratio tracta eſt ex more Romanorum, qui ſeditioſam plebem in colonias deducere ſolebant, Livius lib.10. *ut* lib.1. cap 6. *diximus. Ita Rutilius Conſul tumultuantibus militibus militiam remiſit, ſub hoc prætextu, quod ætate graves & emeriti eſſent.* Livius lib.7. *Exhauſta enim materia ſeditioni fomitem ſubtraxit, quod imitatus eſt poſtea Germanicus, qui ſeditioſos milites ab incorruptis ſegregavit, & in Rhætiam miſit.* Tacit. 2. Annal. *Si verò vis omninò ſit adhi-*

adhibenda, rectius cenſet Veget. lib. 3. cap. 4. *more majorum, in autores criminum vindicari, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat*: Cicero pro Cluent. *& unius improbi ſupplicio multorum improbitatem coërcere.* Cicero 3. in Verr. *Æquum enim eſt*, dicente Liv. lib. 38. *ibi pœna conſiſtat, unde orta eſt culpa, non tantum, quod, ut App. putabat, uno atq; altero abrepto quieturi ſint cæteri*, Livius lib. 2. *ſed & quod vulgus ducibus ſuis deſtitutum, facile turbas remittet. O funeſtus multis populus*, ait Senec. in Octav. *qui cum ſtatu vela ſecundo ratis explevit, vexitq; procul, Languidus idem, Deſerit alto ſævoq; mari, idq; ob mobilitatem plebis, quæ Chriſtum divinis honoribus affectum, mox ad crucem damnavit: quæ Manlium, quẽ autorem ſecuta fuerat, mox ad mortem abripuit, & Meſſenios uno & eodem die abſolvit & damnavit.* Thucyd. li. 1. *In univerſum verò populum gladium velle ſtringere, periculoſum eſt, & à crudelitate parum alienum. Nam quando imminet populorum ſtrages, detrahendum eſt ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis, caritas ſincera ſubveniat*, c. 25. ut conſtitueretur diſt. 50. c. 5. ordinationis 9. q. 1. *Quicquid multis peccatur, inultum eſt*, ait Lucan. lib. 5. *&* Seneca lib. 2. de ira cap. 10. *Neceſſaria venia eſt, ubi totus deſeruit exercitus. Quid tollit iram ſapientis? turba peccantium*, *idemq;* ait 1. de Clement. *Civitatis mores magis corrigit parcitas animadverſionum. Non diſputo cum* Boërio in tract. de ſedit. *utrum tota univerſitas puniri jure poſſit, ſi peccaverit: ſed quid ad ſeditionem ſedandam utilius ſit, quidq; æquitati magis conſentiat, noſtri propoſiti eſt declarare.*

Æquitatis enim eſt, & fortaſſe ipſius juris, ut, quos dicente Ammian. lib. 21. *in certaminum rabiem neceſſitas*

agit, non voluntas, aut quibus ignorantia vel fraudes aliorum imponunt, veniam mereantur, vtpote quos miſericordia magis dignos, quam pœna æſtimare debeamus. Ideò Quintius dicebat ad Argivos: ſatis compertum habemus, duorum, aut ſummum trium in ea re, non civitatis culpam eſſe. Liv. lib. 34. *& Stenius admonebat Pompejum, ne ob unũ ſontem multos innocentes vellet occidere: ſe ſolum in culpa eſſe, qui amicis perſuaſiſſet, inimicosq́ vi adegiſſet ad Marianam factionem defendendam.* Plut. in Apoph. *A Tullio rege hoc profectum eſt, qui* apud Liv. lib. 1. *ita loquitur: Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum eſt, ducẽ ſecuti ſunt, vt & vos, ſi quò ego inde agmen declinare voluiſſem, feciſſetis. Metius ille eſt ductor itineris hujus, Metius idem hujus machinator belli, Metius fœderis Romæ. Albaniq́ ruptor, &c. Plena eſt hiſtoria laudibus eorum, qui multorum peccata paucorũ cædibus paſſi ſunt expiari, quoniam omnes ita judicant, ſicut* Paulus Oderbor. lib. 2. de vit. Baſilid. *de Baſilidis ſeveritate judicatum ſcribit, qui licet exercitum plectere jure poterat, pleriq́ tamen*, ait Oderbor. *in decernenda pœna mitiorem ſententiam requirebant. Ideoq́ Theodoſium coëgit Ambroſius publicè pœnitentiam agere, quod Theſſalonicorum totam ferè civitatem trucidaſſet, ob ſeditionem contra magiſtratus excitatam.* Theod. lib. 5. c. 17. 18. Auguſtin. lib. 5. de civ. Dei. Sozomen. lib. 7. cap. 24. Diac. in Theod. c. præcipue 11. q. 3. *Iuſtinianum vituperat* Zonar. & Cedren. in Iuſtin. *quod 4000. damnaſſet ob rebellionem: Iuſtinianum II.* Zonar. in Apſim. *quod, cum in periculo naufragij admonitus, vt inimicis ignoſceret: Ego verò, diceret ſi ulli eorum veniam ſum daturus, hic ſubmergar. Mauritium & Phocam,* idem: *Andronicũ* Choniat. *quod vt famelicus Leo incuſtoditos greges adortus, alijs*

colla

colla fregerit, aliorum viſcera devorarit, alios aliter miſerrimè confecerit, reliquos in mõtes & præcipitia egerit. Fulvio Conſ. Rom. ipſi juvenes Campani crudelitatem in faciem exprobrârunt, quod 80. Senatores, 300 Primariæ nobilitatis cives necaverit, cæteros ſub haſta vendiderit. Livius li.26. *Econtrario Scipio clementia ſua plus in Hiſpania ferè effecit, quam Annibal armis in Italia.* Plut. in Scip. Liv. li. 28. *Rectè enim Livia* apud Dion. lib. 55. *Ferrum quidem cæterorum animos à cædis autore avertit, qui non propter ſupplicium ſumtum vindicem amare, ſed ob metũ mali odiſſe ſolent. Sed quibus delicti venia eſt donata, pœnitudine ducti, benefactorem lædere in poſterum verentur, & ſpe conſequendi majora præmia, eum ſuis officiis colunt. Propterea Alexander M. dedentibus ſeſe Artacinis veniam dedit, iramq; rogatu civium, in autorem defectionis, Satibarzanem convertit.* Curt. lib.2. *Demetrius Urbem ingreſſus, iram quidem præ ſe tulit, ſed tredecim interfectis, & nonnullis in exilium pulſis liberavit noxâ cæteros.* Plutarch. in Demetr. *Antigonus Macedon. cum audiſſet Cleomenem in Ægyptum profugiſſe, bello abſtinuit, urbiq; & ſolo parci juſſit, quia ſibi bellum cum Cleomene, & non cum civibus eſſe dixit:* Iuſtin. lib. 28. *quin & libertatem ſuperſtitibus reſtituit, unde σωτὴρ dictus fuit.* Polyb. lib. 5. *Philopœmen tercentum tantum ſeditionis autores Peloponneſo eijcit: reliquis ignovit* Pauſan. in Arcad. *Valerius Levinus Agrigento capto, qui capita rerum erant, ſecuri percuſſit, ſed quia cæteros prædamq; vendidit, durius egiſſe putatur.* Liv. lib. 26. *Mitius Titus, qui minis magis quam ſupplicio affeciſſe contentus pacis perturbatores, remiſit omnibus, ne quis vel odio vel domeſticis excitatus negotiis, innoxios in invidiã deduceret.* Egeſip. li. 4. c. 4. *& Otho I. Imp. quanquã reite-*

reiteratas Romanorum defectiones graviuſculè caſtigare ſibi propoſuerat, tribunos tamen tantum ſuſpendio, conſules relegatione, Petrum urbis præfectum infamia multavit. Sigon. li.6. hiſt. Ital. *Infinitus eſſem, ſi Auguſti, Tiberij* ex Tacit. *Iuliani* ex Ammian. lib. 21. *Nerva* ex Dione *Trajani*, ex eod. *Antonini Pij*, ex Capitol. *Antonini Philoſophi*, ex Dione & Volcat. *Alexandri Severi* ex Lamprid. *Diocletiani* ex Capit. in M. Anton. *Theodoſij Iunioris* ex Diaco. *Leonis I.* ex Zonar. *Caſimiri I. Polon.* ex Michov. & Crom. *& aliorum laudabilia exempla proferre vellem, quorum magnam congeriem comportavit,* Gruter. diſcurſ. pen. ad Tacit. *& jam ſupra* lib. 1. cap. 9. *plura in hanc ſententiam diximus. Hîc verò monemus, contra deſperationem, quam inter cauſas corruptionum Rerumpub. poſuimus, optimum eſſe hoc remedium, ne ſpes veniæ ullis hoſtibus præcidatur. Nam propterea, cum Appius de ſocius conjuratis quæſtionem inſtituere præſumeret, Fulvius interceſſit, ne plures præ metu deficerent, & Gandavenſes, cum ſe in Ludowici pacem æquis conditionibus dedere vellent, & is juſſiſſet eos pedibus nudis, operto capite, laqueo in collum inſerto, ad ſe ſupplices prodire, ſuoq́; quid de ijs facturus eſſet, arbitrio relinquere, per deſperationem animum reſumentes, triginta millia ex Ludowici exercitu ceciderunt.* Cyr. Spont. 3. part. cor. del. princ. Bodinus 3 de Repub. cap. 7. *Cum Caligula legiones, quæ poſt exceſſum Auguſti ſeditionem olim moverant, trucidare, aut ſaltem decimare vellet, illæ, quod ſibi pereundum viderent, ad arma ſe receperunt, ita ut Imperator concione profugere cogeretur.* Tranquill. in Calig. *Propterea callidè Dionyſius, cum Syracuſis rumor increbeſceret, ipſum Dionis ſocios necaſſe blandis alloquijs iracundiam*

hominum mitigavit, *Veritus*, inquit Plat. in Epiſt. ad Dion. neceſſ. *ne præ metu pernicioſum conſilium caperent*. *Et Phalaris* in Epiſt. *ad Leontinos humaniſſime ſcribit: Si vultis bellum diſſolvi, nihil reveriti, dedite mihi Lycinum, vt omni in eum effusâ irâ civitati iraſci deſinam. Nihil enim atrocius illi ſum facturus, quam vos omnes velle ſcio. Quin & Annibal non alia de cauſa ſociis Romanorum abblanditus eſt, ſine λύτρῳ remiſſis captivis, quam vt ſpe clementiæ eos ad deditionem facilius prolectaret.* Polyb. lib. 3.

Hanc igitur ob cauſam, non oportet, qui ſeditionis progreſſum inhibere cupit, ultra modum ſe ſeverum patefacere, ne ex deſperatione major hominibus naſcatur fortitudo, fiatq; ſeditio vel invincibilis, vel ſaltem majori cum labore exuperanda. Sed & aliam rationem tangit Scip. Ammir. lib. 2. diſc. 9. & Gruter. d. lo. *videlicet, quod ſi velis, omnes ſeditionis participes conquirere, infinitis cogaris te cædibus cruentare, nec habiturus ſis deniq; cui imperare poſſis. Quantas enim ſtrages hominum edidit Valens, cum poſt detectas inſidias, quemvis etiam leviter ſuſpectum, ad ſupplicium traheret?* Ammian. lib. 26. *Quantum ſanguinis profudit Commodus poſt conjurationem Materni*, ut Herodian. *aut* ut vult Lamp. *Paterni? quantum Sylla? de quo* Lucan. lib. 2. *Hic quod exiguum reſtabat ſanguinis Vrbi, Hauſit: Nec tamen* [illegible] *rem ſuum quiſquam occidit* [illegible] Gall. in Caſſ. *Proinde, ſicut* Hipp. in Aphor. *Cancrum nondum ulceratum vetat tangere, ne evadat incurabilis: ita ſatius eſt, non nimis curioſum eſſe, in conquirendis reis, ne multitudo ſupplicium difficile, aut crudele faciat. Nam Antoninus Pius, poſtquam caput*

conjurationis, Priſcianum mortuum intelligeret, vetuit in ſocios inquirere. Iul. Capit. in Pio. *Antoninus Philoſophus vetuit quenquam Romanorum interfici, ob conjurationem Caſſij, & cum literæ Fauſtinæ conjugis ipſi offerrentur, quibus dicebatur Caſſium ad rebellionem exſtimulaſſe, continuò illas combuſſit, ne tale facinus de uxore cognoſceret.* Dio. in M. Anto. *Sapienter quoq; Pompeius literas Romanorum, quibus Sertorium armarant contra factiones Syllanas, Vulcano conſecravit, ne multorum dolis patefactis, novum civile bellum excitaretur.* Plutarch. in Sertor. *Nec noſtræ ætati deſunt exempla. Nam Octav. Farneſius Plac. & Parm: Dux paucis ante obitum annis, conjuratione in eum exorta, noluit in omnes inquirere, ſed ſolum confeſſos & convictos puniri permiſit, cæteros ſilentio obliteravit.* Hannib. Scot. ad lib. 2. Tacit. pag. 150. *Carolus V. impune ab Hiſpanis paſſus eſt Calabriæ ducem contra ſe regem creari. Quippe,* ait Bodinus 3. de Rep. cap. 7. *univerſa Reipub. membra ſecare oportuiſſet. Vnde* Sen. lib. 1. de Clement. cap. 10. *de Auguſto loquens, ſcribit: Ignovit abavus tuis victis. Nam ſi non ignoviſſet, quibus imperaſſet. quod de Epicteto deſumtum eſt, qui ait:* apud Arrian. lib. 3. cap. 4. *Nonne Agricolæ Iovi maledicunt, cum ab eo impediuntur? Nautæ non convitiantur? Quid ergo? ignorat hoc Iuppiter? imò ſcit, ſi omnes convitiatorum. Pergit Sen*[illegible]*ficeret, ſe quibus imperaret, non habitu*[illegible]*mentia Auguſti: Salluſtium, & Cocceios, & Duillios & totam coh*[illegible] *interioris admiſſionis, ex adverſariorum caſtris conſcripſit. Nam Domitios, Meſſallas, Aſinios, Cicerones, & quicquid floris erat in civitate, clementiæ ſuæ debebat. Et de Genſerico Gothorum rege ſcribit* Diavon. *quod*

ſup-

ſupplicijs & funeribus ſuorum, non minus exhauſerit civitatem, ac ſi bello ſuperatus fuiſſet. Lib. 5. Scip. Ammir. lib. 2. diſc. 9. Clapmar. lib. 6. de ſimul. Imp. cap. 12. Gruter. diſc. penult. ad Tacit. Lipſ. lib. 4. polit. c. 9.

Sed nunc particularius cauſarum & morborum remedia nos intueri oportet. Quia verò invidiam vel ob honorem vel divitias primo loco poſuimus, ijsq́ remedia aſſignare facilius eſt, eam quoq́ primo loco expediemus. Eſt autem invidia dolor, aliena felicitate incenſus, quam tibi obtigiſſe malles, ideoq́ in duobus conſiſtit, quod unus felicitate careat, & quod alter ea abundet. Fac igitur illum non carere felicitate, aut diminue abundantiam hujus, non habebit alter, quod invidere poſſit. Ita videas, multos ultrò ceſſiſſe invidiæ, cum priori remedio uti non liceret, vt videlicet ad honores ipſi invidi eveherentur, ſeu quod amantes patriæ non eſſent, ſeu quod inidonei, ſeu quod aliud impedimentum quodcunq́ eos non admitteret. Ariſtides certè, cum in exilium iret, invidiæ ſe cedere dixit. Plutarch. in Ariſt. *Tarquinius Conſul à Bruto admonitus, ad declinandam invidiam nominis, ultroneum elegit exilium.* Livius lib. 2. *Marcus Agrippa, ſub ſpecie miniſteriorum principalium profectus in Aſiam, ob tacitas cum Marcello offenſiones, præſenti ſe ſubduxit tempori,* Vell. Paterc. lib. 2. *Sicut &* Sueton. in Tib. *ſcribit Tiberium ultrò ſeceſſiſſe, devitaſſeq́ æmulationis cum Cajo Lucioq́ ſuſpitionem, & de Plauto:* in Nerone. *Eum à Nerone, quod vulgo crederetur imperium aucupari admonitum fuiſſe, conſuleret ſibi & turbis, ſeq́ pravè diffamantibus ſubtraheret. Notabile eſt, quod Valerius Publicus ædes ſuas, quarum magni-*

ficentiam plebi invidiæ eſſe audiebat, eccſta demolitus eſt: Plutarch. in Publ. Livius lib. 2. *quodq; Fabius conſulatum repudiavit, rogans patres: Sinerent demum Fabiorum familiam ab invidia quieſcere. Qua de cauſa etiam Xenophon Græcorum imperium repulit. Qui enim, inquiebat, tantam invidiam ferre poſſem?* Xenoph. lib. 6. de Exped. Cyri. *Si ob divitias alicui invideatur,* Ariſtoteles 5. polit. pag. 438. *præſervativum docet remedium, videlicet Cenſum, non quidem æqualem, qualis erat Lycurgi, ſed qualem Romanos inſtituiſſe,* Halycarn. & Liv. *oſtendunt, ne liceret alicui civium ultra menſuram diteſcere, ſicut* Varro, Halycarn. Liv. & Appian. *Liciniam referunt, ne quis civium plus 50. jugeribus poſſideret, quam T. Sempronius Gracchus poſtea renovavit,* Plutarch. in Gracch. *& Sp. Thorius ex parte.* Cicero in Brut. *Romulus,* teſte Varron. lib. 1. de re ruſt. *bina tantum jugera civibus viritim diviſerat, ſed paulò poſt ejectos reges, plebi ſeptem jugera aſſignata memorant* Columell. lib. 1. rei ruſt. Plinius lib. 18. cap. 3. *numerus, cui non ſufficeret, eum perniticſum civem eſſe dicebat. M. Curius.* Plutarch. in Apophtegm. *Imprimis enim,* monente Scip. Ammir. lib. 12. diſc. 3. *annonæ & cenſui plebis ita proſpiciendum eſt, ne nimia paupertate ad res novas moliendas cogatur. Nam,* ut inquit ille, *Sylla inops, unde præcipua audacia: & tribuni* apud Livium lib. 10. *increpat patres: Auderentne poſtulare, ut cum bina jugera agri plebi dividerentur, ipſis plus quingenta habere liceret? ut ſinguli propè trecentorum civium poſſiderent agros, plebejo homini vix ad tectum neceſſarium, aut locum ſepulturæ pateret ager? Et ſane quot vicibus tumultuatum ſit à plebe, poſt exactos reges uſq; ad annum 385. quo lex Licinia perlata eſt,* apud Sigon. lib. 2.

de an-

de antiq. jur. Ital. cap. 2. *legi poteſt, ne ſim prolixior, nec de ſeditione Gracchi, hinc exortâ, pluribus agam.* Appian. de bell. Pun. Halycarn lib. 9. *Ubi verò cenſus neglectus fuerit, & jam unus divitijs cæteros ſuperarit, nihil invidiam citius amolitur, quam verus divitiarum uſus. Propterea enim Craſſi divitiæ famam patiuntur, quod nemini, niſi poſſeſſori, prodeſſent.* Plutarch. in Craſſ. *Sed Cimonis tantum abfuit, ut vituperarentur, ut maximam etiam laudem fuerint promeritæ, quia prædia nemini claudebat, ad cœnam unicuiq; locum dabat, & ſemper jubebat ſe pediſſequum ſequi cum crumena, ut quibus opus eſſet, benefaceret.* Prob. in Cim. Athen. lib. 12. *Pomponius quoq; Atticus, ea ratione non tantum invidiam effugit, ſed tantam ſuis divitijs gratiam apud Athenienſes inijt, ut ultrò ipſi civitatem offerrent.* Cornel. Nep. in Pomp. Att. *Solon inſtituerat, ut pro ratione facultatum quisq; Reip. munia juvaret, idq; ne quis recuſaret ἀντίδοσιν introduxit, id eſt, bonorum ſuorum cum alio permutationem.* Demoſth. in orat. de antid. *Sed poſtquam lex ea eviluerat, cœperunt ex univerſo populo per ſymmorias, 1200. qui ditiſſimi erant, ſeligi,* ut Pollux Arpocrat. & Ulpian. ad 1. Olynth. teſtantur, *ut λειτουργίας conſuetas ſuis ſumtibus obirent. Nominat autem* Demoſth. ad Leptin. *λειτουργοὺς, choragos, Gymnaſiarchos, Epulones, quibus* ex Lyſiæ & Demoſth. orationibus *addere poſſumus, Trierarchos & Collatores, qui armamenta triremis, victumq; & pecunias militibus pro patria pugnantibus de ſuo conferebant,* Plutarch. de Athenienſ. ſapient. *quamvis ipſi ſæpe ad inopiam redigerentur. Id quod ſapienter inſtitutum eſt, ne plebs tumultuandi occaſionem haberet.*

Sed quia, quomodo annonæ ratio ſit habenda, ſupra

diximus, & de uſu divitiarum citra invidiam, in Ethicis, *hoc remedium, Philippi regis Macedon. apophtegmate claudemus, apud quem Nicanor accuſatus erat, quod malè de rege loqueretur. Rex, cum Nicanorem cum inopia conflictari intelligeret, cauſam ſubodoratus, donum aliquod ad eum miſit. Statim cepit Nicanor regem ubiq; laudibus proſequi & prædicare. Videtis igitur, inquit Philippus, in nobis eſſe ſitum, ut benè vel malè audiamus,* Tholoſſ. li. 22. de Rep. cap. 13. n. 2.

Poſthac ſequitur nimia unius vel plurium civium potentia vel αὔξησις, contra quas Ariſtot. *& reliqui Politici ſequentia excogitarunt remedia. Atq; ut à præſervatione incipiamus, in eo malo, quod, ubi inveteravit, difficulter eradicari poteſt, monet* Ariſtot. 5. polit. pag. 439. *diligenter cavendum eſſe, ne quis ultra menſuram creſcat. Nam, ut Pericles indicat* apud Ariſtoph. in Ran. *non oportet nutriri Leonem in urbe, niſi nutrito obſequium præſtari velis. Proinde Brutus meritò Ciceronem increpabat, quod, nimijs efferendo honoribus, adoleſcentem Octavium adverſus Remp. armaſſet.* vide Clapmar. li. 2. de arcan. Imp. c. 11. *Sciebat n. ea ratione Cæſarem Remp. occupaſſe, de quo* Sueton. in Cæſ. *Vnus ex eo tempore omnia in Rep. & ad arbitrium adminiſtravit: imò Tresviros nō aliter ſibi ad imperium viam ſtraviſſe,* idem Sueton. *teſtatur, niſi quod nihil in Rep. agi ſinerent,* Cyr. Spont. 3. part. cor. del. princip. *& quod uni ex tribus diſplicuiſſet. Id quod in Rep. ſedulò cavendum monet* Machiav. lib. 1. diſc. c 50. *ne videlicet uni ex magiſtratibus tanta concedatur poteſtas, quò conſuetas Reipub. actiones ſiſtere aut impedire poſſit. Et rectè Venetos conſtituiſſe ſcribit* Iovi. lib. 1. hiſt. *ne cuiquam temere ex optimatibus, qui vel inſigni virtute, vel*

ſpiritu

ſpiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus creſcere, vel collecta gratia potenti & claro fieri liceret. Ipſe quoq; Auguſtus præceptum hoc reliquit Reipub. ne uni alicui totam Remp. crederet, ne fortaſſe dominatum affectaret, vel ſi quid contra ſpem gravius paſſus fuiſſet, ſecum unà perderet Remp. Dio. lib 56. *Et inter arcana imperij reſervaſſe ſcribitur, quod Ægyptum tantum Equeſtris ordinis homini regendam daret, cum provincia iſta ſeditioni oportuna extiterit. Unde fortaſſe traxerunt reges Franci conſuetudinem, Comites ſtabuli tantùm ex infima nobilitate eligendi.* Bodin.lib.6.cap.5.

Quin hoc videtur etiam Epheſiorum quantumvis mala, ut Cicer: *videtur*, 5.Tuſcul. *legis fundamentum fuiſſe, qua virtute præ cæteris excellentes viros in exilium amandarunt. Nam & virtus nimia ſolet libertati Reipub. ſuſpecta eſſe, tum quia* Polyb. lib.10. *rarò ait virtutem poteſtate armatam ſui ſimilem manere, tum quia vulgus heroicis virtutibus præ inſita mobilitate & novandi ſtudio, plus, quam æqualitas compatiatur tribuere ſolet. Unde Catulus de Pompeio dicebat: Eſſe quidem præclarum virum, ſed nimium jam liberæ Reipub. neq; in uno omnia res ponenda, & Manlij hiſtoriam* Liv. lib.6. *ita claudit: Hunc exitum habuit vir, niſi in libera civitate natus eſſet, memorabilis. Hoc conſilio uſus eſt* autor Anonymus in Exhort. ad German. *dum monet eos, ut poteſtati Hiſpanor maturè obſiſtant, exemplo Venetorũ & Laurẽt. Medicis, qui vicinos Principes, exurgere altius niſuros, ſubinde repreſſerunt: quod ſi Latij & Oenotriæ incolæ olim feciſſent, tantã potẽtiæ Roman. feneſtram non aperuiſſent. Et ne de Macedonibus dicam, qui hoc unicum agi volebant, ne vis ac poteſtas ad unum populum deveniret, ipſi Tartari, Ceremiſci, &*

Aſtra-

Aſtracanenſes, una cum multis aliis non alia de cauſa Caſſanenſibus opem tulerunt contra Baſilium, niſi quod omnibus Baſilij vis ſuſpecta erat, ſiquidem ſubactis Caſſanenſibus, vt credi par erat, cæteros pari inſolentia vexaturus videbatur. Paul. Oderbo. lib.1. de vit. Baſ. *Lacedæmonios jam olim ſcribit* Thucyd. lib.1. *petijſſe ab Athenienſibus, ne muros, vt inceperant, extruere pergerent, veriti, ne Peloponneſo fortiores evaderent, quanquam aliam minus probabilem cauſam prætexebant. Nec alia de cauſa Philopoemen Lacedæmoniorum pubertati exercitijs interdixit, fortalitia diruit, ne ſoli poſthac Peloponneſo dominarentur.* Pauſan. in Arcad.

Vt autem potentiæ iſti nimiæ obviam eatur, quibus id modis fieri poſſit, videndum eſt. Nonnulli verò per magiſtratus & officia Reipub. potentiam acquirunt: alij per opes privatas, ſicut Locrenſium ſtatus perijt, quod Xenetus Locrus filiam Dorida Dionyſio Tyranno in matrimonium dederat. Ariſtot. 5. polit. pag. 431. *Vnde & Florentini Corſum Donatium, Tyrannidis accuſarunt, quod præter alias conjecturas etiam affinitatem contraheret cum Vguccione Fagiola, quaſi hinc potentiam ſibi majorem ad occupandam patriam aucuparetur.* Vict. in comm. Ariſt. d. lo. *Cæterum, quia conatus eorum latere non poſſunt, facileq; à majori totius Reipub. poteſtate præverti & ſuffocari, minus ab his timendum eſt. Si tamen placidè ijs obviam ire velis,* Machiavel. lib.1. diſc.52. *non putat meliorem eſſe conatus illorum excludendi viam, quam ſi eadem arte, qua illi plebem ad ſe trahunt, eandem ab his avertas. Et hoc arcanum video ab ipſo Manlio patefactum*, apud Livium lib.6. *ubi ait: Offendit vos P. C. affuſa lateri meo turba? quin eam à me diducitis ſinguli beneficijs veſtris? intercedendo,*

dendo, eximendo de nervo cives veſtros, prohibendo, judicatos addictosq́ duci, ex eo, quod affluit opibus veſtris ſuſtinendo neceſſitates aliorum. Video Soderinum Florentinum quoq; hac ratione à Medicæis plebem voluiſſe avocare, niſi adverſarij eum impedijſſent.

Ne verò magiſtratus potentes ad exuperantiam evadant, videndum eſt, ne cum ſummis magiſtratibus poteſtas armorum jungatur. Nam, qui arma tractant, in eorum manu, ait Ariſtot. 7. polit. cap.9. *eſſe, vt maneat vel non maneat Reſpub.* & Cyr. Spont. 3. part. cor. princ. pag. 135. *dicit: Principi non devono dar tante forze à generali degli eſſerciti loro, che non ſe li poſſano opporre. Minuitur autem poteſtas magiſtratuum tribus modis, quorum ſupra mentionem fecimus. Primùm, ſi potentiæ unius vel plurium opponatur alius magiſtratus, qui horum acta impediendi facultatem habeat, quod indicat* Ariſtot. 5. polit. pag. 441. *ubi vult magiſtratus debere committi ijs, qui potentibus adverſentur.* ἥλῳ γὰρ τὸν ἧλον, *ait, id eſt, vt* Cicero *reddidiſſe videtur clavum clavo eijciendum eſſe. Ex hac cauſa Conſulibus oppoſiti fuerunt tribuni pl. apud Romanos, de quibus* Cicero 3. de ll. *Conceſſa plebi à patribus iſta poteſtate, arma ceciderunt, reſtincta ſeditio eſt, inventum temperamentum, quo tenuiores cum Principibus ſe æquari putarent, in quo uno fuit civitatis ſalus. Ex hac cauſa in Senatum Polonorum introducti ſunt. Nuncij terreſtres, quos* Priluſ. ad lib. 1. Stat. c. de Nunc. Terr. *Plus ferè apud Polonos valere teſtatur, quam olim tribuni Pl. apud Romanos,* & Orichov. in orat. de ll. ad Procer. *cum ijs æqualitatem civium & concordiam introductam putat. Ex hac cauſa apud Cretenſes Coſmi, apud Lacedæmonios Ephori, apud alios alij libertatis propugnatores nati ſunt.*

Alter modus eſt, ſi magnis imperijs breve ſpacium concedatur, quò, ut ait Mamercus apud Livium lib. 4. *temporis modus imponatur, quibus juris non poſſit. Oſtenderunt enim* Machiavel. lib.3 cap.24. Scip. Ammir.lib.1. diſc. ult. Clapmar. lib.2. de arcan. Imp. Tholoſſ.lib. 22. cap.10. *& multi alij Rempub. Romanam diuturna Imperiorum prorogatione peſſum iſſe. & generalius* Ariſtot. 5. polit.pag.454. *Tyrannides ortas docet ex magiſtratibus, quod diuturni fuerint. Nihilominus multæ leges vetabant magiſtratus præter tempus in officio eſſe, de quibus ſupra tractavimus, & imprimis* Plutarch. in Corrol. & Valer.lib.4. cap.1. *Cenſoriam legem referunt, quæ nemini bis cenſuram concedebat, aut conſularem poteſtatem in annum alterum continuari patiebatur. Quin & M.Rutilius Cenſorinus iterum Cenſor creatus, graviſſimè increpuit populũ, quod eundem ſibi magiſtratum bis dediſſet. Non affero nunc leges vel querelas alias, præter illam* Ciceronis in Epiſt.ad Att. *de Cæſare. Nam quid, inquit, impudentius? tenuiſti provinciam per decem annos, non tibi à Senatu, ſed à teipſo per vim & per factionem datos: præteriit tempus non legis, ſed libidinis tuæ: fac tamen legis: ut ſuccedatur, decernitur: impedis & ais: habe mei rationem: habe tu noſtrum. Exercitum habeas diutius, quam populus juſſit, invito Senatu? &c. Callidum quin etiam eſt conſilium Tiberij*, apud Tacit. *quo Germanicum à legionibus devocavit, ut curſum victoriarum ejus interrumperet, nec non Ioviani, de quo* Ammian.lib.25. *Iovianus, ut ſub imperij initium ſe firmaret, Malarcham juſſit, Iovino armorum Magiſtro per Gallias ſuccedere, gemina utilitate præſpeculata, ut & dux meriti celſioris, ideoq; ſuſpectus abiret è medio, & homo inferioris ſpei ad ſublimiora profectus, au-*

toris

teris ſui nutantem adhuc ſtatum ſtudio fundaret ingenti. Tertius modus eſt, ſi poteſtas, inter plures dividatur, quod docet Ariſt.5. polit.pag.485. *Communis, ait, cuſtodia omnis imperij, neminem unum efficere magnum, aut certè plures. Servabunt enim ſe mutuò.* Τηρήσουσι γὰρ ἀλλήλους. *Ap.Claudius, Xviri nepos, vocat hoc arcanum Claudianum,* apud Liv.li.4. *Vetus ait, ac familiare conſilium domo affero: Proavus enim meus Ap. Claudius oſtendit patribus viam unã diſſolvendæ tribunitiæ poteſtatis per collegarum interceſſionem. Non enim tantum minuitur potentia inter plures diviſa, ſed & mutuò, qui eam participant, ſeſe impedire poſſunt. Unde Commodus, cum à Perenne prætorij præfecto inſidias ſibi ſtructas comperiſſet, poſthac duos uni illi officio præfecit, quò alter alterum mutuo timore reprimeret.* Herodian. in Commod.

Hactenus, quomodo nimia potentia impediri poſſit: reſtat, vt videamus, qua arte, jam adaucta tractari debeat: id quod Ariſt.5. polit. pag.440. *quoq; docet, dum præcipit* ποιεῖσθαι τὰς παραστάσεις αὐτῶν, *id eſt, amandare aliò nimis potentes. Ait n. Alexander* ap. Curt.li.6. *Sicut in corporibus ægris, nihil, quod nociturum eſt, Medici relinquunt: ſic nos, quicquid obſtat imperio, recidamus. Hæc eſt natura regni,* inquit Sen.Trag. *Cedat, quicquid excelſum eſt,* & alibi: *Servare cives, Principi & patriæ graves, Claro tumentes genere, quæ dementia eſt? Ad eã rem introductus olim fuit Petaliſmus Syracuſanorum,* Diodor.li 11. *& Oſtraciſmus Argivorum & Athenienſ.* Ariſt.pag.395 *ab Hippia tyranno,* ſi Harpocrat & Heraclid credimus, *aut à Cliſthene,* ſi Aeliano, *inſtitutus contra eos, qui Tyrannidem affectarẽt,* Poll.li.8. *quò potentiores cives ad tempus mittebantur in exilium, ſicut Damon propter opinionem prudentiæ*

Ariſtides ob nomen juſticiæ, Themiſtocles, Cliſthenes, Cimon, Thucydides, omnes viri boni, hoc genere pœnæ ejecti ſunt. *Cæterum* Cicero 5. Thuſcul. *non abſimilem Epheſiorum legem execratur, quod virtutem ex civitate excludi nefas putaret, & L. Lucretius paulò diverſo argumento Cæſonis Quintij damnationem diſſuadet:* apud Livium lib.3. *Mallent eum ſuum, quam alienum civem eſſe, quippe magnum momentum civitati, in quamcunq; veniſſet, allaturum.*

Diſputant multi alij de iniquitate oſtraciſmi, quam tamen tantam non fuiſſe Ariſtot.3. polit. cap.13. *oſtendit, cum niſi ita factum perſæpe fuiſſet, Reſpub. tota perijſſet. Nec verò exilium per Oſtraciſmum imperatum, ignominiam relegatis intulit, ſed potius non obſcurum fuit virtutis teſtimonium, vt oſtendit* Plutarch. in Themiſt. *Nam cum Hyperbolus, homo ſceleratus, eo modo in exilium pelleretur, quaſi jam Oſtraciſmus ignominia affectus eſſet, poſtea nunquam obſervatus fuit.* *Verum* Ariſtoteli *alia de cauſa oſtraciſmus per omnia non placet, quia periculum eſt, ne ejectus plus turbarum cieat, imprimis, ſi exilium fuerit cũ ſpecie quadam ignominiæ conjunctum, aut is non fuerit ex amuſſim vir bonus. Incendit enim animum ad contumeliam inexpertum, vt loquitur* Livius *de Manlio.* lib. 6. *augetq; cauſas iracundiæ.* *Videmus exempla in Scipionis, quantumvis viri optimi, indignatione, & Camilli imprecatione, quem à Diis immortalibus precatum ſcribit* Livius lib.5. *ſi innoxio ſibi ea injuria fieret, primo quoque tempore deſiderium ſui, civitati ingratæ facerent.* *Nè de Martio Coriolano dicam, qui hoſtes in patriam duxiſſet, niſi matris uxoriſq; precibus ceſſiſſet.* Livius lib.2. Plutarch. in Coriol. *aut de Antonio,* Plutarch. in Ant. *aut Catilina,*

lina, Saluſt. in Catil. *aut Sertorio,* Plutarch. in Sertor. *qui, quamvis inops, totam tamen Hiſpaniam conturbavit, & optimos Imperatores aſtu & armis ſuſtinuit. Nam, quod ab Exule nihil metuendum putes, cum ſit auxiliis exutus, audi* Gruterum diſc. ſuper Tacit. *Nunquam depugnatum putari debere bellum, quam diu dux ſuperſit, quippe qui multis occaſionibus exercitus recolligere poteſt. Propterea rectè repetebat* Ariſtot. *præceptum Periclis, quod eſt* apud Valer. lib. 7. c. 2. *Operam ante omnia dandam eſſe, ut præcipuæ nobilitatis & excitati ingenij juvenes refrenentur, quod, poſtquam vires ſibi nimias ſumſerint, difficulter, aut non ſine Reip. damno reprimi poſſent.*

Si tamen quiſquam eò jam progreſſus fuerit, ut ad occupandam patriam ſpectare videatur, aut ille maximis beneficijs demerendus eſt, aut ſtatim in ipſa civitate opprimendus. Arcanum hoc eſt Herennij Pontij Samnitum Imper. qui conſultus à filio, quid de Romanis, in furcis Caudinis concluſis, facto opus eſſet, cenſuit omnes inde quamprimum inviolatos dimmittendos, quæ ubi ſpreta ſententia eſt, cenſuit ad unum omnes interficiendos. Accitus poſtea in Senatum, cauſas addidit: Priore ſe conſilio, quod optimum duceret, cum potentiſſimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem, amicitiamq́: altero conſilio in multas ætates, quibus amiſſis duobus exercitibus, haud facile receptura vires res Romana eſſet, bellum differre: tertium nullum conſilium eſſe. Cum filius, aliiq́; Principes percontando exquirerent, quid ſi media via conſilium caperetur, ut & dimitterentur incolumes & leges jure belli victis imponerentur? Iſta quidem ſententia, inquit, ea eſt, quæ neq; amicos parat, neq; inimicos tollit. Servate modò, quos ignominia irritaveritis: ea eſt Roma-

na gens, quæ victa quieſcere neſciat: vivet ſemper in pectoribus illorum, quicquid iſtuc præſens neceſſitas iuſſerit, neq; eos ante multiplices pœnas expeditas à vobis quieſcere ſinet. Livius lib.9. *Hoc conſilium, quia ex vera ratione deductum, eventus comprobavit, approbarunt* Scip. lib.18. diſc. 8. Cyr. Spont. 4. part. cor. del princip. *& multi alij, quibus conſentit* Tacit. 1. Annal. *Cum, inquit, defeciſſent legiones in Pannonia ſub Tiberio, alij comitate permulcendum militem cenſebant, alij fortioribus remediis utendum: Nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant, ut pertimuerint, impunè contemni.*

Nec tanta concertatione, minoriq; cum periculo patribus depugnandum fuiſſet, ſi Manlius ex carcere non dimiſſus fuiſſet, Livius lib.6. *id eſt, ſi media via obſervata non fuiſſet, ſed potius Cincinnati Dictatoris ſententia, qui Servilium Halam ad populum publicè prædicavit, quod Sp. Melium in conſpectu populi, dum fugam parabat, obtruncaverit.* Livius lib.4. *Nam Artoxerxes, quod fratrem Cyrum ex carcere dimitteret, ipſe ſibi difficilimi belli cauſa extitit* Plut. in Artox. *& Leo Armenius ſe interficiendi cauſam Balbo præbuit, quod cum rogo, uti deſtinarat, non imponeret.* Zonar. in Leon. Arm. *Nec Caſimirus I. Rex Polon tot tantisq; turbis regnum exhauſiſſet ſi Miczislaum paulò ſeverius tractaſſet.* Michov. lib.3.c.24. Comer. li.6. *Sed hoc extremum ſine mora & feſtinanter exequendum eſt, imò etiam cum aſtu, ne conſilium ſuũ adverſarius præcipitet, & præ deſperatione etiam majora aggrediatur. Tiberius certè aſtu magis & dolo*, ut ait Suet. in Tiber. *quã principali autoritate Sejanum oppreſſit*, Tacit lib. 5 *& Antigonus Rex Pythonem, ſeditioſum hominem, humanitate ad ſe allectum, in medio Macedonum trucidavit.*

Polyæn.

Polyæn. lib. 4. Stratag. *Quod verò celeritatem attinet, vel unicum Ageſilai ſtratagema nobis ſufficere poſſit, qui cum conſpirationem quandam contra Rempublicam advertiſſet noctu, ſtatim Lycurgi legem, de non occidendo indemnato, abrogari curavit, & conjuratos interim interfecit, mox legem reſtituit.*

Notum enim eſt de Acha Thebanorum Tyranno, qui cum inter pocula de conjuratione contra ſe literas accepiſſet, & à nuncio monitus fuiſſet, ut ſtatim legeret, quandoquidem res ageretur ſeria, reſpondit: In craſtinum igitur ſeria, & interitu ea nocte à Pelopida interfectus eſt. Plutarch. in Pelop. *Sic & Nicephorus Phocas occiſus eſt à Zimiſce, quod non ſtatim legiſſet literas, quibus hujus poditio ipſi detegeretur.* Zonar. in Zimiſc. *Proinde ſi contra Rempublicam conjuratos opprimere velis, mora interponenda non eſt, quod ea res moram non patiatur: ſi verò proditores reduci poſſe videantur, mitiori viæ inſiſtendum eſt, ut prorſus à periculo & ſuſpitione liberentur, alioquin ex intervallo, ubi occaſio tulerit, novi hoſtes futuri. Abſit enim hic* Machiavellum lib. 3. diſc. c. 3. 4. & 27. *audiamus, qui nova benefacta veterum injuriarum oblivionem nunquam inducere putat. Rectè enim refutatur ab* Antimachiav. lib. 3. th. 6. Scipion. Ammir. lib. 15. diſc. ult. *cum beneficia candidum, & alioquin non prorſus deſperatum animum magis commoveant & obligent, quam ſupplicia deterreant. Ea ratione Auguſtus Cinnam ex hoſte fideliſſimum fecit amicum,* Senec. de clement. *& Philip. Audax Comitem Fuxium, qui arma in eum moverat, non tantum in gratiam, ſed & inter domeſticos recepit.* Antim. lib 3. th. 6. *Themiſtocles & Ariſtides quomodo privatas inimicitias patriæ condonarint,* ex Plut. in Themiſ. *notum eſt.*

M. quoq;

M quoq; Æmilius Lepidus & M. Fulvius, cum in cenſuratu collegæ fierent, quas per totam vitam aluerant inimicitias, non tantum depoſuerunt, ſed & ſummi facti ſunt amici. Livius lib. 40. *Ne plura adducam exempla, quorum nonnulla jam ſupra explicata ſunt, & ratione firmata. Ideò poſterigri hac via cum magna ſui utilitate inceſſerunt Scipio Africanus*, Polyb. lib. 10. *Nerva*, Dion. in Nerv. *Alexander Severus, qui Ovinium Camillum, imperij cupidum, Imperatorio loco repoſuit.* Lamprid. in Alex. *Item Baſilius Romani Pueri filius, qui Sclerum rebellem, Curopalatem conſtituit*, Zonar. in Baſil. *& multi alij, quos operoſius referre ſuperſedeo, cum à* Valerio, Fulgoſ. Sabell. Camerar. Zvvinger. *magnus eorum ſit contextus catalogus,*

Pergo ad ſextam cauſam, videlicet Contemtum. Nam quomodo deſperationi conſulendum ſit, in remediis ſeditionum jam diximus. Dupliciter autem contemtum afferre perniciem Reipub. ſupra diximus: ideoq; duplici opus eſt remedio. Videndum enim eſt majeſtati, & ſubinde magiſtratibus, vt nec ipſi ſubditos contemnant, nec ab ijſdem contemnantur. Vt non contemnant ſubditos, laborandum eſt ijs de favore & amore ſubditorum, quia jam ſupra lib. 1. cap. 9. *Verè à Camillo dictum oſtendimus: Firmiſſimum eſſe imperium, quo obedientes gaudent. Rationem innuit* Leo Imperat. *Quem, inquit, hominem diligunt, illi imperandi facilè obtemperant, dicenti & paciſcenti, non reſiſtunt, periclitanti ſuccurrunt. Tanta res eſt amor, vt pro eo, quem quis Charum habet, vitam profundat. Qua ratione verò amorem ſubditorum Principes demereantur, docet* Franciſc. Patrit. lib. 6. Parall. militar. cap. 5. *& nos breviter ex principiis Ethicis deducemus.*

Princi-

Principis certum eſt amorem, mutuo amore provocandum & paſcendum eſſe, ſicut Seneca ep.9. ad Lucil. *dicebat: Ego monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneſica carmine: Si vis amari, ama. Ideoq; inter præcepta regia repoſuit* Dion. Pruſenſ. in pr. *Homines curent & ament, ſi & ipſi redamari cupiunt. Alioquin L. Craſſus Senator L. Philippo Conſ. reſpondebat: Non es mihi Philippe Conſul, quia nec tibi Senator ſum,* Valer. lib.6. cap.2. & *Orator Domitius* apud Hieron. c. Eſto ſubj. diſt.95. *Cur ego te habeam ut Principem, cum tu me non habeas, ut Senatorem? Promeretur autem majeſtas amorem ſubditorum, ſi talem ſe gerat, qualem ab omnibus exigi in optima Repub.* lib.1. cap.7. *diximus, videlicet, ſi publicæ ſalutis potiſſimam, aut unicam curam habeat. Boni Conſulis eſt,* ait Cicero, *non aliquos curare, ſed omnes, & totum corpus ex æquo. Unusquisq; enim res ſuas maximè ſalvas cupit, & quando eas beneficio Principis ſalvari advertit, ipſe viciſſim ad defendendum Principem incitatur. Unde* Franceſc. Patrit. d. loc. *infert, nulli Reipub. defenſionem tutius committi, quam indigenis militibus, quippe, qui defendendo lo ſtato, difendono ſe medeſimi, e tanti propij intereſſi, & ſoſtegni loro. Præterea verò, amicitia ſecundum Excellentiam,* docente Ariſtot. 8. & 9. Eth. *exigit à ſuperiore, ut inferiori pro obſervantia & officijs majora beneficia reponat, idq;, qui tali amicitia utuntur, ſemper expectant. Proinde danda opera eſt Principi, ut beneficiis, imprimis quæ cives ſibi ſpondere & à Repub. promittere ſolent, ſubditos demereatur, quò pertinet, quod ſupra diſputavimus* lib.1. cap. de official. & Ariſtot *inſinuat* 5. polit. pag. 485. *præmia ipſis Principibus diſtribuenda eſſe, ſed pœnas curiis demandandas. Huc quoq; perti-*

 net,

net, quod lib. 1. cap.12. *planum fecimus, ne magiſtratus & officia Reipub. civibus præripiantur, & alienigenis communicentur. Semper enim cives ex hac cauſa indignantur,* ut ait AEmil 3. de reb. geſt. Franc. *& Cyrus Cambyſem ſuum rectè admonet* apud Xenoph.8.Cyrop. *Si aliquos regni cuſtodes tentes efficere, nunquam aliunde prius incipe, quam ab eo, qui eodem loco natus ſit. Quare & homines cives præferendi ſunt, & qui unà ſint habiti, & qui contubernales non ſint. Obtinuerunt idem Daniæ Proceres à Margareta, vel Olavo* in quadam Conſtitut. §. 2. *ne extraneus ignotæ linguæ, vel imperfectæ ætatis, ad aliquam Eccleſiam præſentetur, quod & Fridericus II.* Artic. V. ſuæ inaugurat. *proceribus promittit, ſe videlicet nunquam in feudorum regni collatione extraneum inquilino prælaturum: & Chriſtophorus dux Megapolit. à Polonis captivus eſt abductus, quod Archiepiſcopatum Rigenſem affectaret. In comitijs enim Wolmarienſibus concluſum dicebatur, non eſſe ad officia Eccleſiaſtica alienigenam admittendum.* Schlüſſelburg. in ſermon. funebr. *Imprimis verò ea civibus reſervanda ſunt officia, quæ cum lucro conjuncta ſunt, ut docet* Ariſtot. 5. polit. pag. 441. *Nam vulgus cætera, honorem, libertatem, poteſtatem, ſusq; deq; habere ſolet, dummodo ſua poſſit promovere commoda. An fæneratores,* ait Cicero in Epiſt. ad Att. *an agricolas, quibus optatiſſimum eſt otium, timere putas, ne ſub regno ſint, qui id nunquam, dummodò otioſi eſſent, recuſarunt? Sunt & alia, quæ ſubditorum favorem conciliare ſolent, quæ, quia* in Ethica generali *à nobis explicata ſunt, odioſiùs non repetimus. Id tamen prætereundum non putamus, quod* Ariſt. 5. polit. pag. 472. *primum caput facit regni conſervandi: ſi vid. reges ſe moderatè geſſerint, & vitam moresq; civibus*

accom-

accommodarint. Nam, quia ſua cuiq; pulcra videntur, non ſine ratione civibus placet, qui eorum mores imitatur, ſuiq; copiam, quantum ſalva autoritate licet, iiſdem facit. Ex hac cauſa refert Ariſt. 5. polit. c. 12. *Regnum Sicyoniorum tā diu ſtabile manſiſſe, in domo Orthagoræ & filiorum, quod reges plurium converſatione & uſu familiari favorem & gratiam hominum acquirebant, quam eandem cauſam Cypſeli quoq; Corinthij Tyrannidem firmaſſe, idem autor est* 5. polit. pag. 490. *Et è cōtrario Anacharſis necatus fuit, quod in ritus Græcorū tranſire, & patrios abolere niteretur.* Laër. in Anach. *Scythæ eandem ob cauſam Scylem regem ſuſtulerunt, quod Græca exerceret Bacchanalia.* Herod. li. 4. *Lacedæmo. Pauſaniæ abrogarunt imperium inter cætera, quod Perſico uteretur vivendi more.* Pauſ. in Lacon. *Imò ipſe Alexand. M. exercitui odioſus factus fuit, quod ad Perſicos abire mores inciperet.* Curt. li. 10. *Proinde* Liv. li. 24. *Hieronem commendat: Nec veſtis habitu, inquit, nec alio ullo inſigni, differens à cæteris viſus fuit: & de Auguſto ſcribit* Tac. 1. Ann. *Nec ipſe abhorrebat à talibus ſtudiis, & civile rebatur miſceri voluptatibus vulgi. Inter Trajani virtutes refert* Caſſius, *quod cum populo humaniter, cum ſenatu honorificè verſatus fuerit, de quo* Plin. in Panæg. *Non, inquit, de Tyranno, ſed cive, non de domino, ſed parente loquimur. Unum ille ſe ex nobis putat, nec minus hominē ſe, quā hominib. præeſſe meminit, & paulò poſt: At Dij boni quo temperamento poteſtatē fortunāq; tuā moderatus es? Imp. tu titulis & imaginib. & ſignis, cæterum modeſtia, labore, vigilantia, dux & legatus & miles. Item: Sic Imperatorem commilitonemq; miſces, ut ſtudium omne, laboremq; & tanquā exactor intendas, & tanquam particeps, ſociusq; releves. Alexandrum quoq; Severum ob familiaritatem commendant,*

 Herodian.

Herodian. Lamprid. & Capitol. *cui cum mater diceret: imperium familiaritate fieri contemtibile, Atqui, inquit, ſecurum & diuturnum*, Lamprid. in Alex. *quod à Theopompo Spartanorum rege tractum eſſe potuit. Nam is, admonitus ab uxore, quod minus eſſet liberis regnum licturus, ob indulgentiam populo exhibitam; atqui, reſpondit diuturnius.* Ariſtot. 5. polit. pag. 472. *Trajanus rationem aſſignavit ſuæ familiaritatis, cum ob eam increparetur: Talem enim, ait, me præſtabo Imperatorem privatis, qualem optarem ipſe privatus:* Eraſm. 8. Apopht. *& Almanſor, Abuchumari filius, cum etiam infimæ ſortis hominum nuptiis intereſſet, & ejus ſuæ humilitatis cauſam poſceretur, reſpondit: quò me viliorem facere voluero, eò ero honoratior.* Aver. 3. tract. de Rep.

Sed familiaritati ita ſtudendum eſt Principi, aut majeſtati, ne alterum extremum incurrat, & contemni ſe faciat, dum alios contemnere fugit. Magnum enim in autoritate & reputatione momentum ſitum eſſe ſupra lib. 1. cap. 9. *diximus, docentq́;* Scip. Ammir. lib. 5. diſc. 8. lib. 12. diſc. 2. lib. 13. diſc. 1. Patrit. in Parall. milit. lib. 6. cap. 7. Gruter. in diſc. ad Tac. pag. 32. Lipſ. lib. 4. polit. cap. 9. Boter. in lib. dell. ſtat. *Nam tam diu Reipub. ſtatus manet, quam diu majeſtas,* dicente Gunter. lib. 4. *ſemper metuenda, ſuoq́; Plena vigore manet, nulliq́; impunè premenda creditur, & ſemper cunctis, & ubiq́; timetur. Retinet autem majeſtas autoritatem ſuã, non tantum, quando cauſas, quas ſupra diximus, eam diminuere, devitat, ſed & ſi cauſas cognoſcat, quibus augetur, iiſq́; pro virili ſtudeat. Cum autem autoritas ſit reverens hominum opinio de rege ſeu majeſtate, omnia, quæ Principem venerandum faciunt, autoritatem ipſi conciliant. Alia verò reverà*

auto-

autoritatem Principibus addunt, alia creduntur ab hominibus talia eſſe. Cum enim autoritas ex opinione hominum dependeat, nihil intereſt, an verè ſplendorem addãt, an addere putentur. Vulgus enim hominum magis opinionem, quam veritatem ſpectat, ut ait Manuel. Imp. in lib. de Reg. inſtit. cap. 89. τὰ πλήθη εἰς δόξαν μᾶλλον, ἢ τἀληθὲς ἀποβλέπει: & Curtius ait lib. 8. *quod huc trahi poteſt: Fama bella conſtant, & ſæpe etiam, quod falsò creditum eſt, veri vicem obtinet. Id quod Alexander M. rectè intellexit, cum diceret: Vtinam Indi quoq; me Deum credant:* Curtius lib. 8. & Machiavelli *dictum* cap. 18. de Princip. *ad hunc modum interpretari poſſemus, quando ſatis eſſe ait, ſi Princeps externa ſpecie pius & religioſus videatur, licet ex animo non ſit. Nec enim videtur à religione vera Principem dehortari, prout eum impugnat* Antimachi. lib. 2. theor. 1. *ſed ad populum promovendum ſufficere dicit, ſi talis habeatur, quia homines, inquit, externa tantum ſpecie ducuntur, & omnia facta non ex cauſis, ſed ex eventu æſtimant. Inter ea enim, quæ Principi autoritatem conciliant, meritò connominatur religio, de qua* Ariſtot. 5. polit. cap. 11. *Oportet Principem res divinas videri curare* διαφερόντως, *Nam & minus injuſtum aliquid ſperant ab eo Principe pati, quem religioſum credunt, Deorumq; verentem: Et minus ei inſidiantur, ut tutores & adjutores habenti Deos. Quin & opinionem movet hominibus, ut,* dicente Curt. lib 3. *Nihil ſine divina ope aggredi videatur. Profanum verò Principem ſubditi communiter contemnunt, quod innuit.* Tac. 14. Annal. *inquiens: Seneca exprobravit Neroni, pervulgatum eſſe inceſtum, gloriante matre, nec [illegible] profani Principis imperium.*

P[illegible] faciunt majeſtatem virtutes cæ-

teræ, & beatitudines in Ethicis declaratæ, in quibus quo-modo ſe ad obtinendam autoritatem gerere debeat, jam lib.1.cap.9. *oſtendimus. Nam, quas* Lipſ. lib.polit.4. cap.9. *ad autoritatem vias demõſtrat, hinc pleræq; deſumtæ ſunt, & deſumi quidem debent, ſi rem ipſam per ſe ſpectare, & non opiniones hominum velis. Quia autem vulgus multa miratur, quæ abſolutè admirationem non merentur, hinc fit, vt in minutis etiam rebus cogatur Princeps autoritatem quærere. Rectè hoc docet in Cyro ſuo* Xenoph. 8. lib. Pęd. *Cyrus inquit, non ſolum decere exiſtimabat Principes ſubditis præſtare, quod ijs forent meliores, ſed etiam exiſtimabat opus eſſe, vt eos veluti præſtigiis quibuſdam deciperet. Itaq; elegit ſtolam Medicam & ipſe ferre, & vt familiares ea induerentur, perſuaſit. Hæc enim viſa eſt ei occultare, ſi quis defectum aliquem haberet in corpore, præterea indutos ea & pulcerrimos & maximos oſtendere. Etenim calceos tales habent, in quibus, qui eos ferunt, clam aliquid ſubijcere poſſunt, quò majores eſſe videantur, quam ſunt. Sinebatq;, vt oculos ſuppingerent coloribus, quò pulcrioribus, quam eſſent, oculis eſſe viderentur & fricarentur, vt melius viderentur colorati, quam natura eſſent. Exercuit eos inſuper, vt neq; ſpuerent palam, neq; mucum emitterent, præterea ne ad quicquam ſpectandum converterentur, perinde quaſi mirarentur nihil. Omnia verò hæc exiſtimabat aliquid conferre ad hoc, vt minus forent ſubditis contẽtui. Itaq;, vt ſerviat opinionibus hominum, Principi ad habitũ & pulcritudinem aliquid curæ fruſtrà non impenditur. Quoniam plurimis gentibus,* dicente Curt. lib.6. *in majeſtate corporis veneratio eſt, magnorumq; operum non alios capaces putant, quam, quos eximia ſpecie natura dignata eſt donare. Et aliàs, Gratior eſt pulcro veniens è corpore virtus,*

r...us, quam ſententiam injuria taxat Seneca Epiſt. 67. ad Lucil. *Nihil enim gratius decore eſſe, Domitianus ex ore vulgi dicebat*, apud Sueton. & Iacobus Illuſtris Purtillar. Comes in lib. de puer educat. *Quo quoq; inquit, pulcrior eſt, eò magis virtus in eo refulgeat, neceſſe eſt. Nec abſq; ratione* Æmil. in vit. Dion. *cum multa alia in Dione commendaſſet, Ingenium quoq; docile, nominat, come, aptum ad artes optimas: magnam corporis dignitatem, quæ, inquit, non minimùm commendatur: & de Theodoſio ſcribit*, Pacat. in Panæg. *Virtus tua meruit imperium, ſed virtuti addidit forma ſuffragium. Illa præſtitit, vt oporteret te Principem fieri, hæc, vt deceret. Vnde &* Cepolla in ſuo oper. de Imperat. milit. elig. chart. pen. in 10 concluſ. *Vult in dubio pulcriorem eſſe exercitus ducem eligendum quod milites Siculi in eligendo Mitio obſeruarunt* Diac. in Conſtant. *Indi Cathei in eligendo rege.* Strab. lib. 16. Diod. Sic lib 17. *Æthiopum nonnulli,* Id. Diod. *& multi alij. Fuit & Abſalon pulcerrimus, & Xerxes in tanto exercitu parem pulcritudine non habuit.* Herod. *Darium quoq; Longimanum omnium hominum pulcerrimum prædicat.* Strab. lib. 15. in fi. *Hinc &* Bald. *dicit* in proœm. Decret. col. 11. verſ. Sed pone. *quod ſi duo ſint electi in rectores parib. ſuffragiis, quorum alter ſit formoſus & indoctus, alter deformis, ſed doctus hic præferendus ſit. Si tamen ſit æqualitas doctrinæ in vtroq; , indicat pulcrum eſſe præferendum. Nam & Priami ſpecies digna iudicata fuit imperio:* Porphyr cap. 3. in prædicab. & Virgil. 4. Georg. *inter apes eum vult regem retineri, qui ſit melior, inſignis & ore. In ô...pell... nem, Euryalum, Iulum, Turnum, Lauſum, Pallantem & cæteros ſuos duces pulcros facit, quod ab* Homero *deſumpſit, quem putat.* Valla

Valla in lib. de hon. virt. *non tam laudaſſe pulchritudinem in Agamemnone, Achille, Deiphobo, Ænea, Vlyſſe, Patroclo, &c. quam affinxiſſe, vt laudaret, doceretq́; illud magnum bonum eſſe, & in oculis hominum collocandum.* *Ita & in aliis rebus, & in ipſa converſatione captari poteſt autoritas Principi, qua de cauſa* Cominæ. lib.3. bell. Gall. *negat ex uſu Principum eſſe, vt coram ad colloquia veniant, & nos infra prohibuimus Principem à nimia cum omnibus familiaritate, quod, ubi minutiſſima etiam emiſſitiis oculis perveſtigantur, & in deterius interpretantur, facilè contemtui via aperiri poſſit. Diximus etiam infra Regibus Perſarum olim, & nunc Africæ regibus nonnullis in uſu poſitum eſſe, vt à conſpectu ſubditorum ſe ſubducant, vt vitato aſſiduitatis ſtudio, autoritatem abſentia tueantur.* Sueton. in Tiber. *Certum enim eſt, majeſtati majorem è longinquo reverentiam eſſe,* Tacit.1. Annal. *& continuum aſpectum minus verendos magnos homines ipſa ſacietate facere.* Livius lib.35. *Sed ita oportet Principem ſe ſubditis ſubtrahere, ne ſeditionibus & tumultibus civium anſam præbeat, ſicut Titus ad Iudæos dicebat: Inſolentiores vos noſtra abſentia fecit: quia nos occupatos putaſtis.* Egeſipp. lib. 5, cap. 46. *Docet hanc artem Alexandrum M. Philoſophus Indus exemplo ſiccæ pellis, quam ſi in circumferentiæ una parte calcaveris, contrarium latus aſſurgit: ſi verò in medio conſtiteris, tota depreſſa quieſcit. Ita, inquit ille, ſi rex extremitates regni circumiverit, rebellandi occaſionem præbet iis, quos longius à ſe relinquit: Si verò in medio pedẽ fixerit, præſentia ſua motus quoſcũq; facilè ſupprimere poteſt.* Plut. in Alex. M. *inq́; eo ſtellarum Principem imitatur, de quo* Claudian. *Medium non deſerit unquam cœli Phœbus iter, radiis tamen omnia luſtrat.*

Oſtendi-

Oſtendimus, quomodo majeſtas & magiſtratus nec alios contemnere, nec ſe contemtibiles facere poſſint, pergendum eſt ad contumeliam, quam accepimus pro damno, vel corporibus, vel bonis ſubditorum illato. Et quanquam jam ad vitandam contumeliam prima remedia patefecimus, quoniam qui novit fugere id quod minus eſt, videlicet contemtum, novit etiam vitare id, quod majus, videlicet contumeliam, quæ eſt contemtus cum injuria: tamen, quæ poſteriora ſunt, & ad contumeliam propriè ſpectant, adhuc ſubjiciemus. Ne verò injuria corporibus ſubditorum inferatur, non tantum à crudelitate abſtinendum eſt Principi, ſed &, ne id committant magiſtratus, proſpiciendum, prout eleganti Apologo Gedeon Epiſcopus Cracov. admonet Miezislaum III. apud Cromer. lib. 6. *Docet hoc* Ariſtot. 5. polit. pag. 456. *dum ait: Requiritur à rege, ut ſit cuſtos, provideatq́, ne locupletes aliquid injuriæ accipiant, plebsq́ non vexetur ullo genere contumeliæ. Cum enim in Principis poteſtate ſit, boni ſint magiſtratus nec ne, quicquid ab his peccatur, illi ſolet, & non ſine ratione poteſt imputari. Quod verò Principi ſeveritas nimia fugienda ſit, jam ſupra* lib. 1. cap. 9. *multis diſputavimus, & Cyrus ſuum Cambyſem docet,* apud Xenoph. lib. 8. Cyrop. *Cambyſe, inquit, quod & te non latet, non eſt hoc aureum ſceptrum, quod regnum ſervet, ſed amici multi, ſceptrum ſunt veriſſimum, maximeq́ ſecurum. Verum ne putes homines naſci natura fidos: omnibus enim iidem fidi apparerent, quemadmodum alia, quæ natura gignuntur, omnibus apparent eadem, ſed fidos oportet unusquisq́ faciat, quorum comparatio nullo modo fit vi, ſed beneficentia potius. Quod enim* Machiavel. lib. 1. diſc. cap. 9. & lib. de princ. cap. 17. *metui potius debere Principem putat, quam amari, ab*

Antimach. lib.3. Theor.8.9.13. Scip. Ammir. in diſc. ad Tac. Godel. ad 8. Liv. *& alibi à nobis ſufficienter refutatum eſt, imprimis cum* Machiavel. *ipſe*, lib.3. cap. 6. *Principem jubeat ſubditorum amorem quærere. Et quia* lib.1. cap.9. *plurima ſupra hac re inter virtutes regias diſputavimus, nunc eò lectorem remittimus, ad alterum injuriæ caput progreſſuri, quod ad bona ſubditorum dirigitur.*

Non poteſt quidem ab actione omninò ſibi Princeps temperare, quod, dicēte Imp. Nov. 149.c. Ac ſane *ſacris tributis non illatis, Reſpub. conſervari non poſſit, ſed tamen parcendum eſt ſubditis, quantum poteſt, quia*, ut ait idem Imp. Nov. 161, c.2. §. Atque ut hæc, *Bono Principi pluris eſt ſubditorum opulentia & medela, quam reditus, qui inde inferuntur imperio*, & Claudian. in Honor. *rectè laudat Honorium: Nec tua privatis creſcunt æraria damnis. Et de Alexandro Sev. ſcribit* Lamprid. in Alex. *Dies nunquam tranſijt, quin aliquid manſuetum, civile, pium faceret, ſed ita, ut ærarium non everteret. Alexander M. rogatus, ubi theſauros ſuos haberet, apud ſubditos reſpondit, cujus ſententiam*, ſi Marcellinus verus eſt, *Iulianus valdè ſolitus fuit admirari. Conſtantius quoq; amicis increpantibus, quod fiſcum curaret indiligentius, reſpondit: Bonus Princeps, qui magis à ſuis diligitur, quam timetur, habet, quicquid cives poſſident: id quod Cyrus Cræſo oſtendit, cum precibus à ſubditis magnam pecuniæ vim collegiſſet.* Xenoph. in Cyrop. *Nam & ſacræ literæ vetant Principem profuſione opes regni exhaurire, & Philippus Valleſius, lege lata, Principis largitiones revocari juſſit, niſi tabulis donationis continerentur.* Connan. lib. 1. Comment. *Si verò neceſſitas omninò tributorum exactionem flagitet:*

Da

Da operam, inquit Cicero 2. de offic. *ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, Neceſſitati eſſe parendum: Et poſtquam neceſſitas ſuperata eſt, rectè monet* Soto de juſt. & jur. lib. 3. q. 6. a. 7. *Evaneſcente tributi cauſa, tollendum eſſe ipſum tributum, quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus*, c. Cum ceſſante de Appell. *Sic Romanis tributum remiſſum eſt, quam primum L. Æmillius Paulus Macedonicis opibus, devicto Perſeo, ærarium ſatiarat.* Valer. Maxim. libro 4. cap. 3. Plutarchus in Pauſan. Plinius libro 33. capite 3. *Sic Philippus Rex Franc. quem Longum indigetant hiſtorici, cum exiguum ſalis vectigal imperaſſet, propalam teſtatus eſt, ſe id, quam primum fieri poſſit, ſublaturum: Et Philippus Valleſius, cum graviſſimo bello coactus vectigal illud ſalarium duplicaſſet, promiſit, ſe operam daturum, ut primo tempore ſuſtolleretur.* Bodin. 6. de Repub, cap. 2. *Æquum enim eſt* ait Iuſtin. l. unic. in pr. de Cad. toll. C. *ut quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas ſopiat. Notum eſt ex hiſtoriis, quam gratioſum plurimis gentibus fuerit, quod à tributis omninò liberati fuerint, qua de cauſa Dionyſius, ut favorem plebis ſibi primùm admercaretur, in triennium omnia tributa remiſit,* Iuſtin. lib. 21. *quod & Smerdis fecerat, ut fraude occupatum regnum ſibi gratioſius faceret.* Herod. lib. 3. Iuſtin. lib. 1. *Scribit aliàs* Herod. lib. 6. *moris fuiſſe novellis Perſarum Regibus, primum annum, pro aucupanda gratia, à penſionibus immunem ſubditis concedere, quod & Lacedæmoniorum reges ſolitos fuiſſe facere,* id. ibi. *refert. Alexander M. quoq; ut Macedonas magis haberet obſequentes, tributa iis remiſit.* Iuſtin lib. 15. *Item Romani, cum Cappadociam mortuo rege Archelao, redegiſſent in provinciam, quædam ex regiis tributis*

diminuerunt, quò, inquit Tacit.2. Annal. *omnino Romanum imperium ſperaretur. Revera enim atrum ſordidumque est aurum, dicente Apollonio Thyanæo, quod ex lachrymis oritur.* Philoſtr. lib.5. de vit. Apollon. *Proinde, quantum fieri poteſt, præcidenda ſunt tributa, aut parciſſime indicenda, non tam in capita, quæ ἐπικεφάλια vocat* Cicero 5. ad Att. Ep 16. *Imp.* l. unic. C. de capit. civ. exim lib. 11. *capitationem, quàm pro ratione patrimoniorum, ne unus pro minima re magna exactione prematur*, ut ait Vlpian. lib.4. de Cenſ. *Cum enim de hac iniquitate quidam conqueſtus eſſet* apud Caſſiod. lib.7. Ep.45. *meritò Rex cenſum facultatibus accommodavit, laudabiliterque inſtituit in Repub. Rom. Servius, vt cum antea per capita æqualiter conferrent, cenſus accommodaretur ad gradus patrimoniorum* Flor. lib.1. hiſt. Rom. cap.6. Halycar. lib. 4. *& Diocletian. & Maxim.* lib. 3.C.de ann.& trib.Ind. *vetant quenquam ultra rerum poſſeſſarum modum gravari. Severus item*, l. 1. C. vectig. nov. inſtit. non poſſ. *nequaquam vult temerè permittendam novorum vectigalium exactionem.*

Age igitur, quandoquidem Ariſtot. 5. polit. pag. 488. *regem jubet eſſe μὴ σφετεριςὴν, ἀλλ' ἐπίτροπον, non extortorem bonorum, ſed tutorem, nec tamen ſine ærario Reſpub. conſiſtere poteſt, proponemus alios modos ditandi ærarij, quibus ſi ſtuduerit Princeps, facilius tributis ſubditos levare poterit. Et primum quidem publica bona fiſco aſſignanda ſunt, vt inde ſuſtentetur, ſicut Romulus tertiam partem agri conceſſit Reipub.* Halycar. lib. 2. *cumque Cæſar agrum Campanum totum plebi divideret, nihilque in publicum conferret, creditus fuit plebi adulari in detrimentum Reipub.* Plutarch. in Cæſ. *Vnde inter regalia,*

ſeu

ſeu bona Reipub. numerat. *Fridericus* c. quæ ſint regal. *Vias publicas, flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, theſauros in publicis locis inventos, res pro derelictis habitas. Hæc enim omnia ad fiſci divitias referenda ſunt. In Monarchia verò bona regalia duplicia ſunt, publica & privata, ſicut conſtituit etiam Iuſtinianus duplicem procuratorem fiſci & ærarij, conſtatq;* ex l. 2. ſ. Hoc interdictum. Ne quid in loc. publ. l. cum ſervus. ſ. conſtat. de leg. 1. *Et quanquam fiſcus ad bona Monarchæ, & non totius Reipub. pertinet, tamen M. Antoninus omnia vaſa, aurea, argentea, chryſtallina & myrrhina vendidit, ne cogeretur tributum exigere,* Sabell. lib. 4. En. 7. *quod & Nerva jam antea fecerat, qui univerſam ſupellectilem protruſerat.* Dion. in Nerv. *imitatusq; eſt Tacitus, ut* Vopiſc. in Tacit. *ſcribit, & nos ſupra allegavimus. Quid ni enim hoc faceret Princeps, de cujus ſalute maxime agitur, cum Solon voluerit, quemcunque Quinque modi alium civium, ſi Trierarchus vel Collator electus fuerit, ad opes ſuas Reipub. impendendas, obligatum eſſe debere,* ut Demoſth. tradit in Trierar. Lyſi. in orat. de Muner. AEſchin. in accuſ. Cteſiphont. *Quod verò bona publica attinet, non liset ea Principi, niſi pro Repub movere, alioquin totam Remp. quæ in ijs fundatur, excuſſuro,* l. ult. de jur. civ. C. lib. 11. *cum tamen Reſpub. Principi ſit eodem loco, quo pupillus,* l. Remp. C. de jur. Reipub. *cujus bona tutor ad ſuum commodum transferre non poteſt. Ita cautum eſt in articulis Caroli V. ne bona imperij alienet, aut deminuat,* Sleid. lib. 1. *idemq; cavetur* lib. 1. Stat. Polon. Stat. Hiſpan partit. 5 t. 5. Stat. Venet. lib. 2. & in articulis Frideric. regi Dan. exhibitis. *Nec immeritò accuſatus fuit, Ludowicus rex Polon. & Vngar-*

 quod

quod Vladulao duci Oppolienſium ex regiis terris addixiſſet Oſtreſſovienſem & Velunenſem tractum, Olſtinenſem, Crepicienſe, Bobolicenſe territoria in Cracovienſi, & Brezinicienſe in Siradienſi ditione. Cromer. in hiſt. Ludovv.

Imperatores item Henricus V. Fridericus I. Ludowicus Bavarus, Otto III. Rudolphus, & alij, qui bonorum imperij nonnulla, vel in alios, vel in ſuos transtulerunt, & Carolus IV. imperij vectigalia Electoribus conceſſit, eandem ob cauſam, ob quam Q. Metellus olim Italiæ portus vectigalibus liberavit in fraudem boni publici, hic, vt popularem ſollicaret gratiam, ille, vt filio emeret imperium. Rectè Iohan. Zimiſces Baſilio cubiculario ademit, quæ Nicephorus ipſi conceſſerat: Indignum dicens eſſe & iniquum, publicis poſſeſſionibus multorum præſtantium virorum ſudoribus & ſanguine partis unum ſpadonem perfrui. Zonar. in Zimiſc.

Proximè bonis publicis ſunt vectigalia, quæ variis rebus indici potius debent, quam ad tributa procedatur. Vnde enim aliquis lucrum ſperat, inde cum gratia patitur aliquid decerpi. Cicero ait in Epiſt. ad Q. fratr. *Imperium ſine vectigalibus retineri nullo modo poteſt, & cum Nero ad aucupandam gratiam principio imperij, vectigalia tollere vellet, Senatus impedijt, diſſolutionem Imperij futuram dictitans, ſi fructus, quibus Reſpubl. ſuſtinetur, diminuantur, quippe ſublatis portoriis, ſequens vt tributorum abolitio expoſtularetur.* Sueton. in Nero. *Hannibal hoc modo callidè uſus eſt, quem ſcribit* A Emil. Prob. *non tantum abolendo vetera vectigalia, ſed nova imponendo, id effeciſſe, non modò, vt eſſet pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, verum etiam, vt ſupereſſet, quæ in ærario poneretur,*

Primum vectigal à Romanis ad Sutrium introductum eſt, cum manumiſſi pro libertate vigeſimam partem bonorum in ærarium conſerrent, Livius lib.2. *Oportet enim vectigalia iјs rebus imponi, ex quibus ſentitur lucrum, quod, uti dixi, ab iјs facilè quis patiatur particulam abſtrahi. Ita Auguſtus l. Iuliam tulit, vt quæ hæreditates legata, donationesvè, mortis cauſa ad alios pervenirent, eorum viceſima pars fiſco vindicaretur.* Dion.in Auguſt. Plinius in Panægyr. *vocat tributum facile & tolerabile, quod tamen Trajanus ſuſtulit. Nam & hic & Pertinax in tollendis vectigalibus nimij fuiſſe videntur. Ita Byzanthini, cum apud eos non eſſet civis, niſi utroq; parente cive genitus, 30. liberis vendiderunt civitatem ei, qui uno tantum parente cive natus eſſet.* Ariſtot.2. Oeco. *Inter hæc honeſtiſſimum eſt vectigal, quod Portorium vocat* Cicero pro l Manil. lib. 4. in Verr. pro Font. & alibi *rebus evehendis & invehendis imperari ſolitum, quo Rex Daniæ maximè utitur. Quas verò res in Rempublicam inductas, aut quas evectas nolimus, in iјs vectigal augendum eſt, in cæteris minuendum. Abuſi ſunt hoc capite, qui à leviſſimis & ſordidis rebus vectigal extorſerunt, vt Caligula, qui Leones & meretrices tantum conferre juſſit, quantum meretrix uno concubitu lucraretur:* Sueton. in Calig. *Alexander Severus illud vectigal in res ludicras profudit, ab ærario abeſſe voluit. Quæſtum enim à minutis ac turpibus rebus, item à pauperibus ac mortuis facere, illiberalis ac ſordidi hominis eſſe, dicit* Ariſtot.2. Rhetor. *Et Veſpaſiani ſordes meritò diſplicuerunt filio, quod ſcilicet ex urina pecuniam colligeret,* Sueton; in Veſpaſi. *quod Ferdinandus Rex Neapol. imitatus ſcribitur.* Pontan. lib. de liberal.cap 38.

Abuſi

Abuſi quoq; ſunt hoc capite Guilielmus Anglus, qui immunitates civitatum, cœnobiorum, Epiſcopatuum &c. abrogavit, ut carius à ſe redimerentur: Polyb. lib. 9. *itemq; Imperator ille, qui magiſtratus ſuos emungere ſolebat, dicens, ſe eos inſtar ſpongiarum habere.*

Tertius modus augendi ærarium eſt ex ſociorum penſionibus, quas Athenienſes ſocijs ſolitos fuiſſe imperare, & μετοίκιον vocaſſe, teſtes ſunt Demoſth. contr. Neær. Arpocrat. in vocab. μετοίκ. *Qui enim à Repub. tutelam expectant & patrocinium, ad ejus ſuſtentationem neceſſe eſt, viciſſim conferant. Romani, licet victoria contenti ſæpe eſſent*, ut ait Flor. lib.3. cap.2. *penſiones tamen devictis hostibus ſoliti ſunt imperare, ſicut Carthaginenſibus* ait Livius lib.31. *annuum ſtipendium imperatum fuiſſe, quod & Philippo regi Macedonum imperatum eſt. Ita & Veneti, bello, quod contra Maximilianum geſſerunt, exhauſti, juſſerunt inquilinos in ærarium inferre æquam partem mediis domorum fructibus, qui ex locationibus proveniebant.* Bemb.lib.10. & 12. hiſtor.Venet. *Cæterum inter tributa & penſiones diſtinguendum eſt, cum hæ quoq; à non ſubditis, & qui majeſtatem poſſident, tribui poſſint, ſicut Lucenſes annuo precio libertatem admercantur, & Muſcovitæ olim Tartaris penſionem certam dabant*, Sigiſmund. & Pantal in Muſc. *quibus & Chinenſes quondam dederunt.* Boter. 2. part. Coſmogr. *ſed tributa ſunt indicium ſubjectionis.*

Quartò auget ærarium liberalitas aliorum, de qua miratur Polyb. lib.5. *Rhodios hac unica via, ſcilicet per liberalitatem vicinarum Rerumpub. tantum potuiſſe ædificare Coloſſum. Sed videtur hic modus quibusdam illiberalior, quod Socrates putaret, eum, qui à quocunq; pecuniam recipit,*

recipit, ſui ipſius Dominum illum conſtituere, ac ſervitutem ſubire, nulla quavis alia minus turpem. Xenoph.1.de dict. & fact. Socr. *Et ſanè verum eſt, quod Severus Imp. ſcribit: ὅτι πάντα, ὅτι πάντοτε, ὅτι παρὰ πάντων. Nam valdè inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſſim, viliſſimũ eſt, & omnia, avariſſimum:* l. 18. de offic. præſid. *& imprimis toti Reipub. indecorum eſt, quod privati etiam homines ſibi vitio verterunt. Nam Phocion, quanquam objurgatus ab Alexandro M. nihil tamen ab eo accipere voluit.* Plutarch. in Alex. *nec Cleomenes à Mæandrio:* Herod lib.3. *nec Lucullus à Ptolomæ:* Plutarch. in Lucull. *nec Cato à Dejotaro Galata.* Plutarch. in Cat. Vtic. *Hinc & Scyllam laudat* Saluſt. in Iug. *quod, cum in caſtra Marij in Africam veniſſet, ceperit alijs beneficia per ſe dare, invitus accipere: æs mutuum reddere ipſe, à nullo repetere, magis id laborare, vt ſibi quam plurimi deberent. Multò igitur magis hoc dedecebit regem, vel principem, cujus eſſe dicebat Ptolemæus Lagi filius, alios ditare, non diteſcere,* Plutarch. in Apopht. *ſicut & Artaxerxes Longimanus Principe dignius eſſe dixit, dare, quam accipere.* Lauterb. 2. de Repub. cap. 14. *Hinc Imperator Calecutij, cum Solymannus Baſſa, in expugnatione Dij, occupatus, dona illi mitteret, reſpondit: Nec moris aut conſuetudinis Imperatorum Calecutij eſt, nec fuit, nec erit, dona accipere, ſed dare:* Damian. à Goës lib. 1. de bell. Cambai. *Imò Cariajenſes, licet Columbo, dona ad littus exponerent, recuſarunt tamen ab eo quicquam recipere.* Mart. dec. 3. lib. 4. *Romani quoq́; Pyrrhi munera repudiarunt,* Iuſtin lib. 18. *& licet graviter ſecundo bello Punico oppreſſi, tamen regis Ægyptij dona,* Livius lib. 37. *& Hieronis Siculi,* Livius lib. 36. *detrectarunt, excepta victoriæ imagine, quam non*

tam muneris, quam boni ominis gratia acceptaſſe videntur, quomodo Latinorum quoq; & Hernicorum parvi ponderis coronam in Capitolio dedicarunt, Livius lib.3. *Rhodiorum item, cc pondo, & Philippi C. Pondo. Unde* Saluſt. *ſcribit* in Catil. *Romani magis dandis, quam accipiendis beneficijs amicitias parabant. Sed vt hæc Romanorum Magnificentiam decuerint: Minoribus tamen Principibus aut Rebuspubl. inhoneſtum non eſt, ſi à ditioribus quicquam accipiant, cum & Romani, Aſiæ, Pergami, Bithyniæ, aliaq; regna à regibus donata acceperint, &, ſi quid teſtamentis Principi aut ærario legatum erat, libenter admiſerint*, de legat. III. l. ex imperfecto C. de teſtam. *niſi quod Auguſtus nimiam in accipiendis legatis promtitudinem correctam voluerit.* Sueton. in Auguſt. *Nam & Antonio obijcit* Cicero Philip. 2. *quod quorumvis ignotorum hominum hæreditates adierit. Turcis quidem moroſè petere rubori eſt, ſed, quod ultrò offertur, ſine verecundia recipiunt:* Menavin. Genuenſ. in relat. Turc. *& rex Abyſſinorum quoq;, quod ultrò offerunt ſubditi, accipit, ſed indignum majeſtate putat, quicquam extorquere.* Franciſc. Alvar. in relat. Abyſs. *Nonnulli aliorum liberalitate, ad evertendas eorum Reſpub. abuſi ſunt, dum, à quibus magna munera prius eblanditi ſunt, eos, poſtea facultatibus nudatos invaſerunt, ſicut Tamberlanem ſolitum fuiſſe civitates prius exuere pecunijs, quam eas aggrederetur, teſtatur* Hatto Armen. in hiſt. Tart. *& Manuelem Imper. Soldanus Turcarum Iconienſis oppugnavit, poſtquam ejus theſauros, muneris loco abſtulerat.* Nicet. 4. Annal. Manuel.

Porrò diteſcit ærarium ex hoſtium ſpoliis, unde magna ſumſit augmenta ærarium Romanor. quippe quos, quicquid

poſt

poſt vota, dona, & ſtipendia militum ſupererat, diligenter in ærarium contuliſſe conſtat. Fabius Conſ. ait Liv. li. 2. *vendidit, quicquid ex Volſcis Æquisq; captum erat, ac redegit in publicum, etiam cum odio militum, qui inde plus prædæ ſibi promiſerant. Scipio Æmil. etiam ſibi miſſa munera ab Antiocho rege, à Quæſtore in publicas tabulas conſignari juſſit:* Id. Liv. *& Camillum, Scipiones, Aſiaticum & Africanum repetundarum damnarunt, quod crederentur non omnia in ærarium depoſuiſſe, qua de cauſa Manlius quoq; plebem extimulavit contra patres, quaſi hi ex præda Gallica theſauros, clam vulgo retinerent,* Liv. lib. 5.

Eſt etiam apud nonnullos uſurpata mercatura & negotiatio, ad augendas opes publicas. Et quanquam ex ſententia Theophili Imp. Zon. in Theoph. *ſuprâ mercaturam à principibus non exercendam dixerimus, tamen, quæ in magnis & neceſſariis reb. verſatur, principe indigna non eſt, imprimis, cum ſatius ſit, inde lucrum capi, quam univerſos cives tributorum nimia exactione exhauriri. Illud quidem Pertinaci vitio datũ fuit, quod mercaturã, quaſi privatus, ſordidam exerceret,* Cap. in Pert. *Item & Ferdin. regi Neap. qui porcos ſuos ſubditorũ ſumtu ſaginandos elocabat, frumentũq; & oleũ per totã Apuliã coëmebat, & pro arbitrio, quanti vellet, vendebat,* Comi. 2. bell. Neap. *Item Antonio Levæ, Mediola. præfecto, qui lege prohibuit, ne quis civium triticũ moleret, aut panẽ penes ſe faceret, ſed cogeretur ab Imperatoriis tabernis emere.* Sabel in ſupple. *Sed quã Rex Hiſpan. exercet, mercatura, cum multarum rerũ cognitione, regniq; & religionis propagatione conjũcta, quãq; Rodolph. Bohem. Rex inſtituere coactus fuit, cum à duob. Wenceslais ærariũ denudatum erat, honeſtior eſt, & ab ipſa neceſſitate expreſſa. Pecuniis n. regiis ſalẽ, vinũ, hordeũ, & triticum ex*

Auſtria in ſua convexit horrea, & viciſſim ſubditis vendidit. Dubrav.lib.19. Conſtit.Bohem.

Sunt nonnulli alij modi acquirendæ pecuniæ, minus regulares, & à neceſſitate expreſſi, vt quod auctus fuit valor nummorum ab Hippia, Ariſtot. 2. Oecon. *à Leuconte,* Polyœn. lib.6. Stratag. *& à Romanis bello I. Punico:* Plin. lib.33. cap. 3. *aut quod ferreus ſubſtitutus nummus pro aureo à Clazomeniis,* Ariſt.2.Oec. *alutinus à Michaële Duce Venetorum,* Sabell. lib.4. Enn.9. *Sed quia nec numerum habent tales modi, nec ſcientiam, ſcrupuloſè eos conquirere nec debemus, nec poſſumus, cum è re nata pro cujusq; prudentia excogitari debeant. Edvardus IV. Anglus, invenit contributionem, quam vocavit Benevolentiam, vt ſcilicet, quantum quisq; vellet, conferret. Hinc enim regem uniuscujusq; in ſe benevolentiã æſtimaturum. Ita cum gratia ſubditorum magnam pecuniæ vim coëgit, quippe, quorum quisq; præ alio ſuum regi amorem declaratum volebat.* Polydor. Virg. lib.24. hiſt. Angl. *Scotiæ proceres, fugato Bothuellio, cum exinaniti eſſent theſauri regij, impendium ad reliquias belli conficiendas potius mutuò ſumſerunt à Iacobo Dugloſſio, Mortonio, quam tributum indicerent,* Buchan.lib.29. *quod & Romanos II. bello Punico feciſſe,* Livius lib.26. *narrat, ne tributis onerati ſocij deficerent, vt Carthaginenſibus primo bello acciderat.* Polyb.libr.1. *Lyſander quoq; & Callicratides, ad reges Perſarum,* Plutarch. in Lyſand. *Ageſilaus & Cleomenes ad Ægyptiorum reges pecuniam mutuatum profecti ſunt, cum ærarium inopia laboraret.* Plutarch.in Ageſ. & Cleomen. *Sed, vt dixi, de his in ipſa arena conſilium capiendum eſt.*

Pergimus ad octavam cauſam, quæ eſt ἐρίθεια, *ſeu*

conſpi

conſpiratio. Eam verò legibus oportet prohibitam eſſe, ſicut tum Canonicis, tum Imperatoriis edictis vetita eſt, in Concilio Chalcedon. cap.18. VVormat.cap.74. Aurelian. III. cap.21. c. Conjurationum cum 3. ſeqq. 11. q 1. *Imperatores verò Arcadius & Honorius participes conſpirationum, majeſtatis condemnant,* l. quisquis, & l. fin. ad l. Iul. majeſt. ff. Boër. in tr, de ſeditioſ. *Imperator Germ. quoq;* t. 53. feud. lib. 2. §. conventicula, *conſtitutionem ſuper hac re edidit, quam verſibus expreſſit* Gunther. lib. 8. *Nec conventiculum, vel conſpiratio fiat, ſive ſodalitij, ſeu juncti ſanguinis æſtu, idq; conſilium Mecœnas inter cætera dabat Auguſto.* Dion. in Auguſt. *& jam olim 12 tabulis cautum eſſe cognoſcimus, ne quis in urbe cœtus nocturnos ageret,* ut ait Latro. in declam. cont. Catilin. *Plerunq; enim ſeditiones ex conciliabulis occultis initium ducunt, ſicut in factione Manlij,* Livius lib.6. *dicit: Manlium domi concionantem plebem contra patres animaſſe, &* Tacit. *de defectione Galliarum ita loquitur: Igitur per conciliabula & cœtus ſeditioſa diſſerebant. Propterea patribus, cum primum contra Coriolanum plebs coiret, tentata res eſt, ſi diſpoſitis clientibus, abſterrendo ſingulos, à coitionibus, conciliisq; diſijcere poſſent:* Livius lib.2. *& Herodes, ut ſeditiones præcaveret, turbas & conſpirationes ſuſtulit, otium abſtulit plebi, eamq; perpetuis laboribus defatigavit.* Ioſeph. lib.15. cap.13.

Cæterum, quid ſit conjuratio, quomodo cautè inſtituenda, cujus modos nonnullos docet Machiavel. lib.3. diſc.6. *& quomodo cautè diſſolvenda, Item quando contra Tyrannum, & an liceat ſubditis conjurare, Item an liceat unicuiq; ex civibus cruentas inferre manus Tyranno, quanquam res eſt hujus loci, tamen quia ab aliis copiosè diſpu-*

tata eſt, & noſtrum inſtitutum ad finem properat, nunc in controverſiam non vocamus, & ad nonam cauſam pergimus, videlicet ὀλιγωρίαν.

Eſt autem diligentiſſimè opera danda, ut, dicente Ariſtot. 5. polit. pag. 488. *cives, qui volunt ſtare Rempub. ſint potentiores cæteris, & excludantur, qui eam oderunt, ſicut* Saluſtius *tradit, Cn. Piſonem adoleſcentem audacem & factioſum, in Hiſpaniam quæſtorem miſſum, adnitente M. Craſſo, cui tamen Senatus provinciam non invitus dederit, quippe, qui fœdum hominem procul eſſe à Republ. volebat. Eſtq́; eò diligentius hac in parte cavendum, quod multi, qui ab initio probi viſi fuerint, poſtquam penes ſe habuerunt, cujus gratia probi fuerunt, ex probis fiant peſſimi. Hi,* inquit Lactantius lib. 6. cap.6. *cum ceperint voti ſui compotes eſſe, & ſummum potentiæ gradum ceperint, tum verò ſimulatione depoſita, mores ſuos detegunt, rapiunt omnia, & violant, & vexant, &* Polyb. lib.10. *conqueritur, cum multis mortalium ita comparatum eſſe, ut magnis & humilibus promiſſis beneficia emant, quæ poſtquam ad ſe traxerunt, tum demum malè faciant, & ſubditis dominorum more imperent. Prodeat in exemplum Sylla, qui apparuit Reipub. ſtudioſus & mitis initio, ſed ad Rempub. admotus, & victoria clarus, exiſtimationem patribus dedit, quam facilè per poteſtatem, quis corrumpatur. Prodeat Nero, qui primum quinquennium ita egit, ut Trajanus, cujus vitam* Plinius in Panæg. *Dijs ſummis imitandam proponit, nihil ſibi impenſius, quàm quinquennium Neronis optaverit: At, cum in omnia ſcelera poſtea præceps iret, verum fecit verbum Marij, qui ait,* apud Saluſtium in Iugurth. *Illis difficile eſt in poteſtatibus temperare, qui per ambitionem ſeſe probos ſimulavere.*

vère. Sicut enim ignis tam diu quieſcit, quam diu materia deſtitutus eſt: Ita concupiſcentiæ animi, non prius, quam occaſionibus ablatis excandeſcunt, ut ait Philo. in lib. de Reſip. No. *Prodeat Caligula, de quo* Philo de legat. ad Caj. *videbatur* τίνας ἀγαθῶν πηγὰς ἐπομβρήσειν: *mox verò erupit in ſævitiam, vel potius aperuit, quam diſſimulaverat hactenus. Prodeat Valentinianus, cujus vitium inter exordia imperitandi dilatum aliquandiu, licentius erupit ad plurimorum perniciem.* Ammian. lib. 27. *De eodem* Zoſimus *ait: Simpliciter denique diverſus erat à moribus, quibus initio regni viſus fuerat. Alij verò, licet antequam regnent, non malo admodum ſint ingenio; tamen ipſa poteſtatis magnitudine corrumpuntur, ut de Appio Claudio Decemviro ſcribit* Halycarn. libro 10. *&* Zoſimus *de Maximino. Is, inquit, quibus à natura præditus erat eximiis dotibus, eas ipſa poteſtatis licentia perdidit. Unde* Herod. lib. 3. *Monarchiam diſſuadet, quod in ea aliquis facilè corrumpatur ob ſummam licentiam, quam* Vopiſc. in Aurel. *primam cauſam facit corruptionis Principum, & Poëta ait: Suadetque licentia luxum, Illecebriſque effrena favet.* Claudian. de 4. Conſul. Honor.

Eſt enim maximè difficile, ut ait Marc. Imper. apud Herodian. lib. 1. *in maxima licentia moderari ſibi.* Τὸ εὖ πράττειν, inquit Demoſth. Olinth. 1. παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται, & Ariſtoteles 5. polit. pag. 439. φέρειν οὐ παντὸς ἀνδρὸς εὐτυχίαν. *Rectè* Dion. libro 44. *Honores laudeſque levitatem homini etiam honeſtiſſimo cuique adferunt, ut ſe jam talem eſſe, qualis prædicatur, exiſtimet; & accommodatius ad hoc inſtitutum,* lib. 33.

Ea eſt

Ea eſt natura humanorum ingeniorum, vt non juvenes modo, verum etiam provectiores, poſtquam multum temporis in poteſtate tranſegerint, patriis moribus haud ſibi vivendum ducant: id quod iam Curtius *dixerat.* li.10. *Sic ſcilicet, inquit, res ſecundæ valent commutare naturam, vt rarò quiſquam erga bona ſua ſatis cautus ſit. Quod enim non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt*, Seneca in Tragœd. *& vulgò dici ſolet: Fortuna efficit cæcos, quos complexa eſt. Pyttacus Mytilenæus, cum Periandrum Corinthium, qui antea popularis erat, in Tyrannum degeneraſſe videret, poſt decennale imperium ad vitam privatam rediit, dicens,* ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι, *quod difficile ſit, probum manere, cum Periander mutatus eſſet.* Diog. in Pitt. *Ita de Alexandro M.* Curt. lib.3. *Qui orientem fortunam tam moderatè & prudenter tulit, ad extremum magnitudinem ejus non cepit. De Annibale ſcribit* Livius lib.20. *quod nullum fuerit ingenium inter milites familiarius. Sed poſt victoriam Cannenſem, nec civium ſuorum quenquam admiſit, nec reſponſum, niſi per interpretem dedit.* Polyb. lib.3. Valer. Max. lib.9. cap.5. *De Philippo II. Macedon. refert* Plutarch. in Arat. *quod ex miti rege, & adoleſcente modeſto, caſtoq́, in virum laſcivum & deteſtabilem Tyrannum degenerarit. Tiberius promiſerat Senatui, cum in acta ſua jurari vetaret, ſe ſui ſemper ſimilem futurum, nec unquam mutaturum mores ſuos.* Sueton. in Tiber. cap. 67. *Sed paulò poſt Aruntius dicebat, eum vi dominationis convulſum & mutatum, &* Tacitus *addit: Morum quoq́ illi tempora diverſa.* 6. lib. Annal. *Ipſum adeò Agamemnonem contueamur, quem frater* apud Eurip. in Iphig. *propterea increpat: Scis, inquit, quando cupiebas Græcis præfici ad Ilium, quam eras humilis,* ἀπά-

ἀπάς

σῆς δεξιᾶς προσθιγάνων. Κατ' ἐπεὶ κατέσχες ἀρχὰς, μεταβαλὼν ἄλλους τρόπους, Δυσπρόσιτος, *&c. Et quid opus eſt exemplis, cum* Tacit. 1. hiſt. *de Veſpaſiano ſcribat: Solus omnium ante ſe principum in melius mutatus eſt. Propterea diligenti opus eſt diſquiſitione, priuſquam imperium, vel magiſtratum alicui committas, ſicut apud Athenienſes inſtitutum memorat* A Eſchin. contra Timarch. *lege Solonis, ne quis magiſtratum ullum adipiſcatur, qui impudicitiæ, aliusvè turpitudinis vitio notatus fuerit*, & de emēt. legat. *ſcribit: Iubet lex magiſtratus omnes, quos populus creat, & publicorum operum præfectos, & omnes, qui tractant aliquid civitatis ultra 30. dies, & qui judiciorum principatus obtinent, & qui ſorte lecti ſunt, hos, inquam, omnes jubet lex præeſſe, probatos in foro, & rationem, atque* εὐθύνας *apud ſcribam & logiſtas deponere, ita vt nemo vel minimo magiſtratu geſto, niſi rationem &* εὐθύνας *reddiderit, à populo corona donari poſſit. Hæc autem probatio magiſtratuum vocabatur* δοκιμασία, *vt* ex Vlpian. ad Lept. & Plutarch. in Pericl. *& ex multis aliis patet. Ad Areopagum verò præterea nemo admittebatur*, dicente Iſocr. in Areopag. *niſi qui benè natus eſſet, & virtutis ac moderationis documenta permulta dediſſet.*

Eſt enim hoc ad dignoſcenda ingenia, quæ intus latent, valdè utile, quia, vt Bias dicebat, magiſtratus virum oſtendit, & Plinius in Panægyr. ait: *Tùm demum judicari poſſe, an meruerit quis honorem, poſtquam adeptus eſt, quod &* Tacitus hiſtor. *innuit, de Galba ſcribens: Ab omnibus capax imperij judicatus fuiſſet, niſi imperaſſet.* Ariſtoteles *tamen* 5. polit. pag. 446. *ubi comparat ducem, cum alijs magiſtratibus, in his primo loco virtutem,*

in illo ſcientiam rei militaris requirit, *quod &* Scip. Ammir. *docet* lib. 17. diſc. 3. *quia,* ut Leo Imp. ait in ſuo libell. *In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quam ars & exercitium ſolent præſtare victoriam. Vnde cum L. Domitius quendam, quem ordinem ducere volebat, commendaret, quod eſſet vir probus, cur igitur, inquit Cicero, eum non potius liberis tuis tutorem relinquis? Cum C. Fabritio P. Cornelius, homo avarus & furax gratias ageret, quod ſe in bello difficili conſulem feciſſet: Nihil eſt, ait Fabritius, quod mihi gratias agas, ſi malui compilare, quam venire. Minus enim malum eſt,* ait Cicero, *poſtquam hoc narrarat,* 2. de orator. *partem fortunarum ſuarum amittere, quam accipere magnum incommodum in bello.*

In magiſtratibus verò Reipub. pacificæ, uſum & exercitium ante virtutem non requirit Ariſtoteles, *tum, quod exquiſito uſu hæc officia non indigeant, faciliq́; negotio & ſine periculo addiſci in ipſa adminiſtratione poſſint, tum quod magiſtratus plus damni ſua improbitate, quam imperitia Reip. afferat, quod in bello ſecus eſt.*

Quæ ad decimam cauſam pertinent remedia, jam inter præſervativa propoſuimus, cum ejus curatio in præſervatione conſiſtat. Quæ ad undecimam, ferè in primo lib. c. c. 6. in fin. *attigimus, &* c. 12. in pr. *Conſiſtit autem ſumma in hac quæſtione, Vtrum Extranei ſint in civitatem cooptandi. Oſtenderunt* Scipio: Ammir. & Machiavell. in diſcurſ. *non poſſe civitatem evadere magnam, ſi ſuis tantum contenta civibus, extraneos nullos recipiat, ſicut in Lacedæmoniorum Repub. patet, quæ Peloponneſum vix egreſſa eſt, propterea quod civitatem omnibus peregrinis claudebat, ex lege Lycurgi.* Plutarch. in Lycurg. Herod. lib. 9.

lib.9. *Cum è contrario* Cicero pro Balb. *Romanæ Reipub. incrementum accerſat ab eo, quod non tantum exteros, ſed & hoſtes civitate donârit. Interim tamen, qui hac via Rempub. ampliare nititur, diſſenſionum neceſſum eſt & ſeditionum, quas hinc naſcituras novit, remedia præmeditata habeat, niſi fortaſſe novellos cives ita concludat, vt rebellandi occaſionem non inveniant, ſicut Venetos feciſſe conſtat, qui peregrinos, quos in civitatem adoptarunt, à Republ. excluſerunt, & in infimo gradu civium reliquerunt.* Ianott. de Repub. Venet. *Romani quoq; recens factos cives, ex manumiſſis, inferiores plenis civibus habuerunt, vt alibi declaravimus, nec Lacones veris civibus immiſcuerunt, quos ex Helotis manu miſerunt.* Athenæ. lib. 6. *Peregrinos enim civibus præferre, ad menſam vocare, & Reipub. cuſtodes efficere, Tyrannorum eſſe, tradit* Ariſtot. 5. polit. pag. 457. 475. 478. *& non regum, quorum cuſtodia conſiſtit è civibus.*

Dedimus ad omnes Rerumpub. morbos, & eorum cauſas ab Ariſtot. *propoſitas, remedia: tantum ſupereſt, vt redeamus ad primam cauſam, ſcilicet providentiam divinã, & videamus, quomodo Politicus circa eam ſeſe habeat. Et quia voluntas Dei occulta eſt, ſicut Chriſtus reſpondebat diſcipulis, de deſtructione Hieroſolymorum & reſtitutione regni ſciſcitantibus: Non eſſe ijs inquirenda tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate,* Luc. 21. Marc. 13. Matth. 24. *& de excidio Hieroſolymarum dicebat: Hoc nunc occultum eſt oculis tuis,* Luc. 19. *tum verò precipuè, quia res Theologica eſt, unicum illud oraculum, quantumvis ex impio ore Sybaritis datum, pro monitorio ſubjungemus: Semper eris felix, Venerans gens numina Divûm:*

Donec plus ſuperis, fueris venerata virum quem, Intima ſeditio tunc, & tibi prælia ſurgent, Athen. 12. Dipnoſ. cap. 6.

In omnibus enim, quæ ritè & auſpicatò fiunt, precibus emeritam voluntatem DEI Politicus præſupponit, & poſtea audacter manus operi applicat, quippe, Vigilando, agendo, proſperè omnia cedere ſciens. Saluſtius in Catilin. *Nec enim ita victoriam dat DEVS, ut nolit à militibus cooperatum, nec*, ut ait Comicus, *dormienti res ſuas conficit, ſed vigilanti & agenti. Dij, inquit, Manlius in oratione ad plebem, prohibeant, ne ut Caſſius & Melius pereã, ſed nunquam propter me cœlo deſcendent: Vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis, ſicut mihi dederunt armato, togatoq́, ut vos à barbaris hoſtibus, à ſuperbis defenderem civibus.* Livius lib. 6.

Ethnicum hoc eſt, ut & illud Saluſtii in Catilin. *Non enim votis, neque ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: Sed eatenus cum vera religione conſentit, quod velit ſimul orandum, ſimulq́ laborandum. Nam cum Perſeus, in maria inſulamq́ Samo thracum fugeret, fretus celebri religione meritò ridetur à* Flor. lib. 2. cap. 12. *quaſi templa & aræ poſſent defendere, quem nec montes ſui, nec arma potuiſſent.*

Cum Iſaacius Angelus, à Brana obſeſſus, tantum ad Minoritarum preces confugeret, abjectis armis, reprehenſus fuit à Conrado March: Montisferratenſi, non quod precibus nihil eſſet fidendum, ſed quod non iis ſolum, ſed & thorace & gladiis pugnandum. Nicet. 1. Annal.

1. Annal. Iſaac. *Et eundem Iſaacium deridet* Nicet. 3. Annal. Iſaac. *quod ſperaret regna in ſuam poteſtatem ultrò caſura eſſe, quemadmodum veteres Timotheum pinxerunt dormientem, fortuna interim circumeunte, & urbes in unum rete contractas, ei tradente.*

Rectius Ennius *virtutem cum ſorte conjungit: voſne, inquit, velit, an me regnare Hera, quidve ferat ſors, virtute experiamur:* Cicero 1. offic. *&* Agath. lib. 1. *ait: Nequaquam fato intereunt Reſpubl. Invenias hiſtoricos, qui quia cauſas proximas ignorant, interitum Rerumpublicarum ad nudum fatum referunt, ſicut* Lucan. lib. 1. bell. civil. *cum civilis belli cauſas inquirere proponeret: Invida, ait, fatorum ſeries, ſummiſq; negatum ſtare diu, nimioq; graves ſub pondere lapſus, &* Appianus lib. de bell. Punic. *fato ſcribit deletam Carthaginem. Sed* Polybius lib. 6. *multas aſſignat cauſas, ob quas rationabiliter Carthaginenſes Romanis ſuccubuerint, videlicet, quod Romani magis valuerint peditatu: quod ſuis civibus & ſociis pugnaverint, cum Carthaginenſes uterentur ſtipendiariis: quod apud Romanos fuerint ad fortitudinem incitamenta, & præmia multa, apud Carthaginenſes nulla: quod Romani præfecerint officiis, tantum virtute & meritis conſpicuos, Carthaginenſes verò ea pecuniis vendiderint, &c.*

Proinde non id ſufficit dici: Sic fuit in fatis, ſed & imploranda eſt potentia divina, & prudenter optimis mediis utendum. Nam nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia, ait Poëta, *addam ego: Et ſi perpetuò cælum clamore fatiges.*

Atque ſic finem facimus: Quod reſtat, de corruptione per vim externam, ſive de bello, quomodo id ſit gerendum vel avertendum, item de jure belli, adeoq; univerſo jure feciali, ad peculiarem tractatum reſervaturi.

IN-

INDEX AVTORVM, QVI IN HOC OPUSCULO, PARTIM, VT EXPLICENTUR, PARTIM, UT REFUTENTUR, PARTIM AD PROBATIONEM ADDUCUNTUR.

A.

Ariſtoteles.
Averroës.
Aëtius.
Avicenna.
Alexand. Aphrodiſ.
Albertus M.
Apuleius.
Acciajolus.
Albericus.
Aretinus Leonh.
Aretinus Franciſc.
Auguſtinus.
AElianus.
Ambroſius.
Apollonius Argon.
Appianus.
Athenæus.
AEneas Sylvius.
Ammianus Marcellin.
Alciatus.
Arnobius.
Alcoranum.
Anton. Monach.
Alexander Iuriſconſult.
Ariſtophanes.
Artemidorus.
Alphonſi hiſtor.
Auſonius.
Antoninus.
Africana hiſtoria.
Antimachiavellus.
Agathias.
Annales German. Franc.
Alex. ab Alexand.
AEmilius Prob.
Aurel. Victor.
Anton. Andr.
Althuſius.
Aurea bulla Caroli IV.
Aſconius.
Alcinous.
AEſchines.
AEſchylus.
Arrianus.
Algazel.
Aventinus.
Agritius Matthi.
Alvareſius.

Alanus

Alanus ab Inſulis·
Anaſtaſius bibliothec.
Annales Turcici.
Autor expeditionis Thietmarſ.
Autor de Rep. Turcar.
Autor de crimine majeſt.
Anſelmus.
Aſclepius.
Anton. de Roſel.
AEgidij Perr.
Auguſtinus Steuchus.
Abbas.
Arnaldus Ferron.
Acron.
Archidiacon.
Afflict. Matth.
Azo.
AEgid. Roman.
Athenæus Medicus.
Augenius Horat.
Albertus Gentilis.
Argenterius.
AElianus de re milit.

B.

Bertinus.
Brutus Iunius.
Bodinus.
Boëtius.
Beſſarion.
Buchananus.
Beza.
Busbequius.
Bardeſanes.
Borcholten Iohan.
Burchardi decretales.
Baldus.
Bartolus.
Beuſtius.
Barletius Marin.
Boterus Iohan.
Budæus.
Beuterus Michaël.
Bruſonius.
Belluga Petrus.
Blondus.
Barbat:
Bellajus.
Boërius Nicol.
Boeth. hiſt. Scot.
Bonfinius.
Bertrandi Petrus.
Bernhardus.
Bellarminus.
Bellonius Petrus.
Bernhard. Medic.
Blemidas Nicephor.
Bologn.
Brechæus.
Bellovifius IC.
Bernhard. Bononienſ.

Boemus Ioh.
Bembus.
Bazianus.
Berſmannus.
Bruckmannus.
Bünting.

C.

Cornelius Nepos.
Cicero.
Celſus.
Capivaccius.
Clapmarius.
Conſuetudo Pictavor.
Caſus.
Caij Inſtitut.
Contarenus.
Cujacius.
Camerarius.
Caſelius.
Cedrenus.
Clemens Alexandr.
Cæſar.
Cromerus.
Caſtellio.
Conſtitut. Caroli V.
Claudianus.
Cario.
Chryſoſtomus.
Caſſiodorus.
Capitolinus.
Cælius Rhodigin.
Cato. Crato.
Catullus.
Carnutius.
Caſſius Iatroſophiſta.
Criſpinus.
Corraſius.
Crellius.
Cajetanus.
Curtius.
Curtilius.
Covarravias.
Conciliator.
Cuſpinianus.
Cardanus.
Conimbricenſes.
Caſtellanus.
Crantzius.
Concilium Tolet. V.
Concil. Nicenum.
Concil. Conſtantinopolit.
Concil. Africanum.
Concil. Toletan. I.
Concil. Laodicenſe.
Concil. Ilerdenſe. &c.
Concil. Tridentin.
Concil. Chalcedon.
Concil. VVormatienſ.
Concil. Aurelianenſ. &c.
Cirier.
Cornc.

Cynus.
Corſet. Anton.
Caſtrenſis Paulus.
Cominæus.
Conanus.
Clarus.
Chron. Saxon.
Chron. Helvetior.
Chron. Gallic.
Chron. Marchi.
Chaſſaneus.
Cuſanus Nicol.
Cẽturiatores Magdeburg.
Cepolla.
Capella.
Columella.
Cornel. Front.
Crinitus.
Catellianus Cotta.
Cramerus.
Callimachus.
Claudius de Battand.
Conſtit. Philippi Bell. & Car. V. Gall. antiquæ Sue vorum.
Capitular. Caroli M.
Chryſippus.
Cardinalis ICtus.
Crotus Iohan.
Corius.
Cyro Spontone.
Columba Gerhard.
Copernicus.
Cæſar Euolus.

D.

Diodorus Siculus.
Demoſthenes.
Dio. Caſſ.
Dion Pruſenſis.
Dinon. Dubravius.
Diaconus Paul.
Decretales.
Decret. Burchardi.
Decius Philipp.
Decius, Iodocus Ludovv.
Damaſcenus.
Dreſnerus Thom.
Damianus à Goes.
Dares Phrygius.
Dynus.
Donellus.
Dionyſius Areopag.
Damhuderius.
Dlugoſſus.
Donatus. Duſa.
Duarenus.
Dioſcorid.
Dantes.

E.

Euripides.

Euſe-

Euſebius.
Eraſmus Roterod.
Epiphanius.
Eubolus.
Erizzo Sebaſtian.
Euem: Meſſen.
Euagrius.
Epicharmus.
Ehemius Chriſtoph.
Euſtathius.
Egnatius.
Ennius.
Eginhartus.
Epictetus.
Eraſtus.
Eutropius.
Emanuel Belg. hiſt.
Exhortatio ad German. Anonymi cujuſdam de poteſt. Hiſpanor.

F.

Fonſeca.
Fernelius.
Flandria.
Ficinus.
Faber Iohan.
Faber Petr.
Florus.
Fulgoſius.
Frontinus Iul.
Franciſcus Sylvius.
Feneſtella.
Faſco.
Fornerius.
Fuchſius.
Faber Iacob Stapulenſis.

G.

Galenus.
Gregorius Ariminenſis.
Gabriel Biel.
Gellius.
Gothofredus.
Grüterus.
Godolevæus.
Gloſſa jur. civilis.
Gloſſa juris Canonici.
Gloſſa juris feudalis.
Giſanius.
Guagni:
Gregorius M.
Gillius Nicol.
Gerſon.
Gaza.
Gruchius Nicol.
Goddæus.
Guibertus.
Gregoras.
Gregor. Turonenſ.
Gundiſſalvus.
Godenius Henning.

Goclenius.
Gentilis Scipio.
Gilkenius.
Girardus Ioh.
Güntherus.
Gauricus.

H.

Horatius.
Heraclides.
Hieronymus.
Homerus.
Heſiodus.
Hottomannus.
Homfredus.
Hippolytus de collib.
Hippol. de Marſil.
Hannibal Scotus.
Halycarnaſſæus.
Herodotus.
Herodianus.
Hiſtoria Indica.
Hiſtoria Africana.
Hiſtoria Alphonſi.
Hippocrates.
Hakelmannus.
Hemmingius.
Hatto Armenius.
Hoſtienſis.
Hierocles.
Harpocration.
Homberg.
Hermes Triſmegiſt.

I.

Iſocrates.
Ius civile.
Ius Canonicum.
Iaſon de nores.
Iacobus Purtill. Comes.
Iunius Melch.
Iunius Brutus.
Ianottus.
Iſichius Hieroſolym.
Iulius Obſequens.
Iohan. Philipp. Ingraſſia.
Ioſephus.
Iuſtinus.
Iulius Hyginus.
Iuvenalis.
Iſidorus.
Iſidor. Peluſiota.
Iamblichus.
Imolenſis.
Iornandes.
Ioh. Andreas.
Iſernia Andr.
Iacobus de arenis.
Ioh. Franciſcus de Pavinis.
Iohan. Monachus.
Iandunus.
Iuſtinus Mart.

Ioh.

Ioh. de ter. rub.
Iacobus VI.
Iohan. Magnus.
Iovius.

K.

Kirchmannus.

L.

Livius.
Lipſius.
Leovitius.
Leonclavius.
Lampridius.
Lemmius.
Lyſias.
Lucanus.
Lucianus.
Lombardus Petr.
Libanius.
Leo Imp.
Lucretius.
Latro.
Lotharius.
Leo Hebræus.
Lucilius Satyr.
Lactantius.
Landrecht.
Lambinus
Lazius.
Lupoldus.
Lauterbachius.
Lætus.
Lucas Pena.
Laudenſis Martin.
Leo Afer.
Langius.

M.

Maro Franciſc,
Manuel. Imp.
Morus Thom.
Machiavellus.
Menander.
Moſchopolus.
Maginus.
Martianus.
Mercator.
Mizaldus.
Meurerus.
Millichius.
Mauſerus.
Muſæus.
Marius Salomon.
Malleus malefic.
Mauritius.
Mariana Ioh.
Marcellus ICtus.
Melanchthon.
Münſterus.
Menavinus.
Michovienſis.

Mela.
Martialis.
Monachus Anton.
Monach. Ioh.
Manilius.
Marcellus Non.
Muſcornius.
Mamertinus.
Macrobius.
Magdeburg. centuriatores
Melander.
Molinæus.
Manutius.
Mornæus.
Maſurius Sabin.
Max. Tyrius.
Meſue. Moſes Rabb.
Mæneto.
Meſſala Corvinus.
Michaël Riccius.
Malaguccius Horat.
Mirandula Anton.
Monſtrel.
Mutius Hieron.

N.

Naumachus.
Nauclerus.
Nicolaus de morib. popu-lor.
Nicephorus.
Nonius.
Natalis.
Nellus.
Nicephorus Blemid.
Nicander.
Nicetas.
Nicolaus Lyra.
Nævius Poëta.

O.

Ochamus.
Onoſander.
Ovidius.
Obrechtus.
Olympiodorus.
Oracula Sibyllina.
Oderbornius Paulus.
Ochinus.
Ortelius.
Orpheus.
Onuphrius.
Oroſius.
Oldradus.

P.

Prudentius.
Plutarchus.
Polybius.
Plato. Platina.
Paulus AEgineta.
Paracelſus.

Picco-

Piccolominæus Franciſc.
Piccolomini Aleſſandro.
Porphyrius.
Porphyrion.
Patritius.
Pontanus.
Plotinus.
Philo.
Peucerus.
Petrus de Alliaco.
Pauſanias.
Prætorius Ioh.
Propertius.
Plautus.
Petrus de Vineis.
Pancirollus.
Plinius.
Plinius ſecundus.
Priluſius.
Phocylides.
Phornutus.
Polyænus.
Petrus de Ferrar.
Panormitanus.
Panægyricus Conſtantini.
Publius Syrus.
Petrarcha.
Picus Ioh.
Picus Franciſc.
Philoſtratus.
Pacatus.
Pompejus Feſt.
Pompejus Sext.
Pollio.
Petrus Martyr.
Probus.
Poggius Florentin.
Petrus Bellon.
Petronius Arbiter.
Petrus Charmenſis.
Petrus Pellitar.
Paulus Venetus.
Paterculus.
Polydorus Virgilius.
Pomponius Lætus.
Proclus.
Petrus Antib.
Pollux.
Pythagoras.
Perionius.
Procopius.
Pantaleon.
Petrus Iacob.
Pandolphus Collenutius.
Paulus Caſtrenſis.
Ptolomæus.
Pomarius.

Q.

Quicciardinus.
Quercetanus.
Quintilianus.

Rebuſ-

R.

Rebuffus.
Rivander.
Rhenanus Beat.
Roſinus.
Raſes.
Rævardus.
Raynudus Ioh.
Ramus.
Ruffinus.
Riccius.

S.

Statuta
- Feud.
- Polonorum.
- Hiſpanorum.
- Pictavorum.
- Longobardorũ.
- Venetorum.
- Danorum.
- Bohemorum.
- Suevorum.
- Elector. Saxon.
- Mediolanenſiũ.

Sanctio Pragmatica.
Saluſtius.
Scotus.
Soncinas.
Soarius.
Seneca.
Speuſippus.
Sacræ literæ.
Sigonius.
Surius.
Schlüſſelburgius.
Sammonicus Serenus.
Stobæus.
Suidas.
Scaliger.
Suetonius.
Scharlant: Bernardin.
Scipione Ammirato.
Scipio Gentilis.
Socrates.
Seneca Tragœd.
Sozomenus.
Strabo.
Sigiſmundus Baro.
Simplicius.
Scholiaſtes Thucyd.
Scholiaſtes Sophoclis.
Setzerus.
Schiltberger.
Sturmius.
Stevvechius.
Saxo Grammat.
Schafnabrugenſ.
Sambucus.
Scidelius.
Salmuth.
Scegkius.

Sige-

Sigebertus.
Spartianus.
Salicetus.
Stephanus.
Sotus.
Schardius.
Solinus.
Soranus hiſtor.
Sylius Ital.
Sabellicus.
Sepulveda.
Simanca.
Symmachus.
Stadius.
Steuchus.
Sanſovino.
Sueſſanus.
Stanislaus Orichov.
Synetius.
Severinus Danus.
Syrianus.

T.

Thomas.
Trallianus.
Tholoſanus Petr.
Thucydides.
Tacitus.
Terentius.
Trincavolſius.
Tiraquellus.
Tertullianus.
Theano.
Theophraſtus.
Theocritus.
Tartaretus.
Theognis.
Tortelius.
Turnerus.
Themiſtius.
Trithæmius.
Thomas Grammat.

V.

Virgilius.
Valſæus.
Vlpianus.
Vlpian. cõment. Demoſt.
Viterbienſis.
Varro.
Valerius Maxim.
Valeriola.
Volaterranus.
Vigilius.
Vegius.
Vopiſcus.
Vapovius.
Vida.
Vulteius.
Victorius.
Victor.
Verſor.

Vincentius.
Valla.
Victorinus.
Vegetius.
Vives.
Vulcatius.

VV.

VVidekindus.
VVeſenbecius.
VVolfius.

X.

Xenophon.
Xiphilinus.

Z.

Zimara.
Zabarella.
Zvvingerus.
Zonaras.
Zieglerus Hieron.
Zenzelinus de Caſſanis.
Zaſius.
Zoſimus.

INDEX MATERIERVM ET QVÆSTIONVM ſecundum ordinem Capitum.

CAPVT I.

De conſtitutione Politices fol. I.

Quam vocaverit Aver. Logicam particularem 1

Quid ſit Praxis 2

Politicam eſſe diſcipl. practicam 3

Omnem diſciplinā practicā tradendā ordine reſolutivo ib.

Eodem tradi Medicinam ib.

Ordinem deſumi à noſtra cognitione 7

Politicam inchoari à fine 9

Finis communis, in 10. Nicom. expoſitus, præſupponitur 11

Finis internus eſt Reſp. 12

Reſpublica conſtituitur ex duabus partibus: Imperantium & Obedientium 14

Imperat. ſumma poteſtas, ſeu majeſtas 14

Obediunt ſubditi 16

Claves & diviſiones ſubditorum 17

Regitur Reſpub. per officiales & Leges 18

Officiales aut conſilio præſunt, aut auxilio 20

Qui conſilio ſunt Senatus ib.

Qui Auxilio, aut non habent munus lege definitum & neceſſarium, ut Curatores, Legati &c. ib.

Aut accipiunt munus per legē, & vel univerſæ Reip. præſidēt vel ærario, & ijs, quæ huc pertinent, vel Iuſticiam exercent, in diſtribuendis præmiis & irrogandis pœnis 22

Leges an ſint neceſſariæ 24

Inſtitutio civium ad quid neceſſaria? 25

De conſuetudine religionis ibi.

Altera pars de religionis conſervatione & curatione 26

Converſio Rerump. 27

Ius belli 29

Modus gerendi belli ibid.

Ius feciale ibid.

Quæ ſit intentio primorum lib. pa-

lib. polit. Ariſtot. ibid.
Non explicari ibi principia, ſed ſubjectum 30. & 31
Subjectum polit. eſt civitas 32
Civitatis partes familiæ ibid.
Liber ſecundus eſt interjectitius 33.

CAP. II.

De familiis in genere fol. 34

An politica ſit ex accidenti 34
Vtrum ſocietas inſtituatur ob indigentiam vel honeſtatem 35
Deducuntur ſocietates ex lege & inſtinctu naturæ ibid.
Quid ſignificet familia 37
Quomodo definienda. ibid.
Quot ad eam requirantur perſonæ? 38
Nihil intereſſe, parva ſit an magna familia. 39
Diſputatur de Rep. Platonis, in qua omnia ſunt communia. 40
Storgen natura animalibus inditam. ibid.
Quare inceſtus tam ſollicitè etiã apud Ethnicos vitati, 41
Nullibi inventam fuiſſe Remp. Plat. 45. & 46

CAP. III.

De marito & vxore. fol. 47

Quid primum ſit in famil. ibi.
An conjugium ſit ineundũ. ibi.
An cives ad id compelli poſſint. 50
Quoto ætatis anno conjugia ſint tum maribus tum fœminis ineunda. 51
An ſponſalia impuberum ſint concedenda. 53
An parentum conſenſus requiratur, & an utriusq́;? 54
Quid ſit conjugium. 55
Deductionem ad domum non eſſe de conjugij eſſentia. ibid.
An polygamia licita ſit. 56
An concubinatus defendi & probari in politia poſſit. 61
Vtrum reiteratæ nuptiæ ſint aliquomodo inhoneſtæ. 64
An uvorem permutare liceat. 65
Perpetuum eſſe fœdus conjugij. ibid.
Quomodo igitur divortia introducta, & an admitti à politico debeant. 67
Quæ ſint cauſæ divortiorũ. 68

De

De adulterio. 69
Pœna adulterorum. ibid.
An mitius punienda fœmina quam maritus. 70
An viro liceat in deprehenſam adulteram privata poteſtate animadvertere. 71
An religionis diverſitas ſolvat matrimonium. 72
An ſterilitas & impotentia. 73
De officio mariti & uxoris. 74
An debitum naturale denegandum conjugi &c. ibid.
Viro deberi poteſtatem in mulierem jure divino, naturæ & poſitivo. 75
Cum mulier venit in poteſtatẽ viri, an debeat adhuc in poteſtate patris relinqui. 79
An tanta ſit poteſtas mariti, ut etiam ad vitã & necem mulieris extendatur. 80
Unde oſcula. 81
Mulieribus vetitum vinum guſtare. ibid
An liceat viro uxorem verberibus caſtigare. 82
Quam poteſtatem habeat uxor. 84
Qualis ducenda ſit uxor. 85
Mulieres paucas bonas eſſe. 86
Ante omnia mores & parentes ſponſæ probe perquirẽdos. 87
Obſervandum, ut parem ducas. ibid.
An virgo potius ducenda ſit, vel vidua. 88
An pulchritudini aliquid tribuendum in ducenda uxorem. 91
Unicuiq; uxorem debere videri pulcerrimam. 94
Vitium notabile, quod animos diſiungere poſſet, prius aperiendum. ibid.
De dote, an fœminis concedenda. 96
An divitiarum ratio in ducenda uxore ſit admittenda. 99. & 100.

CAP. IV.

De domino & ſeruo, fol. 101
Quare opus ſit ſervo, tanquam inſtrumento animato. ibid.
Quot modis fiant ſervi. ibid.
An quidam natura ſervi ſint. ibid.
An bello captus jure ſervus ſit. ibid.

An & ii qui pro libertate precium accipit: Et qui ſervus pœna eſt. 104
Num debitorem jus ſit in ſervitutem abduci. ibid.
Num apud Rom. jus tale fuerit. 105
Servos habere licitum eſt. ibid.
Utrum in Europa hodie ſint veri ſervi. 107
Quam miſera fuerit conditio ſervorum apud antiquos. ibi.
Æquitatis tamen eſſe, ut ſervi ne ſint. 106
Quomodo Romani ſervorum injuriis mederi voluerint. 107
Licet licitum ſit ſervos habere, quod tamen multitudo eorũ non proſit Reip. 108
Quot Reſp. occuparint ſervi: imò etiam nonnullas ſervorũ opera reſtitutas. 109
Manumittendos ingenuos animos, qui injuria fortunæ ſerviunt. 111

CAP. V.

De parentibus & liberis.

Quid ſibi parentes & liberi mutuò debeant. 112
Sceleſtiſſimum eſſe parentibus manus intentare. 113
De parricidiis. ibid.
Pœna parricidarum. 114
Eximuntur aliquando filii à poteſtate parentum, & quib. caſibus. 116
An filius in magiſtratu patri in honore præferendus. 117
An idem patrem cogere poſſit aut damnare. ibid.
De poteſtate patria. ibid.
An vitæ & necis poteſtas, in filios patri ſit reddenda. 118
An pater filium & viceverſa alere teneatur. 121
An patri liceat filium exhæredare. 122

CAP. VI.

De civitate & civibus.

Civitatem eſſe ſubjectum Reip. 123.
Quid interſit inter urbem & civitatem. ibid.
Quid inter civitatem & Rempub. 124
Quid inter civit. & alias ſocietates. ibid.
Definitio civitatis Ariſt. 125

Aliorum

Aliorum definitiones exami-nantur. 125
Civis definitur & diſtinguitur à ſubdito. 126
An civis non ſit, niſi qui participat jus ſuffragiorum, vt vult Ariſt. 127
Differentia civium. ibid.
Quis verus ſit civis. 128
Civis ex colonia quis ſit. 129
Quæ fuerit cauſa deducendarum coloniarum. 130
Diſtinctio coloniarum. 131
Quid ſit municeps. 132
Differentia municipum. 133
Tres ſunt modi obtinendi civivitatem. ibid.
Primus eſt, nativitas. ibid.
Vtrum civis nõ ſit, niſi ex utroq; parente cive natus. 134
Vtrum aliquis poſſit duarum civitatum civis eſſe. 135
An patriæ plus debeamus, quã parentibus. 138
An poſſit aliquis patriam invitam mutare. 139
Secundus modus manumiſſio. 140.
Vtrum liberti fiant manumiſſione cives. 141
Liberti infimus gradus civium ſunt. ibid.
Quotuplices liberti. ibid.
Qui Latini. 142
Qui ex numero Dedititiorum. ibid.
An rectè Iuſtinian. ordinem libertorum ſuſtulerit. 143
Tertius modus cooptatio. ibid.
Vtrum alienigenas in civitatẽ cooptari conveniat. 144
Quæ ſit prærogativa civium. 145.

CAP. VII.
De Rep. in genere.

Definitur Reſp. 147
Diſtinguitur à civitate. 148
Diſtinguitur inter vitia virtuteſq; Rerumpub. & inter ſpecies. 149
Vnde deſumendæ ſint differentiæ ſpecificæ Rerump. 150
Divitias & paupertatem non diſtinguere Reſp. ibid.
Solus numerus eorum, qui abſolutè imperant, dat ſpecies Rebuſp. 153
Tres eſſe primas ſpecies. ibid.
Illarum ſingulas in aliquot analogata diſpeſci. 155
Primum analogatum eſſe optimam

mam Rempub. & normam cæter. ibid.

Quid faciat optimam Remp. nimirum cura ſalutis publ. 156.

CAP. VIII.
De mixta Repub.

An detur mixta Reſp. 159

Non omnem jurium majeſtatis commixtionem facere miſtam Remp. 161

Triplicem poſſe mixtionem veram excogitari. ibid.

Prima refutatur. 162

Refutatur & ſecunda. 163

Tertia probatur & defenditur. 164.

Examinatur Reſp. Lacedæmoniorum, ex quot ſpecieb. fuerit miſta. 167

Diſputatur de Rep. Romanorum, qualis fuerit poſt ejectos reges, uſq; imperium Cæſaris. 170

Deinde Imperatorum poteſtas, utrum ſoluta fuerit, vel temperata. 176

Item Reſp. Germanorum hodierna ad mixtæ Reip. Ideam examinatur. 180

Diſputatur de ſtatu regni Poloniæ. 183

Deniq; de Rep. Venetorum. 187.

CAP. IX.
De Monarchia.

Quæ ſit omnium Rerump. prima. 190

Quot ſint ſpecies Monarchiæ. 191.

Vtrum dictator Monarcha dici debuerit, & de dictatoria poteſtate. ibid.

Regem eſſe Monarcharum normam 192

Vtrum regni natura compatiatur plures reges. ibid.

Quid ſit regnum. 194

Quæ virtutes regis. 195

Regis primum officium, eſſe paſtorem populi. 196

Vtrum rex cum clementia vel ſeveritate officium facere debeat. 197

Diſputatur quæſtio cum diſtinctione. 199

Regi magis ſtudendum eſſe virtutibus, quã ſubditis ob tres cauſas. 201

Regi ſervandam eſſe autoritatem. 203
Utrum rex eligi potius, vel ſorte duci, vel à ſtirpe accerſi debeat. 204
Non eſſe conſuetudinem, quamvis parum deteriorem, facilè mutandam. 205
Quare electio ſucceſſioni præferatur ab Ariſtotele. 207
Incommoda ſucceſſionis. 210
Refutantur & explicantur argumenta contraria. 213
In electione, non eſt amovendum regnũ facilè à ſtyrpe. ib.
Utrum principatus inter filios plures dividi debeat, an primogenito conferi. 214
Ius primigenii eſſe de jure gentium. ibid.
Nec repugnare rationibus. 216
Quomodo cæteri fratres, ſi excludantur ſucceſſione regni, tractari debeant. 218
Mortuo primogenito, relicto filio, & ſuperſtite illius fratre, uter utri, id eſt, an patruus patrueli præferri debeat, vel econtra. 220
Utrum primogenitus abſolutè, præferendus primogenito in principatu. 222
Vtrum mulieres ad ſucceſſionem principatuum & regnorum admittendæ ſint. 226
Vtrum ſpurijs locus ſit in ſucceſſione regnorum. 238
De dominatu. 240
Quid differat à regno. ibid.
Domini nomen variè acceptum 241.
Exempla dominatus in poteſtatibus Perſarum, Turcarũ, Sultanorum, Ægyptiacorum, Abyſſinorum, Chinenſiũ & alior. 242
Veſtigia ſeneſcentis dominationis in Feudis. 245
De Tyrannide. 246
Nomen Tyranni varium. 247
Eſſentia vera & definitio Tyranni. ibid.
Duplex Tyrannus ſecundum Bartol. 248
Propria Tyranni. 249
Dehortatio à Tyrannide. 250

CAP. X.

De Ariſtocratia & Democratia & Rerump. comparatione inter ſe.

Vnde deſumatur diſtinctio Ariſtocr. & Democratiæ. 251

Quot perſonæ requirantur ad Ariſtocraticum ſtatum. eod.
Diverſitates utriusq; ſtatus 252
Defectus & labes utriusq; 253
Quæ ſit omnium Rerump. optima. eod.
Præfertur Monarchia. 254
Commoda Monarchiæ, quæ à cæteris ſtatib. abſunt. 254. 255
Cæterorum ſtatuum imperfectiones. 256. 257

CAP. IX.

De Juribus majeſtatis. 258

Diſtinguitur inter majeſtatem & magiſtratus. eod.
Majeſtas non agnoſcit ſuperiorem. 259
Vtrum majeſtas ſit ſoluta legibus. eod.
Quæ ſint illæ leges, à quibus majeſtas libera eſt. 261
Vtrum majeſtas cogi poſſit ad confirmandam fidem ſubditis jurejurando. 260
Quæ juramenta imminuant majeſtatem. 263
De regibus feudatariis, utrum majeſtatem habeant. 264
Majeſtatē nō cōſiſtere in titulis ſplēdore, ſed in poteſtate. eod.
De crimine læſæ majeſtatis, in quem committatur. eod.
Numerus Iurium majeſtatis. 264. & 265
Poteſtas ferendi leges. 265
Vtrum ſucceſſor, qui majeſtate utitur, teneatur prædeceſſoris ſui ſtatuta cōfirmare 266
De privilegiis, & ad quem pertineat ea ferre: Item de impunitate ſcelerum, legitimatione &c. 267
Ad jura majeſt: pertinere ſummum imperium & juriſdictionē ſine provocatione. 268
Item facultatem inſtituendi magiſtratus. eod.
Item exigendi tributa & imponendi vectigalia. 269
Quantum tributorum liceat à ſubditis principi exigere. 270
Huc queq; pertinere, jus tractādorum armorum. 272
Item vias publicas, flumina navigabilia, portus, ripatica, theſauros in publicis inventos, res pro derelictis habitas, jus venationis, bona damnatorum, &c. 273
Item Ius ſignandæ monetæ eod.
An jurium majeſtatis quædam

ſubditis

ſubditis communicari poſſint 274.

CAP. XII.

De ijs qui majeſtati ſubijciuntur. 275

Tria genera eorum. eod.
Qui ſint peregrini. eod.
Vtrum peregrini ad Remp. admittendi. eod.
De jure hoſpitalitatis. 276
Quam diu ſervandum. 277
Officium hoſpitis. 278
Ius hoſpitum. 278
Vtrum peregrinis dandi magiſtratus & officia publica. eod.
De repreſſalijs, & clarigatione, &c. 283
Quid incolæ ſint. eod.
Quid jus illorum. eod.
Qui ſint veri ſubditi. 284
Diſtinguuntur à civibus honorarijs. eod.
Quis debeat ordo civium eſſe. eod.
Vtrum ſenectuti debeatur primus locus. eod.
Eijciuntur ex civibus ſervi. 286
An liberti inter ſubditos numerentur. eod.
Diſtinguuntur cives in duas claſſes, Eccleſiaſticorum & ſecularium. eod.
Prærogativa Eccleſiaſticorum. 287
De poteſtate Pontificis Romani. eod.
Quanta fuerit in Rebuſp. ferè omnibus. 238.289
De donatione Conſtantini. 290
Vtrum rectè probaverint Pontifices ſuam in politicis poteſtatem. 292
Non eſſe politicos magiſtratus Eccleſiaſticis commiſcendos. 297
An iudicare & iudicatum exequi debeant Pontifices. 294
An cognitio vel audientia Clericorum ad unum, à quo provocari non poſſit, terminari debeat. 295
De Secularibus. 296
Qui fuerint Romanorum Equites. 297
Qui ſint nobiles, & quid nobilitas. eod.
Vtrum divitiæ nobilitent, & quantum ad nobilitatem cõferant. 298
An ſola virtus nobilitet. 299
An vera ſit nobilitas, quæ in ſtirpem propagatur. 301

Non eſt nobilitas vera niſi cum virtute. ibid.
Vtrum dignior ſit, qui ſuis inclareſcit meritis, aut qui patriam æmulatur nobilitatem. 301
Nobilitas non attenditur, niſi â majeſtate confirmata. 304
Crimen falſi committit, qui ſibi nobilitatem affingit. ibid.
Vtrum doctores ſint nobiles. 305
Quis ſit ordo Doctorum in Rep. 306.
Prudentibus quare poſt Theologos ſecundus locus dandus. ib.
Diſtinguuntur prudentes inter ſe. 307
Quare Medici Philoſophis ſpeculativis præferendi. 310
Utri ſint digniores: Medici, an ICti. 309
An Iuriſprudentia ſit ſcientia. ibid.
De Philoſophis ſpeculativis. 310
De ordine militari. 311
Vtrum præſtet ordine literario. ibid.
Utrum militia nobilitet. ibid.
De ordine Nobilium in univerſum 312
Plures gradus Nobilitatis apud diverſas gentes. 313
De plebeijs. 314
Agitur de agricolis. ibid.
Cauſæ, quare agricolæ in Rep. magni ſint faciendi. 315
Diſtinguitur inter cultores, & poſſeſſores agrorum. ibid.
De Mercatoribus. 316
Mercaturam aliquid ſordium habere. 317
Quare multæ gentes eam inter ſordidas artes repoſuerint. 318.
Utrum obſtet nobilitati. ibid.
Diſtinguitur mercatura. 319
Vtrum lucrum quoddam ſit conceſſum. 320
De opificibus in genere. 321
Vtrum inter cives cenſendi. ib.
Reijciuntur qui ad corruptionem civium artes ſuas compararunt. 322. 324.
Vtrum Cocis indigeat Reſp. 322
Vtrum Piſtoribus. ibid.
Vtrum tabernæ in Rep. admittendæ. ibid.
Reijciuntur prorſus hiſtriones, Pantomimi, ludiones, &c. 323.
Utrum tibicines in Rep. tolerandi. ibid.
Infimus ordo Carnificum libitinariorum

nariorum &c. quare ad cives non referendus. 324
Artes neceſſariæ & non ſordidæ civis dignitatem non impediunt. ibid.
De deſcriptione ſubditorũ. 325
Vtrum ſit neceſſaria. ibid.
Deſcriptio vetus per tribus, à quibus uſurpata. ibid.
Qualis fuerit. ibid.
Quid tribus, unde dictæ. ib.
Subdiviſio tribuum in curias & harum in decurias. 326
Alia diviſio in claſſes, centurias &c. ibid.
Alia in collegia, corpora, & univerſitates. 327
Definiuntur ſingula. ibid.
Quot perſonæ faciant collegiũ. ibid.
Qui collegæ propriè dicantur. ibid.
Non licere quibusdam inire collegium ſine conſenſu majeſtatis. ibid.
Quodnam ſit jus collegiorum. 328.

CAP. XIII.

De iis qui gerunt officia Reip. in genere.

Quare opus ſit majeſtati, quibus dã neceſſarijs vicarijs. 329
Quomodo in generè vocari, & definiri poſſint. ibid.
Vtrum civis ad Reip. munia cogi poſſit. 330. 332
Quas ob-cauſas etiam boni cives ſoleant officia Reip. detrectare. 331. 332.
Quomodo medendum ſit incommodis, quæ magiſtratus incurrere ſolent. 332
An magiſtratibus ſalaria accipere liceat. 333
An tolerandus ſit ambitus eorũ, qui officia publica aucupantur. 334
Quæ ſit virtus officialium. 336
Vtrum divites præferendi pauperibus. 338
An multi conſanguinei ad idem officium promoveri debeant. 340.
Vtrum uni plures magiſtratus tutò commendentur. ibid.
An præſtet mutabiles habere magiſtratus, quàm perpetuos. 341
Quæſtio diſtinguitur. 343

CAP. XIV.

De Senatu. 345

Poſt generalia, diſtinguuntur officiales in ordinarios & extraordinarios. eod.

Ordinarij aut conſilio tantum, aut re officium præſtant. eod.

Illi nomine ſenatus cenſentur. eod.

Vtrum ſenatu in Rep. opus ſit. eod.

Ordine oſtenditur, quare opus ſit in ſingulis Rebuſp. 346

An in Monarchia vel principatu concilia ſtatuum utiliter tolerentur. 348

De iure ſenatus. 340

Senatum poteſtate deſtitui debere. eod.

An Senatus cuivis civium patere debeat, ad dicendam ſententiam. 349

Quales Senatores eligi debeant. 350

E magiſtratibus ſenatum oportere eſſe. 351

An ſenectus in ſenatore requiratur. 352

Quid reſpicere debeat ſenator, dum conſilium dicit. 354

Quomodo obduratis principib. conſilium dandum. 355

Quibus dandũ primũ votũ 356

Sententiam dicendam ſine affectu. eod.

Vtrum ſilentium neceſſariò requiratur in ſenatore. 357

Ex quot perſonis ſenatum conſici oporteat. eod.

CAP. XV.

De Magiſtratibus.

Vera notio magiſtratuum. 359

Definitio magiſtratus Ariſt. eo.

An Eccleſiaſtici ſint magiſtratus. 360

Quid interſit inter judices datos & magiſtratus. 362

Definitiones aliæ. eod.

Vtrum Cic. rectè in omni magiſtratu auſpicia requirat. eod.

An tribuni pl. fuerint magiſtratus. 363

An poteſtas magiſtratuum propria ſit, an tantum mandata. eod.

Vtrum imperium magiſtratui inſitum fuerit apud Roman. eod.

Examinantur aliorum definitiones. 364

Diſtinctio magiſtratuũ 364. 365

Qui

Qui ſint magiſtratus majores, qui minores. 366
Quid jurisdictio in genere, & in ſpecie. 366. 367
Quid Imperium merum, quid mixtum. 367
De ſummo magiſtratu. eod.
Non eſſe ſummum magiſtratū nimia armandum potentia. 368.
Quot modis potentiæ magiſtratuum occurratur. eod.
Alter ordo magiſtratuum. 369
Utrum ærario ſit opus in Rep. eod.
An pecuniæ ſint nervus rerum agendarum. eod.
Tertius ordo magiſtratuum. 371
Magnum ad ſalutem Reip. momentum eſſe, ne virtus ſine præmio relinquatur. eod.
Utrum princeps vel rex judicium præſens exercere, & reos damnare debeat. 372
Inter prima officia regis eſſe, juſticiam facere. eod.
De judicibus. 375
Utrum clementia judicem commendet. eod.
An ſceleratis ſupplicia judex poſſit remittere. 376
An judex verba legis in judicando ſemper obſervare debeat. 377
Quomodo & quouſque æquitati locum concedere debeat. 379
Secundum inhoneſtas leges non eſſe judicandum. eod.
De virtutibus judicis. 380
Iudicem oportet jus ſcire eodem.
Iudicem oportet immunem eſſe à vitijs. 382
Item carere affectibus. eod.
Iuſticiam in oculis ſemper habere. 383
An munera liceat judici accipere. eod.
Utraque pars iudici audienda. 384
Non eſſe præcipitandam ſententiam. 385
De Cenſoribus. 386
Utrum cenſores in Reſpub. reduci conveniat. 386. & 391.
Duplex officium Cenſorum. 388
Utrum princeps civium numerum incenſum deſcriptum habere debeat. 388

Ad quid

Ad quid ætas cenſenda ſit. 389
Ad quid ordo & dignitas. ib.
An divitias quoq; civium cenſeri utile ſit. 390
Quam neceſſarium ſit mores civium cenſura corrigi. ib.
Vtrum cenſoria nota pœna fuerit infamis vel ignominioſa. ib.
Catalogus vitiorum, quæ cenſoribus corrigenda relinquūtur 391.
Neglectus pietatis. ibid.
Abuſus opum. 392
Perfidia. ibid.
Uſura & lucrum inhoneſtum, &c. 393
Cenſorum eſſe in familias civium inquirere. ibid.
Providere, quo quisq; modo familiam ſuſtentet. ibid.
Quid circa conjugia procurandum cenſoribus. ibid.
Quid circa inſtitutionem puerorum. 394
Laſciva & luxurioſa educatio reprobatur. ibid.
Cenſoribus prohibendum luxum 396
Luxus in veſtitu mulierum. ib.
Luxus virorum. 397
Luxus in cibo & potu. ibid.

CAP. XVI.
DE CURATORIBUS.

Qui ſint curatores. 399
Quomodo diſtinguantur à magiſtratu. ibid.
Deciſio cõtroverſiæ inter Æſchinem & Demoſth. ibid.
Ex curatoribus fieri poſſe magiſtratus. ibid.
Diviſio curatorum. 400
Vtrum curatoribus liceat ultra mandatum agere. ibid.
Vtrum mutata voluntate mandantis curatoris officium deſinat. 401
De legatis. 402
De ſanctitate legatorum. ibid.
Legatos impune non violari. 403
Legatos decere modeſtiam &c. 404
Legatis de mandato an aliquid mutandum. 405

CAP. XVII.
DE LEGIBUS.

Quare nunc agendum de legibus. 407

Vtrum

Vtrum legib. opus ſit in Repub. eod.
Ad quid opus legibus. 408
Vtrum ad l. eſſentiam requiratur, vt ſit bona. 409
Vtrum, dum lex iniqua videtur, ſtandum autoritate legis vel æquitate. 410
An conſcientia per leges excuſetur. eod.
Legis definitio. 411
An ſcriptura ad eſſentiam legis requiratur. eod.
Vtrum omnium legum ratio reddi debeat. eod.
Unde deſumendæ leges legumlatori. 412
An leges in Harmonica proportione fundentur, vt vult Bodinus. 413
An pœnæ proportione Arithmetica vel Geometrica irrogari debeant. 415
Diſtinguitur inter æquitatem, & leges ex juſtitia profectas. eod.
Item inter leges & privilegia. 416
Leges nonnullas, eſſe iniquas. eod.
Pœna furti. 418
Duo cum faciunt idem, non eſt idem. 419
Vtrum magis peccetur in parvo, quàm magno. eod.
An multitudo legum ſit bonum ſignum Reipub. 420
An facile ſint mutandæ leges. 421.

CAP. XIIX.

De Educatione. 423

Quare de educatione agendum eod.
Quam neceſſaria ſit educatio recta. eod.
Proſpiciendum etiam primæ ſeminationi. 425
Vtrum ſimilitudo faciei indicet parentes. 426
Vtrum nutrices infantibus conducendæ. 427
De obſtetricibus & earum officio. eod.
Talem evadere virum, qualis puer inſtituitur. 428
Pueros à puritate dici. 429
Ad quæ ſtudia quisq; ducendus. eod.
Imprimis colenda ſtudia, quæ patriæ ſint profutura. eod.
An publicè ſive parentibus pueros in-

 eros in-

eros inſtitui utile ſit. 430
Diviſio inſtitutionis. eod.
An publica inſtitutio privatæ præferenda eod.
Vni unum imprimis excolendũ ſtudium. 431
An omnes cives ad honeſtum aliquod ſtudium adigendi. eod.
De mendicis. eod.
Pauperes recipiendos in Noſocomia. 433
Publica inſtitutio requirit collegia. 434
Reipub. intereſſe, ne collegia, inſcia majeſtate, inſtituantur. eod.
An collegia habeant poteſtatem, & quantam habeant. 435
An Academiis competat. Merum imperium & jurisdictio ibid.
Studia liberalia cæteris præferenda. 436
De conſuetudine & Religione, quod interſerendum erat, deſideratur.

LIBER II.

De curatione prolabentium Rerump.

CAP. I.

De corruptione & cõverſione Rerump. 439
Digreſſio & ſumma libri. eod.
Omnes aliquando Reſp. peſſum ituras. 440
Diſtinguitur inter naturalem declinationem & morbũ. eod.
Diſtinguitur inter everſionem Reip. & converſionem. 441
Singula definiuntur. 441. 442
Vtrum tantum ſex ſint Rerũp. converſiones, ut vulgò ſcribitur. 443

CAP. II.

De cauſis quibuſdam corruptionum Rerump. 443
Reijciuntur levicula occaſiones ex claſſe cauſarum. eod.
An numeri Platonis inter cauſas corruptionum poni debeant. 445
An corruptio Rerump. ad fatum referri poſſit. eod.
Quid fatum. 446

Quid providentia divina. eod.
An à provid. divina Rerũp. interitus ſit accerſendus. 446
Oracula, oſtenta, Libri Sibyllini, quib. converſiones Rerũp. prædictæ ſunt. 447
Vtrum aſtrorum curſus ſit cauſa interitus & exortus rerũp. 448
Quantũ aſtris tribuendũ. ibid.
An Themata Genethliaca urbium quicquam certi oſtendant. 449
An conjunctiones magnæ ſuperiorum Planet. Reſp. convertant. eod.
An revolutio terræ Copernici. 450
An extrema ſtella in cauda Helices, vt putat Cardan. eod.
An Cometæ. eod.
An Ecclypſes. 452
Concluditur de his opinionibus, 453.

CAP. III.

De cauſis mutationũ ſpontanearum & per fallaciam. 454

Duplex mutatio à cauſis internis & externis. eod.
Mutatio ſpontanea duplex. eod.
Deditio. eod.
Modeſtia imperantium. eod.
An ulli Tyranni ſponte Rebuſp. ſe abdicarint. 455
Sophiſma ad mutandas Reſp. ſi electus princeps legibus ſenſim circumſcribatur. 456
Quæ ſit mutatio per fallaciam. 457
An facilius ſit fraude, quàm vi mutare Reſp. 458

CAP. IV.

De cauſis mutationũ per vim internam. 460

An diſcordiæ in Rebuſp. alendæ. eod.
Diſcordia optimatum cauſa mutationis in Ariſtocratia. 462
Cauſæ, ob quas rixentur optimates. 463
Vndecim Ariſtotelis cauſæ, ob quas mutantur Reſp. 464
1. Nimius honor unius, qui cæteris movet invidiam. 465
2. Item permagnæ divitiæ, cum invidia conjunctæ. 466
3. Nimia unius vel aliquorum potentia, quam ſit Reip. detrimentoſa. 467
4. Nimia auxeſis. 468
5. Deſperatio ſeu metus. 469

Nunquam eos, qui nocere poſſunt, ad deſperationem ducendos. 472
Contentus, qui dupliciter ad mutationem Reip. conferre poteſt. eod.
An Tyranni debeant odium civium vi comprimere & ſuffocare. eod.
Quem contemnit quisq;, eum facilè invadit. eod.
Quæ cauſæ contemtum pariant. 475
Numerantur, incuria, pravi mores, adverſa fortuna, Nimia familiaritas, Lex, diſciplina, vivendi ratio & alia levicula. 475. 477. 478
Quomodo, qui contemnuntur, ſoleant contemtorem ulciſci. 479
Quò quis excelſior, eò minus patitur ſe contemni. eod.
Peculiare eſſe Optimatibus, ut populum contemnant. 481
7. Contumelia, in bona & corpora ſubditorum. 482
Quare privata injuria ſæpe publicè vindicetur. 483
Adulteria eſſe inter præcipuas cauſas everſionum. 484
Quantum noceat Reip. nimia tributorum exactio. 488
8. ἐρίθεια, quid ſit. eod.
Vbi de conjurationibus. 489
9. ὀλιγωρία, quid ſit, & quomodo vergat ad interitum Rerump. eod.
10. Τὸ παρὰ μικρὸν. 490
Eſſe huic cauſæ locum potiſſimũ in Democratia. 492
De Dæmagogis & Concionatoribus. eod.
Quot modis Dæmagogi afferant interitum Rebuſp. 493
Ex Dæmagogis olim factos Tyrannos. 495
11. Diſſimilitudo hominũ. eod.
Vtrum extranei recipiẽdi. eod.
Vtrum auxiliarijs copijs utendum. 497
Additur alia cauſa, videlicet mutatio religionis. 498
Quantum poſſit religio in animis vulgi. eod.
An Romanorum felicitatis cauſa fuerit ſuperſtitio, ut dicebat Machiav. 500
Quam ſeverè coluerint Romani jus jurandum. eod.

CAP. V.

De re-

De remedijs contra prædictas corruptiones & earum cauſas, 593

An contraria contrariis curentur. 593
Duplicia remedia. eod.
An σοφίσματα, ſeu arcani doli in Rep. tolerandi. 503. 504
Remedia præſervativa. 504
An fictus aliquando civibus ſit inijciendus metus. eod.
Optimum remedium eſſe, cauſas in ipſo exortu amputare. 505
Nihil quantumvis minimum, negligendum. 507
An delatoribus uti liceat & cõducat. 510
Statuta & leges Reip. non eſſe facilè mutandas. eod.
In mutationibus priſtinæ rei umbram ſemper retinendam 512
Nihil mutandum ſubitò. eod.
Dæmagogos eſſe præcavendos. eod.
Inhibendos Concionatores, qui ficta religione populum com movent. eod.
Ne pereat Reſp. in cura magiſtratuum ſitum eſſe. 514
Quomodo magiſtratus ſe gerere debeat erga collegas. 515
Quomodo erga ſubditos. eod.
Remedia contra diſcordiam optimatum. 516
Remedia curativa. 517
Quot modis curetur ſeditio. eod.
An lex Solonis probanda, qua civiũ quiſq; jubeatur alterutri partium ſe applicare. 518
An ſeditioſi ſecundum conſiliũ Machiav. ſtatim ſummis ſupplicijs afficiendi. 520
Qua ratione reconciliatio tentanda. 519
An conveniat alterutrum diſceptantium civium Repub. eijci. 521
An Monomachia reduci debeat. 521. 522. 523
Quare probatio per aquam fridam reprobata ſit. 522
Si plebs univerſa tumultuetur, quomodo curanda. 523
An ſeveriter tractari poſſit vel debeat. 524
Oportet populo gratum eſſe, qui ſeditione eſt compoſiturus. eod.

Culpa in auditores convertenda. 525
Danda opera, ut à ſeipſis ruant. 526
Quare in ſeditione multorum, paucorum ſupplicio oportet Remp. contentam eſſe. 527
Quomodo curandum malũ ex invidia obortum. 533
Qui invidiæ ultrò ceſſerint. eod.
Non patiendum, ut quis unus divitijs cæteros nimis exuperet. 534
Verus uſus divitiarum. 535
Quomodo nimijs divitijs modum impoſuerint Athenienſes. eod.
Remedia contra nimiam potentiam vel ἄυξησιν. 536
Ante omnia videndum, ne unus civium nimia armetur potentia. eod.
Quomodo diſſolvenda poteſtas privatorum hominum. 537
Tres modi imminuẽdi potentiã magiſtratuum. 539
Si opponatur magiſtratus cum facultate intercedendi. eod.
Si breve ſit ſpatium gerendi magiſtratus. 540
Si poteſtas inter plures dividatur. 541
De oſtraciſmo, an utilis ſit Reibusp. 542
An media via potius eligenda. 543
An Tyrannus ſtatim opprimendus. 545
Remedia contra contemtũ. eod.
Amorem ſubditorum quærendum principi. 546
Quibus rationibus princeps aſſequatur amorem ſubditorũ. 546. 547
An ex autoritate principis ſit, cum ſubditis familiariter cõverſari. 548
Quot ſint media, quibus Princeps ſibi autoritatem conciliare poteſt 550. 551
Remedia contra cõtumeliam. 555
Quouſq; principi ſtudendum clementiæ. eod.
De poteſtate exigendi tributa. 557
Quouſq; in exigendis tributis Reip. liceat procedere. 558
Aliquot alij modi ad augẽdum ærarium oſtenſi. eod.
Duplicia bona principis. 559

Aali-

An liceat principi de publicis quicquam movere. eod.
An vectigalia, & quibus reb. maximè, indici debeāt. 560
Penſiones ſociorum. 562
Penſiones nō eſſe tributa. eod.
An liceat principi vel Reip. ab aliis beneficia capere. 562.463.
Hoſtium ſpolia. 564
Vtrum ex negotiatione ærarium ditare ſit conceſſum. 565
Alij modi minus uſitati. 566
Quomodo conſpirationibus ſit obviam eundum. 567
Ius committēdam Remp. quibus præſens ſtatus amori eſt. 568
Diſſimulatio multorum principum. eod.
Quare poteſtas multos corrumpat. eod. & 569
An virtus magis, quàm peritia in magiſtratu ſpectanda. 572
Vtrum extranei recipiendi. eod.
Non tantum orandum, ſed & laborandum eſſe. eod.
An rectè ſcribatur ab hiſtoricis: fato perire Reſp. 571

FINIS.